BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12.
7 C
31

19

M

Digitized by Google

14. I. C. 2

Digitized by Google

Digitized by Google

In Bibliothecam Colber

THOMÆ HOBBII
Philoſophiam
EXERCITATIO EPISTOLICA.

Ad Ampliſſimum Eruditiſſimúmque Virum D. IOHANNEM WILKINSIUM, S. T. D. Collegii Wadhamenſis Gardianum.

Autore SETHO WARDO in Academia OXONIENSI *Aſtronomiæ* Profeſſore SAVILIANO.

Cui ſubjicitur
APPENDICULA,
Ad Calumnias ab eodem HOBBIO (in ſex DOCUMENTIS nuperrimè editis) in Authorem congeſtas, Reſponſoria.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

OXONIÆ,
Excudebat H. HALL Academiæ Typographus,
Impenſis RICHARDI DAVIS. 1656.

AP

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

WARDI Exercitatio in HOBBII Philoſophiam.

Digitized by Google

aliquis aliena ab iſtis cum ratione poſſit expe-ctare. Quænam igitur (inquiet E.V.) ſunt ea mira quæ pollicemur? Nempe *mirum* illud eſt nullam in utrâvis Academiâ pietati ac literis dicatam ædem, injuriam aliquam à militum nimiùm plerúmque infenſorum rabie tuliſſe, quin omnia in Collegiis, in Muſæis, in Bibliothecis ſarta atque tecta, quaſi miraculo, manuque Dei fortis conſervata fuiſſe. Imò eſt & illud admirabile, deferveſcente pauliſper bello, datoque ſpatio nonniſi admodùm exiguo (imminutâ licet præmiorum ſpe, fremente licet pietatis atq; literarum hoſte) revixiſſe ſtatim literarum ſtudia, Scientias, Artes, Linguas in Academiis refloruiſſe; majoreſque vires (quod de Antæo dictum eſt) continuò ſumpſiſſe. Novi certè quàm fuerit illud invidiæ aliquorum hominum expoſitum quod ſum dicturus; dicam tamen, adigente ad hoc (meo ſaltem judicio) veritatis vi; vix aliàs floruiſſe magis unquam pietate atque eruditione omnimodâ Academias, quàm nunc florent. Habet certè Oxonia hæc noſtra viros in omni ſtudiorum atque profeſſionum in omni Scientiarum atque Linguarum genere eximios, eoſque jam ſcriptis editis celeberrimos, vel olim celebrandos, quorum ipſe à nominibus recitandis difficulter abſtinerem, niſi notiſſimi ipſi forent Excellentiæ veſtræ, niſi ipſorum modeſtia, imò & numerus illud prohiberent.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Neque verò effœta interim facta eſt alma mater Cantabrigia (quæ me teneris unguiculis exiſtentem excepit olim, ſinuque fovit indulgentiſſimo, æternùm eo nomine à me colenda) habet ea viros omni in arte ſummos; vigent illic literæ, florent Artes, imò ſtatim à bello aliquantulùm pacato floruerunt: Hæc certè miranda eſſe judico, imò opus hoc Dei ipſius eſt, oculis reverà noſtris admirandum: quare

---illius aram
Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.

Verùm hæc cùm ita ſint, eſt & aliud impenſiùs mirandum, non deeſſe viros, eoſque ex iis quos gremio olim complexæ ſunt Academiæ, nunc autem (neſcio quo ſydere percuſſos) aut Enthuſiaſtas, cerebroſos, eruditione vacuos, furore percitos; aut inhoneſtâ tumentes philautiâ, ſeipſos ſolos eruditos inverecundè profitentes: qui conclamatum de Academiis fuiſſe præſumentes, eaſque in ignem poſitas, in cineres maternos ſævire non exhorruerint; vel ſaltem illas (uti ſunt opinati) barbarorũ hominum inimicitiis afflictas, jacentes, jamjam diſſolvendas, contumeliis probriſque ſint inſecuti, ſperantes illud impunè ſe ferre poſſe. *Quænam eſt* (inquiunt) *Academiarum utilitas? quænam Academicorum ſcientia? quænam eſt ea doctrina*

quam

Illuſtriſſimo atque Excellentiſſimo
Nobilitate ac Literis

D. HENRICO Marchioni *de* Dorcheſter, Comiti *de* Kingſton, Vice-Comiti *de* Newark, Baroni Pierrepoint & Manvers.

QUanquam non ſit illud forſan Conſuetudinis, (Heros Nobiliſſime) Epiſtolæ viro alicui inſcriptæ, patronum aliunde quærere; illud tamen in hac noſtrâ qualicunque exercitatione faciendum cenſui, neque à judicio hoc ullo modo me potuit dimovere rei iſtius novitas aut inſolentia. Videbam equidem admirationi hoc iſtis fore, qui rerum interiora negligentes in cortice hærere ſolent; at ſperabam aliquos futuros, qui formulis iſtis pauliſper neglectis, res ipſas altiùs penſitare velint, earúmque rationes & cauſas ab initiis contemplari: atque hoc quidem ipſe ſi obtinuero, faciam (opinor) ut cætera cùm admirentur

Digitized by Google

plurima, hoc ipſum non ſine ratione ſummâ factum eſſe arbitrentur. Nolit E.V. exiſtimare velle me (quod dicere ſolent) à bello Trojano exordium ducere, etiamſi à decennali hoc faciam. Quàm fuerit diſcordiis civilibus lacerata atque afflicta Patria hæc noſtra; quàm fuerit literatis hominibus, ipsíſque adeò Academiis funeſta rerum noſtrarum perturbatio, utinam neſciret orbis univerſus. Fieri non potuit ut inter partium ſtudia & contentiones acerrimas, inter bellorum fulmina, intacti evaderent (lauro muniti licèt, & coronati) muſarum cultores, eorúmque domicilia. Atque hoc quidem omni bello commune eſt, ut ſit literatis hominibus atque Academiis infeſtum; verùm habuit hoc noſtrum illud peculiare, ut miles utramque Academiam occuparet, atque ut noſtra hæc *Oxonienſis*, belli ſedes eſſet perpetua, ubi partis vincendæ, atque tandem penitùs ſubactæ principalia ſtativa ſpatio aliquot annorum ponerentur. Silent leges inter arma diverbium eſt vetus; adjicere certè potuerunt et Artes ſtupere, & Linguas obmuteſcere ſolere. Atque reverâ ſi bello ſæviente, ſi repetitâ atque diuturnâ obſidione preſſa Academiarum alterâ, alterâ interim militibus occupatâ, negligantur artium ſtudia, ejiciantur profeſſores, diruantur ædes muſarum ſacræ, quis illud miretur? nempe ex ipſo Belli ingenio iſta proficiſcuntur, neque eſt ut

neficio factum eſſe exiſtimamus, eoque prorſus admirando, tuliſſe ætatem hanc noſtram cauſæ iſtius arbitrum, aliquem cujus & ſtupendam ſimul eruditionem, & in literatos homines benevolentiam, non immeritò colunt atque venerentur Academiæ, quo demùm patrono eorum exiſtente, nil metuendum ab adverſariorum impetu aut importunitate, clamēt licèt ad raucedinem, ſeipſos licèt immenſùm efferant, nos omnes, noſtraque ſtudia contemnant. Nempe tu ipſe es(Heros Nobiliſſime) cujus ad Aſylum (poſt ſummum illum rerum Britannicarum Arbitrum) in hac cauſa confugimus; Te judicem, Te vindicem & patronum (illud à profundiſſimâ atque omnimodâ eruditione, hoc ab humanitate atque clementia) ſubmiſsè petentes, atque ingenuâ fiduciâ expectantes. Imò verò ad quem potiùs confugiamus quàm ad Teipſũ (H. N.) cui nihil uſquam ſimile aut æquale noſtra vel ætas, vel parentum, neque(opinor)multa retrò ſæcula viderunt. Dixit Eunapius olim Proæreſium fuiſſe ἔμψυχον βιβλιοθήκην. Quo (quæſo)nomine niſi *vivētis* forſã Academiæ, veſtrã excellentiã cõpellaret? Illud certè habet(vocabuli ipſius uſu hoc poſtulãte) Academiæ nomẽ, ut artes & ſcientias, ut diſciplinas omnes intelligant illic viri eruditi ac profiteantur: atque habẽt certè noſtræ alios in Theologiâ, alios in Juriſprudentiâ, in Medicinâ alios & Philoſophiâ, alios

alios in linguis aliiſque in rebus alios admirabiles; verùm qui hæc omnia profundiùs intelligat, eorumque vim omnem percipiat, & memoriâ teneat, qui ſcientiarum numeros omnes expleverit, vix habet orbis univerſus unum aliquem. Varro equidem olim doctiſſimus Romanorum unâ omnium confeſſione habitus eſt, ejuſque laudes hoc quaſi faſciculo complectitur Cicero. "Tu (inquit) ætatem patriæ, tu deſ-"criptiones temporum, tu ſacrorum jura, tu Sa-"cerdotum, tu bellicam diſciplinam, tu ſedem "regionum, locorum, tu omnium divinarum hu-"manarumque rerum nomina, genera, officia, "cauſas aperuiſti, plurimúmque Poetis luminis "attuliſti, elegans Poema feciſti, Philoſophi-"amq; multis locis inchoâſti. Magna hæc certè & admiranda, niſi forſan iis Ciceronis facundia aliquid quaſi detrahendum monere videatur. Magnum certè illud eſt, poſſe mentis vi iſta tam variâ quovis modo comprehendere, *Hiſtoriam* nempe *Juriſprudentiam*, *Geographiam*, *Philologiam*, *Poeticam*, & *Philoſophiam*; verùm his omnibus ipſe excellis H. N. non umbratilem aliquam atque ad pompam acquiſitam, verùm profundiſſimam eorum ſcientiam conſecutus. Nempe ut de hiſtoriâ nihil dicam, in *Theologiâ* ſcientiſſimum te norunt & prædicant profundiſſimi Theologi; *jus* omne tùm *Civile* Romanorum, tum *Patrium*, quotidiè juſtitiæ unius amore

quam Scholis debemus? Mitto verba eorum magis ad contumeliam compoſita.

Atque ipſe quidem ab iis libentiſſimè diſcere vellem, quem percontentur *--Min' tu iſtud ais?* Num ab Academicis hæc quærunt? Paratum certè reſponſum habent; retulit ejuſmodi reſponſum, non ita pridem *Academiarum Vindex*; At ipſe, cùm aliis ferè omnibus (quod ad eam rem attinet) cumulatè ſatisfeciſſet, ipſis tamen non placebat. Utinam dicere vellent quid facerent Academiæ, quid ab iis expectent, ut earum utilitas atque eruditio ipſis innoteſcat. Quàm vellent Academiæ ut illuc venirent, ut de Scholarium, Magiſtrorum, Profeſſorum, eruditione & literis inquirerent, factoque demum examine periculum ipſi facerent: vel ſi tutius illud & melius ipſis videatur ab iſto probationis genere abſtinere, utinam tamen accedere huc vellent (non eſt ut metuant) ut templorum fores intueri, ut columnas librorum à noſtris editorum, titulis ornatas, aſpicere poſſint, atque de iis judicium ſincerum ferre. Magnum librorum proventum, unuſquiſque à ſopito bello civili annus tulit, noſtro quidem judicio optimorum; prodeunt in omni diſciplinarum & linguarum genere digna Cedro-- Dederunt anni ſeptem ſupremi libros (opinor) plures ab Academicis compoſitos, quàm antea ſolebant viginti; libros in omni Theologiâ præclariſſi-

mos

A4

mos in ſpeculativâ, practicâ, polemicâ. Dedit Acadēia hæc noſtra Hebraicos, Arabicos, Perſicos, Græcos, Latinos, Juridicos, Hiſtoricos, Poeticos, Grammaticos, Geometricos, Aſtronomicos; hæc omnia (inquam) intra ſeptennium hoc ſupremum non aliena, ſed ſua dederunt Academici Oxonienſes, quin & adhuc majora pollicentur. Hæc illi ſi viderint, cupimus certè ut de iis cenſuras ſingulatim ferant; ſi non viderint, æquum eſſet ut à præjudiciis iſtis atque præſumptionibus, imò calumniis, abſtinerent.

Cernit interea E. V. duriſſimā Academiarū conditionem: cernis de utilitate earum atque dignitate importunè invectam iiſque ingeſtam controverſiam, cujus quis finis aut exitus eſt expectandus? quem (quæſo) judicem appellare poſſumus, ut de rerum noſtrarum ſtatu, de utilitate Academiarum aut inutilitate ſtatuatur? Nūquid viros in ſingulis excellentes appellabimus? In Theologia, Jure, Medicina, Linguis, Scientiis præſtantiſſimos, utpote ea profitentes, ſingulos ſingula? Non ſtabunt eorum judiciis, hauſerunt ab Academiis iſta (inquiunt) omnia, quare non eſt illis (minimè nimirū ingratis) hâc in re credendum. Quid igitur? num ad plebem ipſam & vulgus eundum eſt? at neſciūt literas.

Imò verò magno providentiæ divinæ beneficio

INDEX CAPITUM.

SECT. I. De Computatione Hobbiana.

CAP. *Præfatio.*

1. *Enumeratio Librorum eorum quos in Philoſophia edidit Hobbius, eorumque per notas deſignatio. Cenſuræ Hobbianæ de reliquis Scriptoribus nonnullæ. Judicia item de ſuis. Suſcepti operis deſignatio, ejuſque una & methodi propoſitio.* pag. 4
2. *De Philoſophiâ.* 14
3. *De Vocabulis, ubi de univerſali, & Subſtantia incorporea.* 26
4. *De Propoſitione, ubi de Veritate & falſitate.* 39
5. *De Syllogiſmo.* 49
6. *De Erratione, Falſitate & Captionibus.* 52
7. *De Methodo, ubi de Analyticâ Geometrarum nonnulla.* 57

SECT. II. De Prima Philoſophia.

CAP.

1. *Animadverſiones in Hobbii caput ſeptimum libri de Corpore, de Spatio, Tempore, Contiguo &c.* pag. 64
2. *Examinatur operis Hobbiani de Corpore caput octavum, de definitione Corporis, Accidentis, Loci &c.* 72
3. *De Cauſa & Effectu, de Potentia item & Actu, quæ ſunt operis Hobbiani (de Corpore) capita 9 & 10, ubi de Neceſſitate & Contingentia nonnulla.* 82
4. *De Eodem & Diverſo.* 91
5. *Conſiderantur cap. 12. de Quantitate & 13 de Analogiſmo. Et Primæ ejus Philoſophiæ finis imponitur.* 100

SECT. III. De Phyſica Hobbiana.

CAP.

1. *Examen capitis 26 libri de Corpore, quod eſt de Univerſo & Syderibus.* pag. 110.
2. *De Luce, Calore, & Coloribus.* 153
3. *Examen cap. 28. de Frigore, Vento, Duro, Glacie, Flexorum reſti-*

reſtitutione, Fulgure & Tonitru. pag. 163
4. *De Sono, Odore, Sapore, Tactili.* 174
5. *De Gravitate.* 181

SECT. IV. De Homine Hobbiano.

CAP.
1. *De Senſu, & Phantaſmate.* 196
2. *De Imaginatione, ubi de Memoria, & Somniis.* 210
3. *De Diſcurſu.* 225
4. *De Comparatione Hominis & Bruti ex ſententiâ Hobbianâ.* 241
5. *De Animi humani naturâ ejuſque duratione.* 260

SECT. V. De Cive Hobbiano.

CAP.
1. *De Homine, ut eſt in ſtatu Naturæ, ex Hobbii ſententia. De Præ-Adamitis nonnulla. De Lege item Naturæ, ſeu regulis Boni & Mali.* 281
2. *De Imperii limitibus ejuſque origine, Sententia Hobbiana examinatur.*

SECT. VI. De Religione Hobbianâ.

CAP.
1. *Ubi quæritur, an doctrina Hobbiana ſit Chriſtianæ Religioni amica, vel inimica.* 315
2. *De Religione in Univerſum ex ſententiâ Hobbianâ inquiritur.* 332

amore (quod antiquorum uni aut alteri ſolenne fuit) exponis, atque interpretaris; linguam non ſolùm Romanam, ſed & Græcam calles univerſam, nulloq; habes diſcrimine *Philoſophiam* univerſam, non antiquorum modò, ſed & recentiorum penitiſſimè perſpectam habes; imò verò & *Anatomiam* quam cominùs creberrimâq; αὐτοψίᾳ non ex libellis, verùm ex ipſo corporum ſectorum intuitu didiciſti: Medicinam univerſam non intelligis modò, verùm & (humani generis amore) magnâ (ut aiunt) felicitate exerces. *Geographiam* non modò intelligis, & στρατηγητικὴν, verùm *Mathematicas* omnes: neq; autorum lectione contentus, aut intellectione, obſervationes inſtituis *Aſtronomicas*, paratis ad hanc rem inſtrumentis præſtantiſſimis, omnibusque neceſſariis ſubminiſtratis. Atque in his ſingulis (aliiſque forſan) ita eruditus es, ita ab imis fundamentis inſtructus, uti ſolent præclariſſima hominum ingenia, cùm ſe uni alicui impenſiùs dant ſtudio, in eo aliquando excellere. Atque hæc omnia viro alicui contigiſſe, quis non miretur? Viro Nobiliſſimi generis ſplendore, in maximâ & quaſi regiâ rerum omnium rerum abundantiâ collocato; viro ſummâ humanitate, atque in bonos omnes præcipuè litetatos benevolentiâ, quis non gaudeat & triumphet? Quare nemo deinceps mirabitur ad E. V. nunc Academiarum nomine me venire,

ut

ut veſtrum ipſis patrocinium ambiam, benevolentiam invocem: falluntur enim (Heros nobiliſſime) qui exiſtimant mei ipſius, hujuſve exercitationis gratiâ inſtitutam hanc orationem fuiſſe; novi ipſe certè quàm ſit hæc impar tanto patrono, ipſeque certè modeſtior ſum quàm ut rei tam impolitæ, imò ludicræ, defenſioni tantum numen conciliare velim: imò verò audiam ipſe quodcunque huic Academiarum Antagoniſtæ placuerit: fieri vix poteſt ut abjectius de me meiſve loquatur quàm ipſe ſentiam; neque quia perſonam initio ſuſceptam ſuſtinere neceſſe habuerim, exiſtimabit prudens aliquis atque eruditus, me ita de meipſo ſentire, quaſi hunc hominem eruditione ſuperarem; fateor equidem me permoviſſe Academiarum quas non intelligit, & Religionis quam vix ſatis colit, contemptum, ut oſtenderem abſque omni ratione factum eſſe, ut triumphata hæc eſſe exiſtimaret. Hoc ſi forſan effecerim, ego quod meum eſt vici, de cæteris non admodùm ſollicitus, modò velit Excell: V. inter Clientes obſequentiſſimos humilliméque ſibi devotos, numerare

Sethum Wardum.

Inſigniſſimo Amiciſſimóque viro D. Iohanni Wilkinsio, S. T. D. Collegii Wadhamenſis Gardiano. S.

INſtas mihi (Vir digniſſime) quærendo quid ego, inter tot atque tam diſſentientes plurimorum opiniones, de *Thomæ Hobii*, Philoſophi noſtratis, operibus ſentiam, illúdque expectare ais viros, non de plebe, aut vulgo (quos inter, eos hoc in loco numerandos cenſeo, qui Philoſophiæ atque Mathematicarum artium rudes ſunt, etiamſi aliàs literatiſſimi fuerint) verùm ex aliis primarios, ut de re propoſitâ ſententiam ipſe feram, eámque in lucem publicam ſtatim emittendam.

Quanquam autem multa ſint, quæ faciant, ut nihil tibi poſtulanti, nedum importunè & ſollicitè urgenti, debeam negare, multa ſunt tamen è contrario, quæ ſuadent, ut hoc, ſive oneris, ſive muneris, detrectare velim, &, ſi ſalvo hoc fieri poſſet officio, ut cupiam me imperio aliquantulùm duriori ſubducere.

Res eſt aleæ quàm maximè dubiæ, ad quam me vocas, & quocunque modo geretur, effugere haud potero eorum hominum proterviam, qui, vel in partes *Hobbianas*, vel in adverſas juraſſe, (plurimi) videntur.

Renunciandum erit mihi forſan hac ratione deinceps quieti, quam teneo, quam felicitatis meæ maximam partem judicare ſoleo, atque ad inimicitias atque lites procedendum; ad quas tamen me minimè ſive naturâ, ſive uſu atque exercitio comparatum eſſe ſatis intelligis.

Deſerenda erunt aliquamdiu ſtudia illa, quibus meipſum oblectari ſentio, eritque cogitationum earum tela rumpenda, quibus (in ſcientia illa quam profiteor) inſervire me poſſe aliquo modo hominibus non deſpero, eritque, neſcio quam magna pars vitæ (brevis futuræ) illi tribuendus, cui etiamſi optimè cupiam, iſta tamẽ chariſſima me debere, nõ ſatis habeo perſpectũ.

Suſcipiendus eſt labor, judicio noſtro durus, ſuo verò improbus, ut ſententiam illius perfectè intelligere poſſim, ut mentem eruere, ut ea quæ diſſita ſunt & diſperſa, in conſpectum unum producere, & ſedulò queam comparare, ut ſincerum hoc modo fiat ſive noſtrum ſive lectorum (ſiqui futuri ſint) de rebus ſuis judicium, nè noſtra, quæcunque futura, ſit ſententia, non tam ex ſuis enata atque exoriens, quam ex noſtris ſenſibus præſumptíſque judiciis prolata, fuiſſe videatur.

Induenda nobis erit pectoris quædam durities, animuſq; obfirmandus eſt adverſus bonorum hominum querelas, qui Eruditorum exercitationes hujuſmodi veluti bella quædam civilia intueri ſolent, eáque piâ quâdam lamentatione gemitúque ſerio excipere; illudque non ſine cauſa occinere, uniendas eſſe atque conjungendas eruditionis atque eruditorum hominum vires; eaſque omnes adverſus ignorantiæ atque ingruentis barbariei indomitum robur conſtringendas, quin diſſimulandos eſſe eorum hominum lapſus, qui boni aliquid in communem Scientiæ acervum attulerint. At-

Atque ego quidem iſta, atque alia ejuſdem farinæ tibi regerere ſolebam excitanti atq; provocanti me ad militiam hanc Philoſophicam ſuſcipiendam: imò verò & iſtud, præreptum eſſe mihi atque præoccupatum illum locum ubi non ſine laude forſan aliqua, certè non ſine decoro me exercere poſſem, Mathematicas aliquas diſciplinas profitentem. Atque hæc omnia non eſſe ratione vacua; cum ipſe judicem, tu interim ea difflare ſoles, & neſcio quo modo efficere authoritate eâ quâ plurimum apud me vales, ut plus ego tibi afferenti tribuam, quam mihi ipſi rationes afferenti. Illud nimirum noſtris omnibus ſoles reponere, hoc unum, *temperanter rem gerere*, ſcrupulis meis omnibus ſatisfacturū eſſe, neque enim hoc modo aut inimicitias meritò contrahendas, aut ſtudiis tempus nimium detrahendum; non hoc modo aut crabrones excitandos, aut bonis viris moleſtiam creandam eſſe, atque ego quidem, neſcio quo modo iſta, quoties à te audio, aſſentior, à colloquio verò ſtatim recedens, meditari denuò incipio, quàm ſit difficile incommoda iſta à me enumerata, rigidáſque diſſentientium cenſuras, vel effugere, vel non mereri; quam ſit difficile contentionis modum, ſicubi ab ipſo diſſentire contigerit, tenere; imò ſi modo ex ſententiâ tuâ, Philoſophia *Hobbiana* proceſſerit, quàm ſit difficile *Satyram non ſcribere*, à qua tamen, viro cuicunque ingenuo, etiamſi provocato, abſtinendum eſſe judico. Cernis (vir digniſſime) quam ſit mihi mens pendula, & quanta me teneat hæſitatio, ſubeundi fluminis profunditatem, atque frigus (puerorum inſtar) ad ripam, contemplantem. Geram tamen, ut potero, tibi morem mihiq; interim genioq; meo pauliſper valedicam, fave tu modo, amicumque tuum, quâ vales autoritate, adverſus lividos ſciolosque, defende, neque patiaris, ut

malevolentiæ hoc tribuant ii, quibuſcum tibi verſari contigerit, quod à me extorſiſſe noveris plurimorum vota atque conſilia amicorum.

Cap. I.

Enumeratio Librorum eorum quos in Philoſophia edidit Hobbius, *eorúmque per notas deſignatio. Cenſura Hobbianæ de reliquis Scriptoribus nonnulla. Judicia item de ſuis. Suſcepti operis deſignatio, ejuſque una & methodi propoſitio.*

IActa igitur ſit jam tandem alea, nobiſque fas ſit in tanti Hierophantæ myſteria aliquantulũ penetrare, ejuſque ſacra, quæ à communi hominum ſenſu, arte quadam ſubducta ſunt, in lucem proferre, atq; tandem in illa, more Philoſophico, inquirere: hâc autem in re quoniam efficere nullo modo poſſumus, quin erumpat, atque legentibus ſeſe oſtendat (illa, quam fovere ſolemus atque profiteri) libertas Philoſophica; ne quis, hac occaſione de conamine noſtro duriùs, ſentiat, illud initio ſtatim hujus Exercitationis præmittendum eſſe duximus, ſolere & ipſum *Hobbium*, ligonem non alio quam ſuo Nomine vocare, non illum ſolere, vel à ſeveriore aliorum hominum notatione abſtinere, vel à laudibus, quas ſibi deberi judicat, ſibi ipſi (pro jure ſuo) ſumendis temperare.

Editi ſunt ab ipſo, vel illo ſaltem annuente, intra paucorum ſupra elapſorum annorum ſpatium, Idiomate partim Latino, partim Anglicano (præter illud, à *Marino Merſenno* inter cogitata Mathematica editum de Refractione, opuſculum) Hi libri, *De Cive* (quem C. notâ deſignare in citationibus decrevimus,) *De Homine* libellus Anglicus (H,) *Leviathan* (L), *De Libertate & Neceſſitate, adverſus Bramhallum Epiſcopum*; uterq; Anglicè ſcriptus (N), & tandẽ *De Corpore*, (c): quibus

quibus adjungere licet objectiones tertias in Meditationes Metaphyſicas *Carteſii*(o): quos libros mihi perlegenti contigit, loca plus centū notare, ubi ingenii ſui ac indolis ſpecimina, vel in alienis, vel in ſuis cenſendis effert; horum aliqua (libris atq; paginis ipſis laudatis) in exercitationis hujus limine proferre mihi animus eſt, ne quis à nobis deinceps libertatis noſtræ (quę tamen non immodicam ſpero futuram, aut in licentiam inhumanā prorupturā) rationes Apologeticas requirat.

Ne quis enim igitur in cenſuris ferendis parcum eſſe nimis exiſtimet, ad opera ipſa *Hobbiana* provocamus, quæ non patiantur, ut aliquid ultra, hoc in negotio requiratur: ſi quis etenim vel generales omnium, ſive Philoſophorum, ſive hominum, vel ſpeciales, Gentium, Tribuum, Rerum: vel ſingulares, Antiquorum, Recentium, cenſuras expetat: dabunt hæc abundè ſcripta hujus viri, facientque, ut nihil uberiùs ab ipſo, hoc in genere orationis, deſideretur. In Epiſtola ad Excellentiſſimū Devoniæ Comitem, libro de Corpore præfixam, *Philoſophiam Civilem, libro ſuo de Cive non Antiquiorē fuiſſe aſſerit:* hoc parum. *Nullos fuiſſe apud Antiquos Græcos neq; Phyſicos, neq; Civiles, verecundè profitetur, quin eſſe verſatum in Antiqua Græcia phantaſma quoddam, intùs plenum fraude & ſordibus: verbo, non niſi ſpectrum quoddam, Empuſæ Athenienſi (pedibus altero æneo, altero aſinino) ſimile, pro Philoſophia ab Antiquis cultam* diſertè pronunciat. Malè certè metuo, ne bilis tibi modeſtiſſimo maximoque ingenuo viro, in doctiſſimorum atque profundiſſimorum (*Hippocratis, Democriti, Empedoclis, Ariſtotelis,* aliorúmque ſeculi eruditi Philoſophorum) cauſa moveatur: verùm continendus eſt tibi pauliſper animus, donec cætera ante oculos poſuero.

Hæc quidem hactenus generalia, cóque nomine

 neminem

neminem laceſſere,ad neminem pertinere ſentire poteſt: hoc eſt,nempe,quod in quæſtione de læſis ab ipſo Academiis,regerere eum ſolere audio, ea quæ omnes ex æquo tangunt neminem attingere. Vis igitur ut de eruditorum hominum Tribubus loquentem eum audias de *Scholaſticis*, de Theologis, de Scholis, atque totius terrarum orbis Academiis.

Scholaſticorum *abſurdos* eſſe ſermones aſſerit, *nihilq; ſignificantes*, ipſóſque *deceptos* eſſe & *decipientes*: *circumforaneis* iſtis *nebulonibus* confert, quos *Ægyptios* vocamus, eorúmque loquelam linguæ, ab iis ad animorum ſenſus ſceleratos ab aliis hominibus tegendos,excogitatæ. L. 11.17. 21.

Quod ad ſcientiam illorum attinet, illud ſemel pronunciat (L. p. 379.) *nil aliud ferè eſſe Scholaſticorum ſcripta,præter ſeriem quandam vocum peregrinarum & barbararum minimè q; intelligibilium*. Ipſos autem iſta ſcribentes *inſanos* prorſus eſſe judicat (L. p. 40.) temporis ſpatiola illa quæ *libidini* impendunt, *lucida eſſe eorum intervalla*, (ea vero quæ vel diſputando vel ſcribendo inſumunt furoris habere paroxyſmos.)

Verùm, eſt forſan (à Scholaſticorum aliquo provocatus, vel quod ſubtilitatem eorum attingere non poſſit, vel alio aliquo nomine) ipſis paulò iniquior, atque propenſior interim Theologis aliis, iis nimirum,qui vel Scripturas interpretantur, vel Conciones ad populum inſtruunt. Aſt ego cavendum eſſe tibi moneo,nequid tale expectes.*Opiniones* etenim *paci atq; regimini pernicioſa* (*in hiſce mundi partibus*) *ex linguis cal-milq; Theologorum indoctorum exortæ ſunt, qui verba Scripturæ, modo rationi minimè congruo,componentes* (*quantum in ſe eſt*) *efficiunt, ut credant homines conſiſtere non poſſe rationem atque ſanctitatem* (L.p. 169.)

169.) Quæres fortaſſe quænam ſint iſtæ, de quibus loquitur, opiniones: quanquam non ſit adeò tempeſtivum hoc loco iſta referre, de quibus fuſiùs erit alibi agendum, dicam tamen, ut iſta, tam periculoſa ſi judices, poſſis effugere, ſin minus, de Philoſophia Hobbiana rectiùs judicare. Sunt autem illæ tres. 1. *Poſſe etiam privatos homines de bono & malo judicare. 2. Peccatum eſſe quod fit reclamante conſcientia. 3. Fidem & ſanctitatem non eſſe ſtudio & ratione, verum inſpiratione vel infuſione ſupernaturali acquirenda.* Hujuſmodi plura apud ipſum ubique invenies. Verùm in præfatione, opuſculi de libertate & neceſſitate, quam vel ſcripſiſſe eum vel probaſſe conſtat, ſaltem improbaſſe nullo modo conſtat, videbis ipſum in Theologos omnes, ſatis pro ſua & ſuorum modeſtia, triumphantem. *Quis* (inquit præfationis iſtius author) *eventus eſt tot Concionum, Doctrinarum, Prædicationum, Exercitiorum, Conventuum, Diſputationum, Collationum, Conventiculorum, librorum editorum? Nempe ſeminaria hæc ſunt rixarum & controverſiarum inutilium* (p.5.) & paulò poſtea (p.9.) hoc ſuſcipit, *plus illum tribus Chartæ ſchedis in quæſtionibus de prædeſtinatione, libero arbitrio, gratia &c. præſtitiſſe, quàm voluminibus tot ingentibus, Preſbyteros omnes atq; miniſtros, quin eſſe in univerſum homines iſtos nigellâ amictos tunicâ, ſartorum genus ærariorum, plus in conſcientiis rimarum facientium quàm invenerint ad opus accedentes. Imò tandem, habere illud opuſculum* (certè tenue ſatis) *quod labem injiciat æternam pileis Jeſuitarum & Preſbyterorum angularibus* (p. 13.) *imò & iſtis ſive albis, ſive atris Miniſtrorum.* Habes itaque ſuam, de cæteris Theologis præter Scholaſticos, ſententiam. Expectas, ut dicam quid de Scholis ſentiat atque Academiis, quarum pars aliqua ſumus ipſi. Quanquam animus me-

meminiſſe horret, luctuque refugit: quis etenim matris ſuæ opprobrio immotus referatur? obfirmabo tamē eum, hujuſque viri de iis omnibus judicium proferam. Verùm, quid eſt, quod à Scholis expectare poſſit aliquis (Etymologicis ſaltem rationibus aſſuetus) cum ab *otio* atq; garrulitate, nomen ipſæ traxerint ſuum (l. p.368,369.) ſuamq; originem; cum decātata per multa retro ſecula, ipſiq; æternitati conſecrata Academia *Stoa Lycæum*, nil aliud fuerint, quam ſenum otioſorū, ſeductæ atq; deſidioſæ juventutis Ambulacra? (ibid.) Imò verò, inquit, *Quæ unquā fuit Scholarū utilitas? quanā eſt iſta ſcientia quæ noſtris temporibus* (Academicorum) *ſive prælectionibus, ſive diſputationibus acquiritur. Geometriam, ſcientiarum omniū matrē, Scholis non debemus; Philoſophia naturalis* (eorū) *ſomnium eſt merum, vocibus iis deſcripta, quibus ſenſus non ſubeſt ullus: Moralis eorum Philoſophia, non niſi deſcriptio eſt affectuum ſuorū: Logica captiuncularum faſciculus, verborumq; eo fine inventorū ut intellectū implicent & ſtupefaciant.* (l. 370) *Scholæ per univerſum orbem Chriſtianum viſionem fieri per ſpecies viſibiles: Auditum per ſpecies audibiles, quin intellectum per intelligibiles, docent* (l.p.4.) nempe harum omnium rerū totiuſq; ſcientiæ naturalis rudes) *Doctrina politicæ omnino impares eſſe, ideoq; ab ipſo docendas profitetur* (L. p. 180.) Quin ut rumpamus tandem faſtidioſam hanc, tuiſq; auribus moleſtam nimis orationem. *Philoſophiæ ſtudium nullum omnino in Academiis aut ſcholis locum habere dicit, niſi ut ancilletur Romanæ (ſeu papiſticæ) Religioni.* Geometriam (ante tēpus nuperrimū) nullū omnino ibi locū inveniſſe, quin *Geometras magos* habitos ab Academicis, *artemq; eorū diabolicā*, L p.370.) Tandemq; Academias ipſas, *Lamiarū Lemurumq;* officinis conferēdas eſſe cenſet (L.386.)

Scio permotum eſſe jam tibi ſtomachum, & te maximè velle, ut reprimatur iſta hominis ferocia, melio-

rem in frugem ut redigatur;verùm nollem ego quenquam hominum,cui benè cupio, hoc ad opus importuniùs urgere; nôſti ſat,ſcio,fatum *Vindicis Academiarum*, quanta & paſſus eſt, & forſan paſſurus,eo ſolo nomine,quod pede (uti exiſtimavit) impuriore conculcari noluit Academias,nempe cornu ferit ille, cavendum eſt. *Pejorem ego hominem magiſq́; verſutè malum, nunquam edepol quenquam vidi, quam hic eſt ſimia. Nimiſq́; ego illum hominem metuo, & formido malum, ne malus item ergà me ſit, ut ergà illum fuit.*

Illi certè(Vindici)robur,&æs triplex circa pectus erat,qui auſus eſt leonem hunc expergifacere,qui auſus eſt maculas notaſq; Almis Gentis noſtræ Academiis inuſtas eluere,ſimulq; oſtendere,falli aliquando hunc virum,eaq;aſſerere,quæ defendere nullo modo poſſit; qui auſus eſt indicare,ubi eorum aliqua invenirentur in ſcriptis aliorū preſſis & expreſſis,quæ tamē ipſe ſibi vendicare viſus eſt;qui auſus eſt evincere Geometriā, quā habemus,nos ſcholis debere; qui auſus eſt prædicere & vaticinari, non eum erepturum fuiſſe Apollonio,magni Geometræ nomen,quod aſſecutus eſt,quin inter Tetragoniſtas, qui capite doluerint, inſignem fore. Hæc & alia quia auſus eſt ejuſmodi, nôſti quid homini acciderit, nempe ut audiat huic viro mendax, ſtultus, ſceleratus.

Verùm nollem egò vindicem iſtum,quicunq; fuerit, animo nimis deſpondere, nempe facit ille pro ingenio ſuo,&iniquum foret expectare,ut,cujuſquam mortalis gratiā indolē ille ſuā deponeret. Nempe hic idem eſt, qui *Græcos* ſimul *Latinoſq́;* Autores,*Politicos*,*Hiſtoricos*, rabido cani(certè metuo ne morſus fuerit) conferendos eſſe cenſet(L.170,171.) *Cedite Romani, Scriptores cedite Graii. Ariſtotelis Metaphyſicis nihil abſurdius* eſſe poſſe, *Politicis* ejuſdem *nihil Imperio repugnantius*, & tandem, *Moralibus* ejuſdem *nihil imperitiùs*

aut rudius eſſe affirmat. (L.p.370.)

At forſan offendit eum ipſa Autorum illorum antiquitas, illudque habet hic vir jam ſeneſcens, (*atq; adeo ætate provectior, quam fuerint Scribentes ii, qui in honore habentur.* L.395.) ut hactenus laudatis infeſtus ſit, quod illum multis ſæculis præcedentes, venerationem præmaturam ſolâ ætate ſint conſecuti; imò verò ſive veteres fuerint, ſive moderni, ſive Philoſophi, ſive Theologi, (quos maximè omnium odio habet) ſive tandem Juriſtæ, Pyrgopolynicis inſtar, flatu uno eos omnes proſternit. *Sauretius* illi *inſanus* audit, (L.39.) *Dn. Ed. Cocus Miles*, quem plurimi noſtratium, velut legis Anglicanæ oraculum, venerantur, *inter ſtultos Legiſtas* ab eo numeratur. (L. p.140.) Verùm tædet me hac in re diutiùs morari; hæc hactenus pro ingenii atque indolis Hobbianæ ſpecimine ſufficiat collegiſſe: proximum eſt, ut quid de ſeipſo & ſuis operibus ſentiat, deinceps dicamus.

Atque hic quidem cavendum atque metuendum tibi mihíque eſt, ne quid humile aut moderatum, ne quid non magnificum, imò divinum de *Thomâ* noſtro ejuſque ſcriptis ſentiamus; ne forſan eum inter *homines* aut Philoſophos, qui humanum aliquid pati ſolent annumeremus. Certè, æquum eſt, ut putemus eum, & ſeipſum & ſua penitiùs quàm nos poſſumus, intelligere, quærenda igitur atque anxiè inveſtiganda eſt ipſius de ſeipſo ſententia, ne quid forſan judicii errore in illum committamus. Primum autem, ſuſpiciendus eſt ille, tanquam *omnis Philoſophiæ, tum Civilis tum etiam Naturalis, vel primus vel ſummus Autor atq; inventor*, tanquam Empuſæ, tum Philoſophicæ tum etiam Theologicæ, abactor, atque profligator, (Ep.c.) quod eſt certè honores non humanos & ſobrios, verùm divinos meruiſſe. Hinc certè enata illi ſpes eſt, ut

pro

pro Academiarum (quæcunque per univerſum terrarum orbem ſparſæ ſunt & diſſeminatæ) doctore legitimo habeatur; ſola ad hanc rem apta ſunt, ea, quæ ex ingenii ſui ſcriniis educta ſunt, φιλοσοφήματα. Leviathanis (Cap. 30. p. 180.) has ipſe movere dignatus eſt quæſtiones. *Annùm Academiæ Anglicanæ ſatis eruditæ non ſunt, diſciplinam Civilem ut doceant? Annùm tu ipſe es,* (Thoma) *qui ſuſcipies Academias inſtruere?* quarum ad primam reſpondet, *neſcire ipſas veram doctrinam ſeminare,* omninò κατηγορικῶς. Ad alteram, *non neceſſe eſſe, ut vel affirmando vel negando reſpondeat, unumquemq; enim, qui ad id quod facit, attenderit, facile percepturum quid eâ de re cogitat.* Verùm hæc rectè aliquantulùm & modeſtiùs quam ſolet; vis igitur eum clarè atq; remotis ambagibus ſuum ſive judicium ſive ſpem conceptam enunciare. *Librum illum* (Leviathanem) *utilem eſſe judicat ut imprimatur, utiliorem autem ut in Academiis doceatur.* (L. p. 395.) fortaſſe; neque dubitandum eſt, quin plures hoc idem de ſuis ipſorum libellis atque inventis judicent. *At ipſi ſpes eſt, futurum aliquando ut in Magiſtratus ſupremi alicujus manus incidat iſte liber, qui imperii abſoluti atque integri exercitio, facturus ſit ut publicè doceatur.* (L. 193.) atque hoc quidem fortaſſis, tuo judicio, ſatis pro dignitate ſuâ, ſatiſque pro imperio quod ambit Philoſophico, neque tamen portentoſum, aut quod reliquorum (ſi ſibi daretur optio) hominum vota ſaltem atque deſideria excedat.

At nondum, crede mihi (vir amiciſſime) ſupremum illius ſcopum ſummamq; ambitionis ἀρχὴν cogitando attigiſti; cenſes forſan Hobbeo noſtro ſatisfactum iri, ſi in porticu ac Lycæo, ſi forſan in Triviis ac Scholis; verbo uno, ſi in ſubſelliis Philoſophorum, ſtudioſæ juventuti exponatur, eiq; , depulſis reliquis omnibus,

nibus, magiſter unicus imponatur, imò verò parva ſunt iſta, ſi cum votis *Hobbianis* conferantur: conſcendendum eſt ſuggeſtum, ipſoque ex pulpito, unde ſacri ſermones ſolent, inculcanda eſt hominibus, à Concionatoribus ſacris, ipſius doctrina, illudq; vel Evangelii ipſius loco veteris, vel tanquam Novum Evangelium. Magna (inquis) narras, atq; inexpectata, eaque, quæ de Antichriſto vel legere ſolemus, vel audire. Tu igitur dic, obſecro, quis ſit ſenſus hujus orationis (Leviathanis c.30. pp.176,177.) ubi poſtquam hæc ſibi objeciſſet, (nam ipſe ſibi audet aliquando (quædã leviora) objicere) *Nõ eſſe quenquã doctrinæ ſuæ civilis* (ſublimioris) *capacẽ*. Reſpondet, *Nũ eò adduci poterũt nationes integræ, ut in myſteriis Religionis Chriſtianæ, quæ rationem excedunt, acquieſcant— Et non poterunt homines inſtitutione & prædicatione (quâ lege protegatur) efficere, ut accipiatur eâ doctrinâ* (nempe Leviathanis) *quæ eſt tam rationi conſona, ut apud homines præjudicio non laborantes, non ultra opus ſit ad eam diſcendam, niſi ut quis auribus eam percipiat?* Quin igitur tandem opinor, fidem liberavi, neque magnoperè mirandum eſt, pro Mago eum aliquando habitum: quid enim obſtat, ut Deum ſanctum ſe eſſe prædicet: ego certè in animo jam nunc habui, ut eum, nõ *Thomam* deinceps vocarẽ ſed *Simonẽ*.

Sed tamen amoto quæramus ſeria ludo.

Unde inquies, hos animos ſibi ſumpſit hic vir, quem nos mortales mortalem eſſe credidimus, Malmesburiæ natum, ut aliæ infantes ſolent, ibique lacte primùm enutritum, deinde flagris exceptum pro ingenio & fato reliquorum puerorum, denique non eum magis eſſe *Jovis* ſobolem credidimus, quam Amphitruonis. Diſcendum eſt unde hos animos. Nempe, *Si quid poſſint rei tractandæ dignitas & utilitas, tractandi recta methodus, cauſa & conſilium in ſcribendo probum, ſcribentis*

tis

tis deniq; moderatio, ea omnia lectoribus pollicetur (in præfatione libri de Cive, qui omnis eſt liber in Leviathanẽ conſcriptus, hæc itaq; de illo etiam libro intelligenda) *Officiorum civilium Elementa evidentiſſimâ demonſtrat connexione* (ep. de C.) *libros ipſe ſcribit* (non ut ſolent cæteri) *nervoſos, utiles, non vulgares* (ibid.) *Non diſſerit ille* (quod reliqui mortales ſolent) *ſed computat* (Præf. C.) Res unica eſt, quam in libro de Cive non demonſtratã, ſed probabilitèr poſitam eſſe confitetur, in libro autem de corpore, *omnia eſſe legitimè demõſtrata confidit* (c.ep.d.) Imo pollicetur ejus nomine *Marinus Merſennus* (ep. ad *Sorberium* libro de Cive præfixa) quod ab ipſo accepiſſe cenſendum eſt) *nos viſuros Nobilem illã Philoſophiam* (Hobbianã, *non minus quã Euclidis Elementa demonſtrari.* Hæc certè ea ſunt, quæ ſecum dum recolit, altiorq; meditatur, excitatus eſt ipſi animus excelſus atq; magnus, ut de reliquis omnibus ea loquatur, quæ nos ſupra commemoravimus, ſcilicet, ut ludibrio habeat, & contemptui, quicquid eſt uſpiã hominũ, ſe verò ipſũ dæmonẽ, aut ſaltẽ heroëm, faceret, cœlóq; locaret. —*Mediis* (inquit) *videor diſcumbere in aſtris*

Cum Jove, & Iliaca porrectum ſumere dextra
Immortale merum.

Nunc autem quid vis me facere, decus meum? num adverſus demõſtrationes pugnare (quod eſt caput rupi objicere) non (inquis,) verũ experiri modò, an demonſtrationes ſuæ ejuſmodi ſint, qualia ea eſſe ſolent argumenta, quæ nos ſolemus Academici, nomine tã præclaro inſignire. vis igitur hoc ſaltẽ, ut omnes ejus libros excutiam, eoſque ad examen ſeriatim reducam. Neque verò hoc ipſum præſtare poſſum, non ſolum, quia multi ſunt, & eos defendit numerus, verùm quia ſolet ille res ſuas coquere & recoquere, ita ut vix aliquid in ſuis libellis reperiri exiſtimem (Geometrica iſta & Phyſica in libello de corpore ſi excipias)

quod non bis térve variis in libellis variiſq; linguis repetatur. Fieri igitur nullo modo poteſt, ut libros ſuos omnes ordine perſequar eo, quo ſcribuntur, ne moleſta ſit tibi nimis Crambe recocta.

Quinimò hoc, ſi tibi libitum fuerit, facturus ſum, in Philoſophiæ Hobbianæ (certa ad capitula reductæ) Fundamenta quam potero breviſſimè inquiram, miſſâ omninò Geometriâ ſuâ, quam pro dignitate exceperunt in Elencho Geometriæ Hobbianæ, Collega meus *Johannes Walliſius* S. T. D. vir doctiſſimus, & in animadverſionibus ſuis. v. cl. *Andreas Tacquet*: Miſſaq; uberiore inquiſitione in tractatulum de Libertate & Neceſſitate, quem ſibi reprimendum ſumpſit R. *Bramhallus* ab ipſo provocatus; cætera autem, favente Numine, hoc ordine diſponam. Nempe ut dicatur

1. *De Dialecticis.*
2. *De prima Philoſophia.*
3. *De Naturali Philoſophia.*
4. *De Hominis natura.*
5. *De Civilis diſciplinæ Fundamentis.*
6. *De iis quæ ad Religionem propiùs ſpectant.*

In iſtis ſiqua minùs mihi legenti ſatisfecerint, diſſenſus mei rationes quàm potero breviſſimè & modeſtè explicabo. Iſta autem tria priora de Dialecticis, Metaphyſicis, & Naturali Philoſophiâ, ad ſeriem & methodum libri ſui de Corpore, proſequemur.

Cap. 2.

De Philoſophiâ.

EXordiendum itaque eſt à Dialecticis iiſq; quæ ad Philoſophiam univerſam pertinent, Miraberis

forſan

forſan virum hunc, qui naturæ à ſecretioribus conſiliis haberi perpetuò ſatagit, iſta tenuiora, ab infinito Scribillatorum numero tractata, non omiſiſſe; verum non deſunt ipſi hujus rei rationes eæque plures, utpotè, myſteria ab ipſo explicata ut capiant homines, fingendam eſſe ab ipſo mentium humanarum ratiocinationem: hinc etenim eveniet, ſi homines eodem modo prorſus ratiocinentur, quo ipſe ſolet, eadem cum ipſo ſenſuros eos eſſe. Neque de demonſtrationum ſuarum viribus quicquam detracturos, hoc primum regerere poteſt, verum & illud *In tenui labor at tenuis non gloria.* At at non ille opus habet iſtiuſmodi excuſatiunculis, non ille res tractat, uti cæteri mortales ſolent: at at *In nova fert animus*

Avia Pieridum peragit loca nullius ante
Trita ſolo: juvat integros accedere fontes
Atque haurire, juvatque novos decerpere flores
Inſignemque ſuo capiti petere inde coronam,
Unde priùs nulli velarint tempora muſæ.

Hoc ipſum nempe eſt, quod Coronidem Leviathani imponit, *redire ſe ad intermiſſam* (diutiùs reverà quam par erat tanti nominis Philoſopho) *corporum contemplationem, ubi non minùs eſſe placituram ſperat operis novitatem, quam in opere civili diſplicere ſolet.* Ecce quid ille pollicetur, eccùm autem eum promiſſa implentem. Nonne vides titulum ipſum eſſe novum? (*Computatio ſive Logica*) Solebant hactenus autores trito vel *Logicæ* vel *Dialecticæ* vocabulo ratiocinandi artem inſignire. Non ſic Æacides. Dices tu forſan Computationem potiùs *Logiſticam* eſſe dicendam quam *Logicam*, iſta nimirùm potiùs ſe mutuò referre vocabula, atque ita perpetuò ea reddere ſolere Mathematicos; quaſi verò ipſe Mathematicus non ſit, quæſo te fibræ tuæ rigorem aliquantulum remittere, certè

ſi

ſi Mathematicus non fuerit, fruſtra ab illo vel philoſophiam naturalem, vel Logicam (ſive Computationem) expectabimus. *Fieri non poteſt, quin ſomnum, eumq; linguâ prorſus inſenſatâ explicatum, potius quam ſcientiam naturæ efferant illi, qui philoſophiam docere volunt abſque multa Geometriæ cognitione* (.l. 369.) &, *acquiritur ratiocinandi ars, non præceptis, ſed uſu & lectione eorum librorum, in quibus omnia ſeveris demonſtrationibus tranſiguntur*, Corp. p. 40.

Quin phyſicus ille eſt, (imò primus philoſophorum naturalium) quinetiam λογικώτατος eſt, omniaque demonſtrativè tradit, neceſſum igitur eſt, ut ſit etiam Mathematiciſſimus; novit igitur quid ſit logiſtice tum numeroſa, tam etiam ſpecioſa, ideoque de vocum interpretatione non eſt cum ipſo litigandum. Cernis, ut ultima primis apud eum reſpondeant, quam ſtrenuè evincit, ipſi omnia eſſe credenda aſſerenti, quam ſit iniquum ipſi negare, quod eſt olim Pythagoræ conceſſum (cui omnia numeris tribuenti, rationis omne opus fuit Computatio) ut reclamanti os obſtruat illud, αὐτὸς ἔφη. Neq; ego in hac re multus laboro, at erunt interim, quibus fas erit dubitare (Elenchum quendam jam nuper editum legentibus) an fuerit ipſe omnium mortalium γεωμετρικώτατος, brevique ratiocinio pronum erit concludere, illo ipſo preeunte, pro Mathematicæ ſcientiæ, quæ in illo eſt, menſurâ, de reliquis eſſe ſtatuendam. Neque certè deerunt unquam hujuſmodi quædam ſubmurmurantes, mihi potiùs reſpondendum illis eſt, qui neque nova eſſe admittunt, quæ pro novis ipſe venditat. Nam neque novum eſſe, quod differendi methodus eadem dicatur eſſe quæ eſt numerandi; Nempe, hoc ipſum Pythagoricis ſolenne fuiſſe, quin Platonem in Epino-

mide

mide notionem hanc fuſius explicare, hoc idem Cabaliſtas paginæ utrique ſuorum operum inſerere ſolere, unde illud quaſi carmen legitimum ab ipſis effuſum *eum omnia neſſe qui noverit numerare.* Fortaſſe! Verum hæc Thomæ forſan inaudita, ideóque ab ipſo pro novis non inhoneſtè venditata.

At arctiùs ea virum urgent, quæ ſequuntur, aiunt eum plurima libello de Corpore protuliſſe, quæ neque ipſi nova ſunt, ſed ſæpius in aliis libellis tradita, quæ etiam in Autoribus, quos reticet, parum variata inveniuntur, atque hæc ipſa non alia ratione, *quàm quia non aliter fiet* (*Avite*) *liber.*

Magna certè pars hujus capitis aliundè deſumpta eſt, ex operibus vel ſuis vel alienis: paragraphe de utilitate Philoſophiæ (viz. 7) omnes ejus ferè libellos antehac parùm variata ornavit; viz: Librum de Cive, de Homine, Leviathanem. Illa de veteribus Philoſophis querela eorumque contemptus quoties in reliquis occurrit? adeo ut clamare illud neceſſe habeant, ——— *Nec dum finitus Oreſtes.* Quinimò, quod dolendum eſt, ipſum libri hujus primum exordium eſt à Leviathanis p. 367, 368. traductum. Nos quid ad iſta dicemus? Sit nobis Amicus *Plato*, Amicus *Thomas*, at magis eſt amica veritas. Quare iſtis omiſſis oſtendemus breviſſimè, quænam ex Nova ſunt, quæ in Capite de Philoſophia effundit.

In ipſo operis limine hæc habet. *Philoſophia, id eſt, Ratio naturalis, in omni homine innata eſt.*

Deinde ſtatim *Philoſophiam* definit *eſſe Cognitionem acquiſitam.* Hoc certè novum eſt, in limine ſtatim diſcurſûs de Logica, experiri juvenum ingenia, an poſ-

ſint ea, quæ ſibi contradicere videntur, recipere; atque ita ab initio, ad myſteria ſimilia ubique ſecutura, eos præparare.

Dices præclarum eum equum fore, qui nunquam ceſpitaverit, concedo hoc quidem, neque tamen amo, hoc, quicquid eſt, in limine impingere; certè aliquid mali ominis videtur habere. Nos cætera intueamur.

Certè novam habet philoſophiæ definitionem.

Ejus explicationem novâ methodo proſequitur.

Nova plurima inter loquendum de philoſophia aſpergit.

Philoſophiam hoc modo definit; *Philoſophia eſt effectuum ſive phænomenωv ex Conceptis eorum cauſis ſeu Generationibus, & rurſus Generationum, quæ eſſe poſſunt, ex Cognitis effectibus, per rectam ratiocinationem acquiſita cognitio.*

Nova eſt hæc planè philoſophiæ definitio, ſi cum reliquorum hominum cogitatis atque definitionibus conferatur; ipſe autem eam (pauló mutatam) tradidit Leviathanis Cap. 46. ſub initiò: ubi inveniri poterunt & ea quæ ſequuntur.

1 Hujus definitionis, primò, terminos explicat & tractat.

2 Diſſerit deinde, ſtylo rhetorico, de philoſophiæ Fine, utilitate, defectu.

3 Tum ſubjectum philoſophiæ exponit, illudque limitibus (facta extraneorum ejectione) coercet.

4 In partes eam dividit.

5 Et cautè admodum concludit.

1 Eſt (inquit) *Cognitio acquiſita per ratiocinationem, ideóque ea excludit, quæ data ſunt à natura;* Ideóque non eſt philoſophia *ratio naturalis,* in omni homine innata; evertit igitur illud, quod in ipſo orationis veſtibulo protulerat. Intereà, excluduntur ex hac definitione

tione *ſenſio & memoria*, quæ homini communia cum brutis eſſe aſſerit contra Carteſium, at nuſquam illud demonſtrat.

At, inquit, *Experientia* (*cum ſit memoria*) *excluditur, ergo etiam prudentia* (*quæ nihil aliud eſt quam expectatio rerum ſimilium ut, quas jam Experti ſumus.*)

Ut de definitione prudentiæ, quæ omninò manca eſt, nihil contendam; annum idem eſt Experientia & habitus expectationis rerum ſimilium &c? annon tibi labaſcere videtur logicus noſter & ratiocinio deficere? Verum, quid ſi memoria hîc eum deſtituat, faciatque, ut ſibi alibi contradicat? In præfatione ad lectores libello de Cive præfixâ ait *Platonem, Ariſtotelem, Ciceronem, cæteroſque philoſophos*, Græcos, Latinos (omnium gentium) deſpecta ab eo capita) *libentèr illud pati, ut reliquarum ſcientiarum ſtudioſi habeantur ingenioſi, imò quidlibet præter prudentes*, nomen autem illud peritiæ civili deberi. Quid autem? Annon *peritia civilis philoſophiæ pars eſt*? Annon ipſe eſt primus Autor *philoſophiæ* (id eſt prudentiæ) *civilis*? Ep.ded. c.

Per Ratiocinationem autem Intelligit Computationem. Quæ jam eſt, quæſumus, differentia inter *diſſerere* & *ratiocinari*? ipſe autem *ſe non diſſerere, ſed computare* prius affirmavit; Sentio hunc hominem memoriâ multùm deſtitui, ſed ſenex eſt, ne ſimus adverſus ipſum moroſiores, quid eſt tandem Computatio? Eſt, *inquit, Additio & ſubductio, &; ſi quis velit, multiplicatio item & diviſio*, (neque contendet, opinor, ſi quis cupit, ut radicum eductiones, & quicquid eſt Algebraicæ Exegetices huc referatur.) Magna, inquis, narrat & plane *nova*; imò, vocabula potius nova, res pervetuſta, lippis jamdiù nota atque (Academicis) Tonſoribus, hæc etenim omnia ſi penitiùs conſiderantur,

rantur, nil aliud ſonant quam compoſitio illa atque diviſio vulgarium dialecticorum. Conſulat, ſi cui ſit otium, exemplum (§ 3.) nihilque inveniet cauſæ, cur hac ratione antiqua Dialectices notatio in novam *Computationis* permutetur.

At, inquit, *non putandum cum Pythagora, computationi in numeris tantum eſſe locum. Nam magnitudo magnitudini, corpus corpori, motus motui &c. addi poteſt adimique:* quaſi mercatores, quia nummos computant & merces, illud in numeris non faciant: imò peractâ hâc Additione vel Subductione, erit iſta nonniſi per viam numerorum intelligenda, neque minus eſt operatio Arithmetica, ſive quis per cyphras, ſive per ſpecies operetur, ſive merces ſive motus reliquáque ab eo enumerata in calculum trahat.

Eſt, inquit, Philoſophia cognitio *Effectuum ſeu Phænomenωn.* Quid illud ſignificat? *Nempe effectus atq; phenomena ſunt corporum facultates ſive potentiæ, quibus alia ab aliis diſtinguimus.*

Jam tandem cernis nova illum protuliſſe. *Philoſophia* eſt cognitio phænomenωn, phænomena ſunt corporum affectiones; ſolet quidem definitio ſua hucuſque *Phyſicæ* antiquorum convenire, quæ pars eſt habita Philoſophiæ, non tamen credita eſt hactenus eam integram exhaurire. Quænam eſt hæc hominis Logicam docentis ἀπειρία illud generi univerſo tribuentis, quod non niſi ſpeciei convenire ſolet?

At, inquies, Philoſophia eſt *rerum* cognitio, res autem ex mente illius non ſunt niſi *Corpora.* Fruſtra itaque Philoſophiam phyſicâ ampliorem quis dixerit. Credo ego quidem hanc eſſe mentem illius, verùm hoc non eſt eum excuſare, niſi quis alicui opprobrium hoc modo tollere velit, dicendo accidiſſe, quod objicitur, non ex errore atque inadvertentia quadam fortuita, verum ex læſis omnino principiis, aut innata

quadam inſania. Oſtendendum erat ab illo primùm, nihil aliud in univerſo contineri præter corpora eorumque motus, ideoque tolli Deum, Angelos, menteſque hominum perennes. Nempe hoc eſt, quod in Leviathane ubique aſſerit, non *eſſe Spiritus*, verùm abſurdam eſſe verborum connexionem, ubi *ſubſtantias Spirituales* in ore habere ſolent Philoſophi. Atque erit in progreſſu (ſpero) orationis, ubi iſtâ de re accuratiùs diſſeretur. Interim hoc in loco ubi ex primis omnia deducere profitetur, iſtud μέγα λίαν ἄιτημα non eviciſſe, ſed poſtulaſſe, hominis in logica ratione non utentis, verum (quod dicimus) abſque hoſpite *computantis*, eſſe videtur.

Verùm eſt & aliud, ubi à communi omnium ſenſu abhorret iſta definitio, etiamſi concedamus (quod eſt nullo modo tamen faciendum) Philoſophiam atque Phyſicam reciprocari.

Nempe *Philoſophiam* eſſe ait *cognitionem Effectuum ex conceptis cauſis ſeu generationibus; & rurſus, generationum quæ eſſe poſſunt ex cognitis effectibus.*

Hoc eſt, *Philoſophia eſt cognitio effectuum ex cauſis quæ eſſe poſſunt; & cauſarum quæ eſſe poſſunt ex effectibus*. Bellè admodum, quis unquam ante *Thomam* hoc judicavit, illud eſſe opus Philoſophi naturalis, ut res non per cauſas earum naturales & certas, verùm efficitus à nobis ipſis uti poſſibiles cognoſcantur. Ego quidem hactenus illud eſſe opus Philoſophi naturalis, ut quo molimine & qua μηχανία proveniant phænomena naturæ, altiùs inquirat atque inveſtiget, exiſtimabam; neq; me ab hoc meo judicio Computiſta dimovit. Certè aliud eſt cauſas rerum naturalium intelligere, aliud hypotheſes excogitare, neque ſolebam ipſe Aſtronomorum ſive veterum ſive recentiorum, (beneficio Excentricorum atque

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Epycyclorum, eorumq; combinatione, corporum cæleſtium phænomena, ſolventium) excogitatas hypotheſes, veluti partem philoſophiæ naturalis intueri: neque credidi aut verum eſſe, aut veriſimile, naturæ conditorem, qui ſolet omnia ſimpliciſſimo opere & maximè compendioſo abſolvere, tot tricis opus ſuum implicaſſe, quinimò in humanæ imbecillitatis ſubſidium ab hominibus iſta fuiſſe excogitata, ut planetarum ſyderumque poſitus vel futuros, quoquo modo, prædicere poſſent, vel dicere præteritos.

Certè (ne forſan excurrat oratio) non hæc conveniet ſcientiæ *naturali* definitio, verum doctrinæ cujvis *hypotheticæ*, ſive hypotheſium inveſtigationi, quæ hactenus Mathematicorum opus judicata eſt, non autem philoſophorum naturalium: quin definitionis hujus exempla ex Geometria peti poſſe aliqua concedo, verum corporum motibus reliquiſque affectionibus (ubi ex materiæ diſpoſitione phœnomena quæruntur) fruſtrà dicimus eam applicari; neque enim Medicus aut Architectus in eo quod eſſe *poteſt*, acquieſcit, quos tamen ex philoſophia operari nullo modo debet negare. Sed de his ſatis.

2 Tempus eſt, ut de Fine philoſophiæ loquentem audiamus, ejuſque utilitate. *Finis, inquit, & ſcopus eſt, ut præviſis effectibus uti poſſimus, & è contra.* Verum quænam poteſt eſſe præviſio, ubi non niſi poſſibilis rei cauſa habetur.

Enumerat (§.7.) *utilitates* quaſdam *Phyſicæ & Geometriæ*; verum non ille debuit iſta ſeparare: cui phyſica eſt hypotheſium inventio, hæc enim eſt omninò Geometria. Ego autem utiliſſimas eſſe exiſtimo, neque novi, qui *Herculem* unquam illaudaverit.

Frui horum beneficio Europeas ferè gentes omnes aſſerit, Aſianos pleroſque, Africanos aliquot, at carere eo

Gentes

Gentes Americanas, cauſamque hujus phænomeni inquirit. *Annum (inquit) illa, his Acutiores ſunt? annon ſunt omnibus hominibus eadem Anima? quid ergo? (inquit) Alteris adeſt, alteris deeſt philoſophia.* Præclarè admodum & rhetoricè. Verum hoc ipſum *philoſophiam inveniſſe* annon eſt acuminis amplioris? quorſum igitur in hujus paragraphes ſequentibus, inſtituta eſt ſui aliorumque importuna & faſtuoſa comparatio, ex Leviathane aliiſq; libellis ſuis corraſa? (vide l. 176. ep.C.) Nolo ego in loco iſto mihi admodum moleſto morari. Feſtinamus ad ſubjectum philoſophiæ, eaque, quæ inde excluduntur. Solent reliqui ſcientiarum ſubjecta in definitionibus comprehendere, quid eſt, quod apud ipſum hæc ſequuntur tam longo diſſita Intervallo? At, inquies, hoc ipſum in definitione continetur, hoc eſſe, quod ex definitione jam ſupra evici, philoſophiam ſuam *nil niſi Corpora* complecti, ideoque cum §. 8ª. aſſerit *ſubjectum philoſophiæ eſſe Corpus*, habendam hanc eſſe pro explicatione *phenomenon quæ eſſe poſſunt &c.* Eum itaque in terminorum Explicatione adhuc verſari.

Fortaſſe! verum quid tum ſibi voluit interpoſita iſta diſſertatio de utilitate philoſophiæ, num licebit mihi ariolari? videbat ſe jam tum ſtrenuè rem ſuam egiſſe, neque potuit à laudibus ſibi debitis abſtinere. *Annon eſt virtus remuneranda?* annon *Honos alit artes?* annon hoc eſt *invidiam augendo ulciſci* (*Ep. De. C.*) Imò verò Thoma, *Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.* Verum (urgebunt invidi) quo nunc evaſit iſtud. *Si quid poſſit tractandi recta methodus, ſi quid ſcribentis moderatio &c.* quæ ſequuntur? multa habet quæ referre poteſt. Locutum illum eſſe tum temporis de opere politico, ibique methodum eſſe neceſſariam, non autem in Logica ſive Computatione, (cujus

jus eſt methodum ipſam docere) verùm ego dicam, quod res eſt. Definitionem hanc tranſcripſit ex Leviathanis cap. 46. at illam quæ ibi eſt, non integram, ſed omiſſâ parte eâ quæ finem atque utilitatem Philoſophiæ (quam illic in definitione poſuerat) complectitur; quoniam abſque verbis iſtis, longam ſatis eſſe definitionem exiſtimabat. Verùm ut ea de cauſa laudes ipſe ſuas negligeret, hoc nulla unquam evincet ratio. Habes itaque ἀμαθίας hujus rationem: progrediendū eſt ad ea, quæ ſunt ex Philoſophia excluſa.

Illud opinor (vir amiciſſime) mecum exiſtimas, quicquid eſt rerum in natura, intra Philoſophiæ ambitum contineri: non hoc volo, illa omnia intra Phyſicam propriè dictam comprehendi (quanquam iſtud ex ſuis principiis aſſerere hic Autor debere videatur) ſed intra partem aliquam Philoſophiæ: quæ igitur à Philoſophia excluduntur, ea etiam ex univerſo ſive ex naturali omnium rerum Syſtemate excludi ab eo ſunt intelligenda.

Excluditur autem à Thomâ ſcientia omnis de Deo, quanquam in Leviathane p. 190. in libello de Cive p. 269. Scientia de Deo Naturalis ab ipſo exponatur.

Excluditur doctrina de Angelis; Scientia omnis quæ oritur ex divina inſpiratione; poſtremò, doctrina de cultu Dei.

Miraberis forſan doctrinam de Anima ab ipſo non excludi, verùm doctrinam de corpore illam omnem continere judicat, *animam* enim à Corpore *diverſam, nullam* eſſe exiſtimat: uti poſthac dicetur.

4. Quid ſit Philoſophia, jam ſatis (ut opinor) intelligis: ſequuntur partes ejus, eſt autem Philoſophia ſecundum hunc Autorem, vel Naturalis, vel Civilis. Ethica, vel Politica.

Nempe *Philoſophia eſt illi ſcientia de Corpore. Corpus*

pus eſt vel à natura compaginatum, vel à conventionibus hominum & pactionibus conſtitutum.

Prima dat nobis Philoſophiam *Naturalem*, ſecunda *Civilem*. Euge vir ornatiſſime! dic tamen, quæſo, Arithmetica omnis an eſt pars Philoſophiæ Naturalis, an Civilis? dicet forſan naturalis, quia numerat corpora naturalia. Quin & numerantur animi motus & pactiones, & quicquid eſt rerum earum quas ille Civiles appellat, ideóque ad neutram Philoſophiæ partem eſt referenda, vel ad utramq;. Quin doctrina ipſa de homine ejuſque ingenio ad quam partem referenda eſt? dicet Civilem. Verùm neque homo neq; ingenium ejus à pactionibus hominum conſtituitur, potiùs igitur ad naturalem pertinebit.

Reverà, vir amiciſſime, multa ſunt quæ adverſus iſtam Philoſophiæ diſtributionem dici poſſint, neque unquam ex ingenti dialecticorum numero, quenquam obſervando notavi, qui vel definiendi vel dividendi, vel methodi leges Hobbio minus intelligere viſus eſt. Neque verò hoc ipſi multùm exprobrandum judicarem, niſi & Logicam ſcriberet, & ſolus ſibi ſapere videretur, reliquoſq; omnes contemneret. Certè non omnibus illud conceſſum eſt, & rectè ſentire, & ea quæ ſentiant clarè atque ordinatim proferre; imò licet hoc quidem cæteris, contemnere ſi velint differendi ἀκρίβειαν & elegantiam, at *Logicis* & *Geometricis*, hoc minimè indulgendum, quorum opus ipſum ipſaque profeſſio ſcribendi illud ſuſcipit, ut de rebus propoſitis accuratè & minimè confusè dicatur. Quod ad me tamen attinet, ne infinitus ſim tibiq; permoleſtus, polliceor in ſequentibus me non niſi parcè admodum iſtiuſmodi lapſibus inhæſurum, verum paſſurum eſſe, ut inelegans ſit ſive Rhetor ſive Dialecticus (non barbariſmos inſectabor aut ſolæciſmos) modò rectè ſentiat, verbiſq; non ſubſit falſum.

5. Su-

5. Supereſt, ut gratias ipſi agamus, quod liceat nobis, ſi velimus, à ſua ipſius Philoſophiæ definitione diſſentire; magna certè eſt iſta indulgentia, ut relinquat nobis ſentiendi libertatem ille, qui neque in natura, neque in Civitate libertatem ullam hominibus concedit; ſpero quòd *non minor ipſi habebitur quàm debebitur gratia.* Sed alia illius proſequamur.

Cap. 3.

De Vocabulis, ubi de Univerſali, & de Subſtantia Incorporea.

QUàm ſint cogitationes hominum fluxæ & caducæ, quàm ſit fortuita & perturbata earum repetitio; imò quàm ſit periculoſum, hominum etiam eorum, qui Philoſophos ſe eſſe profitentur, promiſſis fidem adhibere, Non aliunde potius quam ab hoc authore diſcendum erit. Hic etenim in fine Leviathanis nova pollicitus, vix quicquam in univerſa Logica, præter tum ſui ipſius, tum aliorum hominum multoties, cantatas, auribúſque noſtris importunius ingeſtas ſententias occinit. Hoc quicquid eſt ferè de vocabulis, vel in Leviathanis, cap. 2 & 3, vel in Tractatus ſui de Homine capite 5 & 6, vel in aliis innumeris authoribus reperitur. (Quot etenim exiſtimas eſſe viros, qui de *vocibus & ſignis*, eorúmque ſpeciebus *poſitivâ, negativâ; commmni, propriâ*; (ſive univerſali, ſingulari,) *primæ intentionis, ſecundæ intentionis; definita, indefinita*, cæteriſque quæ apud eum enumerantur ſpeciebus ad nauſeam uſque diſſeruerunt?) Annum tu, quæſo, expectabas, ut iſta tractantem invenires illum, qui in intimos naturæ atque artis receſſus penetravit, naturamque ipſam, in obſcuro antehàc latitantem, veluti novus

novus, Hercules in lucem extraxiſſe gloriatur? imò (inquis) expectabam, ut qui de Dialectica ſermonem inſtituit, de iſtis minimè ſileret. Verum quid opus erat, ut Dialecticam ſcriberet? Nempe novum ille hujus diſciplinæ nomen invenerat, quod ne homines neſcirent, ſcribendus erat libellus hic lepidus. Hæc forſan erat cauſa hujus rei præcipua, verùm & aliæ non defuerunt ipſi hujus phœnomeni rationes. Nam habet & hic nova nonnulla & mira, quæ ſparſim immiſcenda erant, quorum (omiſſis iſtis vulgatioribus) mihi ſunt aliqua leviter attingenda.

In Capitis ſecundi libri de Corpore (cui titulus eſt de Vocabulis) initio, hæc habet. *Nos neq; quantitatum ſine ſenſibilibus & præſentibus menſuris, neque colorum ſine ſenſibilibus & præſentibus exemplaribus, neq; numerorum ſine nominibus numeralibus meminiſſe poſſe.* Video certè mihi ſpem omnem concordiæ cum hoc viro ferè præciſam eſſe, cui in ipſa ſenſatione & memoria, unde omnis ratiocinatio enaſcitur, diſſentire contigit. Sentio ego me enim & quantitatum & colorum, profundâ nocte, ubi lumen abeſt, meminiſſe, numeroſque ingentes, quales eſſe ſolent ii, quorum in Canone Mathematico uſus eſt, melius ego vel ciphrarum vel poteſtatum notis intelligo, quam ſi nomina eorum in longum diſponantur. Quin abſque ullo vel verborum vel ſignorum viſibilium ſubſidio, novi pueros triennes, qui modulos cantuſque muſicos ediſcere multos valuerint eòſque retinere. Si dixerit ad *memoriam utilem* eſſe verborum notarúmque ſupellectilem, non litigabo; cum *abſque illis* memoriam eſſe nullo modo poſſe enunciet, non hoc facit pro ἀκριβείᾳ ſive Logica, ſive Mathematica.

Ejuſdem farinæ illud eſt (§ 2.) ubi dicit *ad Philoſophiæ acquiſitionem, neceſſarium eſſe ut ſint ſigna aliqua,*

quibus

quibus quæ ab aliis excogitata ſunt, aliis patefieri & demonſtrari poſſint.

Concedimus ad Philoſophiæ *traditionem* atque doctrinam, neceſſaria eſſe ſigna, verùm, eſt & alia Philoſophiæ acquiſitio, per *Inventionem*, ibiq; rerum intellectio ſignorũ inſtitutionem neceſſe eſt, ut præcedat.

Nolo illud exagitare, ubi aſſerit (§ 4) *voces à Deo doctas, ad turrim Babel in deſuetudinem abiiſſe*; quanquam ego illud nullâ eum ratione evincere poſſe exiſtimem, mihique credibile ſit *labiorum* illam confuſionem, de qua loquitur Scriptura, ad *animorum* potiùs diſcordiam, quam ad *linguarum* diſcrepantiam, eſſe referendam.

Cum dicit (§ 5) *Quoniam nomina ſigna ſunt conceptuum, ideo manifeſtum eſſe ſigna ipſarum rerum ea non eſſe*, nil aliud mihi prodit præter *animum* in eos, à quibus iſta de vocabulis vel mutuatus eſt, vel mutuari potuit, *ingratum*. Quid enim eſt aliud eſſe ſignum rei, niſi aptum eſſe (ſive naturâ ſive inſtituto) ut rei iſtius in animo conceptum excitet? neque enim abſque relatione ad conceptum ſignificatio eſt ulla, etiamſi ſimilitudo major vel minor eſſe poſſit. Poteſt igitur (ad mentem Dialecticorum) idem eſſe & ſignum *rei* & *conceptuum*. Ubi diſputatio illa reperiatur, *an nomina* ſignificent *Materiam, an Formam, an Compoſitum*, ego planè neſcio, verùm exiſtimo finxiſſe illum ejuſmodi diſputationem, ut de *Metaphyſicis* pro ſolenni ſuo triumphos agat.

Sectione 8. ait *duorum nominum contradictoriorum, alterum cujuſlibet rei nomen eſſe, alterum non eſſe*. Atq; illud rectè. Ubi verò ſententiæ ejuſdem enunciandi hanc formulam, (*Idem non poteſt eſſe & non eſſe*) obſcuram eſſe queritur, vereor ne contra communem hominum ſenſum, protervius hoc aſſeruerit, ut poſſit

denuò

denuò in *Metaphyſicos* ſuo pro ingenio inſultare. Certè quid ſit *eſſe*, quid *non eſſe*, omnes ſtatim prolatis his verbis intelligunt; verùm quid ſit illud ipſum *nomen habere*, quid ſit eſſe *contradictorium* ex Logica petendum eſt, vel ab ipſo Hobbio, qui in omni contradictionum genere tantoperè eſt exercitatus.

Atq; hæc hactenus forſan leviora, ſequuntur ea, quæ majoris ſunt momenti. (§ 9.) hæc habet. viz. *Nominibus univerſalibus reſpondentes in animo conceptus eſſe ſingularium rerum phantaſmata, ideoq; non eſſe opus ad vim Univerſalis intelligendam, aliâ facultate quàm imaginativa, qua recordamur voces ejuſmodi modo unam rem, modo aliam in animo excitâſſe.*

Noſti V C. ab iis qui animæ humanæ *immortalitatem* ex principiis naturæ evincere contendunt, ſolere illud pro argumento non contemnendo (imò irrefragabili) adduci, quòd excedat operatione ſuâ mens humana, Sphæram omnem corporeæ actionis, eaque perficiat quæ *neq; motus Corporei neq; phantaſiæ* (quæ hominibus cum brutis communis creditur) *actiones* aſſequuntur.

Exiſtimat hic Philoſophus, ſui intereſſe plurimū, ut *anima non ſit immortalis*; hoc eſt quod aperto capite & verbis conceptis in Leviathane contendit, animam morte diſſolvi: imò verò ſententiæ contrariæ aſſertores, non eſſe ferendos in civitate, utpote turbas, ſeditiones, bella civilia, ex hauſta *immortalitatis* opinione exoriri. Quare obviàm eundum eſſe cenſet, omnibus iis argumentis quibus uti homines ſolent, ut ſibi vindicent, atque aſſerant Immortalitatem. Nos integram hanc quæſtionem, quæ eſt de mentium humanarum natura, infra (cum bono numine) diſcutiamus: interea juvat demonſtratoris hujus vires atque acumen experiri.

Sen-

Sententia quam ex Sectionis iſtius ratiocinio infert, hæc eſt. *Non eſſe opus ad vim Univerſalis intelligendam, aliâ facultate quàm imaginativâ.*

Atque hoc, inquis, manifeſtâ infert probatione, ſi etenim conceptus reſpondens nomini alicui univerſali ſit phantaſma rei ſingularis, (phantaſma autem rei ſingularis ſit imaginationis opus) ſequetur ſua demum concluſio. Imò concedo hoc ſequi ex iſta hypotheſi: verum attende, quomodo demonſtret conceptus nomini univerſali reſpondentes eſſe ejuſmodi phantaſmata.

Aut, inquit, (nempe vis hæc eſt argumentationis ſuæ) conceptus voci univerſali reſpondens eſt phantaſma alicujus ſingularis, aut voce univerſali ſignificatur, eſſe in natura quoddam univerſale quod iſta voce deſignatur. Exempli gratiâ, aut conceptus reſpondens huic voci (Homo) eſt phantaſma *Petri* vel *Johannis*, &c. vel eſt aliquis Homo univerſalis, cui vox iſta reſpondet.

Quis non videt, quam ſit laxum & fluens minimèque firmum illud argumentationis genus, quod nomine demonſtrationis venditat novus hic homo: conſequentia hæc eſt; aut conceptus huic voci (Homo) reſpondens eſt conceptus *Petri &c.* aut eſt conceptus *rationis alicujus communis*, in quo *Petrus, Johannes* cæterique conveniunt, id eſt, conceptus communis de *Petro*, &c. explicabilis. Non eſt itaque conceptus iſte *phantaſma rei ſingularis*, neque *conceptus hominis cujuſdam univerſalis in natura exiſtentis*, verum Idea rationis cujuſdam communis omnium ſub eadem ſpecie ſingulorum; cujus Ideæ formatio ab imaginatione quæ ſingulorum eſt, eſſe nullo modo poteſt.

Verùm, ut & mentem noſtram aliquantùm explicemus, ſimulque ſtrophas ejus in lucem protrahamus, commu-

communi aliquo exemplo rationis humanæ methodum in univerſalibus efformandis exponamus.

Proponatur ante oculos *Triangulum* rectis lineis deſcriptum; quod aliquis aliquanto temporis ſpatio contempletur, occurrit primùm, *Trianguli hujus imago*; hujus,inquam,uti deſcribitur, tum quoad *colorem*, *ſitum*, *magnitudinem*, *figuram* imago, id eſt phantaſma hujus objecti ſingularis, productum ab ipſo objecto,motum in cerebro excitante. (Loquor ex mente Hobbii; ego n. aliud ad phantaſma requiri poſthac me ſentio evicturum.) Triangulum hucuſque contempletur,donec invenerit tres illius angulos duobus rectis æquales eſſe. Duplici autem modo hoc inveniri poſſe novimus,nempe vel *experientiâ* (quantum de æqualitate rerum *ſenſu* innoteſcit) exempli causâ circini beneficio angulos arcubus circulorum metiendo, vel *altâ* atque defixâ *animi cogitatione*. Si priori modo hoc inveniri contingat, adhuc in *phantaſia* res continebitur,& exorietur judicium de Triangulo *iſto ſingulari*, habere illud tres angulos æquales duobus rectis: ſin *cogitatione* atque meditatione illud invenerit,fieri poteſt,ut eouſque progrediatur,ut percipiat *non ex longitudine*, *colore*, *ſitu*, *figura* ſeu angulorum & laterum ratione, judicium illud enatum ſibi eſſe, quin *habere tres angulos duobus rectis æquales, non alia ratione quam quia triangulum eſt*, ſive illud eſſe de ratione communi Triangulorum,ut ejuſmodi habeant ſymptoma. Manifeſtum eſt,excedi hoc in exemplo vim *imaginationis*, hæc etenim Ideas non facit,verum ab objectis recipit, neque objectorum ſphæram poteſt egredi, objectum autem nonniſi ſub certa circumſtantiarum (coloris,figuræ,&c) complexione phantaſma aut excitat,aut excitare poteſt. Idea itaque iſta communis ut *phantaſma hoc ſingulare* excellit,

cellit, nihilq; habet in ſe corporeorum iſtorum Symptomatum, ita & vim ubi ſedem habet hæc Idea, vim etiam ſeu facultatem imaginationis, excellere neceſſarium eſt.

Manifeſtum eſt hoc in exemplo, nomen hoc *habens duos angulos duobus rectis æquales*, denotare neque *ſingulare* illud Triangulum, unde enatum eſt judicium mentis de æqualitate, neque Triangulum aliquod quod ſit *univerſale*, (nempe & Rectangulum & Obtuſangulum ſimul & Acutangulum,) verum *rationem*, vel *Ideam*, vel *conceptum*, communem omnium Triangulorum, id eſt de quovis Triangulo explicabilem.

Sed dices, non ſolet ex unius Trianguli contemplatione, veniri in tale judicium quod omnibus conveniat, verum & plurium & pluriformium accurata atque diligenti perpenſione. Eſto; (quanquam illud aliud ſit poſſibile, & facile) hoc tamen manebit, phantaſiam qualis Hobbio eſt, excedere non poſſe, circumſtantias illas quibus objecta fuerint veſtita, neque ad rerum naturas poſſe attingere, quæ tamen in iſtiuſmodi conceptibus fiunt, & propoſitionum ſive nominum univerſalium conſtitutione exprimuntur. *Manet* igitur *homini* non obſtante craſſâ hujus hominis ratiocinatione, mens ſua, neque ille nos ab *immortalitate* detruſit.

At detrudet inquies, Ecce enim animam humanam aut in corporum ſeriem redactam, aut omnino ex rerum numero excluſam. Ecce etenim eum prædicamentum corporis ita ordinantem, ut ſit, neſcio quid illud quod dividendum eſt: (neq; etenim licet illud, aut Entis, aut Rei, aut Subſtantiæ, aut ſublimioris ejuſmodi alicujus nomine, appellare) vel *non Corpus* ſeu *Accidens vel Corpus*. Quicquid igitur non eſt Corpus, Accidens illi eſt: anima igitur aut Accidens erit,

aut

aut Corpus; quicquid erit, erit naturâ ſuâ diſſolubi-lis & mortalis.

Statui certè mecum de omni hâc controverſiâ hoc in loco ſilere, eâque in quæſtionem de animæ humanæ naturâ, ejúſque immortalitate, ſervatâ, illam accuratiùs, ſi mihi conceſſum eſſet, illo in loco tractare; verum cùm viderem hunc hominem non ſolùm ubiq; tum in Leviathane, tum in hoc opere, illam dicendi formulam, ubi *Subſtantiæ ſc. incorporeæ*, vel *Eſſentiæ ſeparatæ*, (quomodo quicquid immortale eſt & æternum, Deum, Angelos, Animos indigitare ſolemus) tanquam ridiculam vocum ſe deſtruentium inſtantiam, convellentem, verùm & iſtam omnem ſententiam, quæ Deum Spiritúſque immortales ſupponens, Religionis atque pietatis omnis fundamentum eſt, ſummo ſtudio atque conatu non ſolùm indefeſſo, ſed & importuno atque abſurdo, funditùs ex hominum animis eripere, ſatagentem, eâque de causâ hanc ipſam Logicam, ſive Computationem, ita inſtituentem ut nihil omnino novum aut conſideratione dignum contineret, præter indecoras homini Philoſopho, de rerum natura προλήψεις & αἰτήματα; verbo, cùm nihil habeat Logica ſua ferè novum, præter hoc unum, *omnia eſſe Corpus*, ſive, *quod Corpus non eſt, illud in rerum natura non eſſe*, illud mihi occurrebat, ipſo ſtatim initio (adeóque hoc in loco) inquirendum eſſe in hanc rem, eámque vel admittendam eſſe ſententiam, ſi uſpiam eam ipſe demonſtraverit; ſin verò, obviam illi ſtatim eundum, eumque principiis obſtando reprimendum. Quare libros ejus omnes evolvi, loca ea, ubi de Subſtantiis incorporeis locutus eſt, ſingula, conſideravi; argumenta ea quæſivi, quibus evertere conten-

dit contrariam ſuæ ſententiam? Verùm (quod minimè ſperabam) illum hanc poſitionem ſuam indecenter primò emendicantem inveni; deinde, quod mendicis aliquando equitantibus ſolet contingere, ſtatim ex præſumpto hoc principio, animo elatum atque efferum, pro more potiùs ſcurrili, quam Philoſophico, in univerſum Philoſophorum, Theologorum (quidni dicam eruditorum hominum) cœtum invehentem.

Ingens eſt quidem locorum numerus, ubi ſannis eos excipit, qui de ſubſtantiis incorporeis loquuntur; hoc illud eſt quod in Scholas, Academias, Philoſophos antiquos, recentes omnes, tot ipſi ubique triumphos adminiſtrat. Demonſtrandum igitur illi erat, ejuſmodi ſubſtantias non eſſe; idque hoc ipſo in opere de Corpore, ubi omnia eſſe legitimè demonſtrata apud nobiliſſimum Patronum ſuum profitetur.

Attendas igitur (obſecro) & ſuccurre mihi, vir doctiſſime, ſiquid invenias in iis, quæ hic habet, quod ſententiam iſtam evincat; ſi qua vola, ſi quod veſtigium ſit demonſtrationis, oſtende mihi hoc anxiè perquirenti. *Supponit hoc* (inquis) ipſa Philoſophiæ definitio, pro conceſſo hoc habet ipſa prædicamentorum ſuorum diſtributio, imò verò pro fundamento hoc habet omnis ſua Philoſophia, tum Naturalis tum Civilis, vel (ut cum ipſo loquamur) de Corpore tum Naturali tum Politico; mirum igitur niſi hoc ipſum alicubi demonſtraverit.

Dicam ingenuè quid in aliis operibus ejus inveni, nam hic ubi maximè expectares, οὐ δὲ γρῦ. In Leviathanis ſui cap. 34. cui Titulus eſt de Spiritibus, Angelis &c. hanc rem maximè ex profeſſo tractat; illuc igitur referendus eſt lector, ut de Philoſophi hujus demonſtrandi vi atque modo ſpecimen ſibi ſumat, niſi velit mihi argumentum ſincerè tradenti fidem adhibere.

Corpus

Corpus eſt (inquit) *quod locum implet, & eſt pars realis Univerſi: cum etenim Univerſum ſit omnium corporum aggregatũ, nulla eſt pars ejus quæ non ſit Corpus, neq; Corpus quod non ſit illius pars; Corpus autem quia mutationi obnoxium eſt, utpote motui, quieti &c, Subſtantia appellatur: idem ergo ſignificant Corpus & Subſtantia. Ideoq; Subſtantia incorporea verba ſunt, quæ juncta ſe mutuo deſtruunt, tanquam qui diceret Corpus incorporeum.*

Hæc certè eſt iſta demonſtratio cujus fiduciâ ſe jactat adeo, & reliquos mortales contemnit omnes: & quidni habeat contemptui, cum hoc argumento effecerit ut ſint penitùs mortales. Ego eam in lucem produxi tibi; tu qui melioribus es oculis vim forſan aliquam argumenti cernis: mihi certè videtur illud (pro more ſuo) petere, atque importunâ, ne dicam inverecundâ, poſtulatione arripere, quod ratione debebat potiùs atque argumentis extorquere.

Verùm ut in lucem clariorem trahatur, duo hîc eviciſſe videri vult. 1. Non eſſe partem univerſi (ſeu Rem) quod non eſt corpus. 2. Quod corpus non eſt, ſubſtantiam non eſſe. Diſponamus, ſi placet, in fòrmam illius argumenta. Si univerſum ſit còrporum aggregatum, tum nulla pars ejus eſt, quæ non ſit corpus. Sumendum eſt; Sed univerſum eſt ejuſmodi aggregatùm. Ergo.

Rectè nunc habet, Euge Computiſta! quam tu, quæſo, v. d. negas propoſitionem? dices minorem; at oportuit te conſequentiam negâſſe, neque enim paratus eſt, ut iſtam minorem probet; ſperabat enim te ſaltem illud largiri voluiſſe, univerſum ex corporibus ſolis conſtare. Ideoque nullibi ullam vel umbram argumenti protulit ad illius propoſitionis probationem. Mirum, inquies, at forſan illud aliud argumen-

Digitized by Google

tum melius procedet; prodeat igitur in aciem.

Corpus mutationi obnoxium (utpote motui, calori, &c.) *eſt Corpus. ſed Subſtantia* (nempe ſub ratione ſubſtantiæ) *eſt Corpus mutationi obnoxium*: Ergo *Subſtantia ſub ratione Subſtantiæ eſt Corpus.*

Nonne vides clariſſimè illatum eſſe illud, *quod non eſt Corpus, Subſtantiam non eſſe*, ideóque voces *Subſtantia, incorporea* ſe mutuò deſtruere? dic (obſecro) denuò, quam partem negas Syllogiſmi? ais minorem.

At annon præmonui te magnum hunc Philoſophum ad res *Majores* ſolum ſe comparâſſe, *Minores* autem non curare. Ego quidem (vir digniſſime) ad hæc attendens difficultèr me continere poſſum; nôſti me ſatis & quàm ſim petulanti ſplene cachinno: verùm ſeria res eſt, ubi de maximarum rerum fundamentis agitur. Tale eſt autem negotium hoc omne de Deo, de Angelis, de ſtatu animorum ſeparato, & eorum (pereunte corpore) perenni exiſtentia. Quis autem credidiſſet, in luce hac omnis eruditionis, auſum fuiſſe hominem ſeveriores Matheſeos atq; Philoſophiæ muſas colentem, iſtiuſmodi nænias pro demonſtrationibus venditare? qualis eſt hic virorum eruditorum contemptus? Ecce tamen & labra invenit Lactucis ſuis non indigna, illud in popinis cantant, illud in Tabernis, ſuſtuliſſe hunc virum, Spiritus omnes eoſq; ex natura rerum exterruiſſe, quare *Nunc eſt bibendum* —& quæ ſequuntur. Aſt ego exiſtimo viris Philoſophiam profitentibus non illud ſatis eſſe adverſus recepta hominum dogmata, novam ſententiam confidentèr aſſerere, niſi & argumenta adducant, quibus oſtendunt ſe poſſe ex principiis evidentibus eam in cognitionem ducere, hominúmque aſſenſum ratiocinatione firmâ con-

conciliare & cogere. Verum ad Syllogiſmos ejus paulò diſtinctiùs. In ea ſententia ſunt omnes ſanioris mentis homines, Deum non eſſe ab univerſo ſecludendum, ſed eſſe Deum, quid inde? (inquis:) inde ſequetur Univerſum non eſſe aggregatum Corporum: immò verò (inquis) illud nondum ſequetur; fieri enim poteſt ut Deus ipſe (quod tamen abſit ut dicamus) ſit Corpus: age igitur, quid eſt tandem Thomæ Hobbio Corpus? *Corpus* (inquit jam ſupra) *eſt, quod locum implet, & eſt pars Univerſi, Corpus eſt quod ſpatium occupat eique coextenditur*. c. 8. §, 1. (obitèr, ſi Corpus in extenſione ſua ſeu ſumma latitudine ſit Univerſi pars, non ex ſolo corpore conſtabit Univerſum.) Verùm Deus neque locum implet, neque alicujus rei pars eſt (neque totum aliquid) imò neque figuratum aliquid, neque quid motum, aut quieſcens (ut iſta adjiciamus) neque mundus ipſe, Deus igitur Corpus non eſt: aut igitur Deum eſſe negandum eſt illi, illudque palàm enunciandum, quod corde eum tegere (niſi talis ipſe ſit, qualem Vindicem quendam eſſe ſibi fingit (*ineptus & ſtultus*) nollem ſuſpicari, aut Univerſum ex ſolo corpore conſtare non eſt illi aſſerendum, niſi dicere mavelit Deum ipſum locum implere, cum ſpatio coextendi, eſſe alicujus rei partem, aut totum quid eſſe, eaque cætera quæ recitavimus Corporum attributa ipſi Deo velit aſſignare. Imò vero (inquis) quidni hæc omnia vel eorum ſaltem aliqua Deo ſuo aſcribat, nodíque hujus implicationem effugiat?

Equidem hoc ipſi non eſt difficile, cui ſolenne eſt ſententias ſe mutuò deſtruentes proferre. Neſcio quid jam ſit dicturus, quid antehac (tum in Leviathane, p. 190. tum in libello de Cive mihi p. 270) ediderit, novi: Nempe *indignè & parum honorifi-*

cè de Deo ſentire eos quicunq; eum aut locum implere, aut eſſe figuratum, aut eſſe totum aut partem, motum aut quieſcentem, aut eſſe mundum ipſum exiſtiment. Quare mihi conſtrictus videtur, annon & tibi? illud neceſſe habet, ut vel Deum eſſe diſertè neget, adeóq; ex latebris ſuis prodeat; vel non neget eſſe ſubſtantiam aliquam incorpoream, adeóque ſeipſum tot dicteriorum & ſcommatum deliciis ſpoliet, & honeſtâ tandem cum palinodiâ valentiori ſuccumbat veritati.

At (inquis) nondum nos rem abſolviſſe; nihil n. de *Subſtantiâ* adhuc protulimus, quo minùs hæc verba *Subſtantia incorporea* ſibi juncta (veluti quod de Mezentii facto habemus) ſe mutuò deſtruant. Subſtantia enim eſt, quod ſubſtat Accidentibus, Accidentia ſunt Motus, & Figura, & ſimilia, (corporea ea omnia.)

Nos igitur de vocibus litigare nolumus, concedat Res eſſe vel ſaltem Rem eſſe incorpoream.

Verum non illud patietur ſua diſtributio, quod Ipſi non eſt Corpus, illud eſt Accidens; Accidentia autem ſunt ipſi corporum modi vel phantaſmata. Dicet igitur Deum eſſe Accidens, at ipſi paulò ſaniori exiſtenti vox hæc Deus mundi cauſam ſignificat, (Civ. 269.) vereor itaque, ne ipſi ſit phantaſma

Hæc igitur, ut demonſtratorem hunc tandem debita cum laude dimittam, eum non adeo honeſtè, (quidni n. liberè jam loquar poſt detecta iſta ſuperiora) emendicantem cernis.

Subſtantiam non eſſe niſi quod ſubſtet Accidentibus, cum tamen illud, *per ſe ſubſiſtere* (ſive eſſe, neq; tamen eſſe rei alicujus modum) magis ſit de ratione ſubſtantiæ, eique primo & per ſe conveniat. Deinde *Accidentia nulla eſſe niſi quæ ſint modi corporum* (ut putà motum, figuram, & ſimilia) cùm tamen ſint etiam

tiam ſubſtantiarum ſive rerum *incorporearum* modi, iique vel non accidentales qualia ſunt Attributa D. O. M. vel accidentales, quales ſunt cogitare, non cogitare; amare, vel non amare; quæ creatis rebus iis incorporeis aliquando abſunt, aliquando unà adſunt: neque ipſe quicquam in contrarium, quod illud evincat, aut protulit unquam, aut eſt aliquando prolaturus. Interea, quoniam ex vocabulorum uſu atque determinata ſignificatione procedendum eſt cuique rectè ratiocinanti, illud ab ipſo peterem, ut dicat quo nomine iſtiuſmodi diſcurſus inſignire debeam; dicet opinor hoc eſſe philoſophari: gratias; & tamen ſcrupulus me tenet; nam ſi iſtud ſit philoſophari, velim ſubmiſsè ut dicat, quid ſit tandem ineptire.

Atque hucuſque in caput illud de vocabulis inquirere viſum eſt: quanquam etenim alia ſequuntur quæ longam, dum diſcutiantur, deſiderare orationem videri poſſint, ut putà Tempus non niſi propter lineam & motum, Velocitatem nonniſi propter lineam & tempus, Vim nonniſi propter ſolidũ & velocitatem, quantitates dici. Quia tamen recurrent eadem in Metaphyſicis ſuis cum mille aliis ejuſdem farinæ, nos hinc ad alia tranſibimus.

Cap. 4.

De Propoſitione, ubi de Veritate & Falſitate.

QUanquam initio V. D. cum ex voluntate tua primùm animum ad ſcribendum appuli, illud prævidebam, fore ut mentem meam liberè exprimendo ipſi huic Philoſopho non adeo forſitan placerem; il-

lud tamen ſperabam futurum, ut moderationem animi, quâ uti ſoleo, non omnino exuerem, adeoque mihi ipſi diſplicerem, ſperabam jucunditatis ſaltem atque ingenuæ cujuſdam hilaritatis fines non fuiſſe mihi tranſiliendos, quin fugiendam orationis omnem acrimoniam, atque à durioribus & inurbanis (*ſtulti*, *inepti*, reliquíſq; ejuſmodi quæ ſenum moroſorum eſſe ſolent) vocabulis abſtinendum. Ad hanc itaque normam res meas compoſui; ſubridere initio potui, iraſci aut pugnare non potui. At caput illud jam nunc abſolutum relegendo, inveni imminutam eſſe mihi planè improviſò & neſcienti hanc animi temperationem. Video excidiſſe mihi vocem illam *ineptire*, quin ſentio redire mihi perturbatam atque injucundam animi diſpoſitionem, quæ niſi omni contentione renitar, factura eſt ut judicis atque cenſoris officio omni neglecto, in eas redarguendi formulas prolabar quæ ſolent ab adverſariis, viríſq; inimicitiam Scholaſticam profitentibus erumpere. Imò verò quid me vis facere? Scio quam ſis ipſe totus ex tranquillitate placidæque mentis conſtantia compoſitus; ſperabam me aliqua tam potentis atque excellentis exempli tui beneficia tuliſſe, hunc tamen hominem ferre ulteriùs non poſſum, adeo omnia ſua vel vetuſta atque ab aliis petita (quos pueri olim legimus) repetitione ingratâ, vel nova atq; ab ipſo vel inventa, vel potiùs primum affirmata (neque enim ultra nudas affirmationes ſolet Philoſophari) inſolentiâ inani cæperunt offendere. Quid, quæſo, à te commerui ut in elementaria iſta de *Propoſitione ejuſq; partibus Subjecto, Prædicato & Copula*, de *propoſitionum ſpeciebus*, *univerſali*, *particulari*; *affirmativa*, *negativa*, reliquaque Dialecticorum quibus & Scholæ Sophiſtarum & aulæ Collegiorum

toties

toties recentibus olim nobis intonuerunt, relegandum me eſſe judices. Vetera hæc ſunt, hæc pueri crepant, millies ea volentes audivimus aut nolentes. Eſto (inquies) at ipſe nova in iſtis pollicetur, & profert. Primùm, lemma capitis ſexti de corpore legas, & nihil quicquam invenies quod non ſit ab aliis tractatum. At ab aliis (inquis) diſſentit, immò verò, & ea in quibus diſſentit à Leviathane & libello de Homine (illius Cap. 4 & 5 hujus C. 5.) traducta ſunt & tralata. At hoc (inquis) non prohibet eſſe hæc ipſa mundo nova, etiamſi neque ſibi neque nobis: quare novorum ſpecimen exhibeamus.

Incipit igitur ab increpatione Metaphyſicorum, eoſque initio caſtigandos decernit, quod verba jungant ſæpe incohærentia &c. Nempe huic uſui perpetuò ipſi inſerviunt, ut ſtylum in eos acuat, ut ipſi poſſint ——*fungi vice cotis, acutum*

Reddere quæ ferrum valet ἐξοις *ipſa ſecandi.*

Eidem uſui ſunt ipſi *Ariſtoteles*, & Logici, neque eos neglexit; illum Articulo 15. hos Art. 18. Contractum igitur hoc modo acumen ejus contemplemur; mirum eſt certè quod margini non ubique inſcripſerit, *ſubtil.* & *ſubtiliſſ.* Quin cætera breviſſimè perſtringamus, quia leviora ſunt: illud de veritate quod habet, paulò accuratiùs diſcutiamus.

Definiverunt hactenus Dialectici propoſitionem, ut ſit vel *Sententia quâ unum de altero affirmatur vel negatur.* Vel ut ſit *oratio verum vel falſum indicans*. Verùm quid ipſi eſt propoſitio? *Propoſitio (inquit* §. 2.*) eſt oratio conſtans ex duobus nominibus copulatis, quâ ſignificat is qui loquitur concipere ſe nomen poſterius ejuſdem rei nomen eſſe cujus eſt nomen prius*. Bellè admodum. Ita ego nimirum

rum quendam ex iis quos odio pluſquam Vatiniano proſequitur, conſcientiam hoc modo definientem audivi: Conſcientia eſt res per quam is qui habet Conſcientiam, ſcit ſe habere Conſcientiam ejus rei, cujus habet Conſcientiam. Annon & ipſe intelligit propoſitionem eſſe orationem, qua unum de altero affirmatur &c. vel verum aut falſum indicantem? imò hoc vult ſua ipſius definitio: quid igitur opus erat tot verbis inconcinnis? nempe hæc vetera ſunt & recepta, & eſt natura Hobbii novitatis avida; quin pauca ea ſunt, & ad libelli molem parùm conferunt, neque verò aliæ deſunt ipſi rationes: verùm hæc ſatis.

Ait prædicatum reſpectu *Subjecti eſſe continens, ſubjectum reſpectu prædicati, contentum.* Eſt autem ipſi prædicatum ſæpiſſimè pars ſubjecti, pars igitur ipſi totum continebit. Ait *Gentes eſſe nonnullas, (vel certè eſſe poſſe) quæ vocem reſpondentem verbo noſtro* eſt *nullam omnino habeant, quæ tamen formant propoſitiones ſolâ nominis unius poſt aliud poſitione.* Verùm quænam ſint illæ Gentes, dicat, ſi valeat, neq; tergum vertat, ſin minùs, iſta utcunq; inania ad pompam finxiſſe patiatur ut credamus.

Ait ad finem Sectionis tertiæ, *Accidentia ideo dici quòd ita res ipſas comitantur ut (exceptâ extenſione) perire & deſtrui poſſint, abſtrahi non poſſint.* Quænam eſt, quæſo, ratio, cur extenſionem ſolam excipiat? an non eadem eſt ratio figuræ, quæ eſt extenſionis? annon æquè impoſſibile eſt corpus abſque figura ac abſque extenſione exiſtere? at dices manente corpore eodem figuram ejus mutari poſſe: quanquam hoc illi abſque demonſtratione (quibus ubique deſtituitur) non opus eſt ut concedamus, oſtendere tamen omninò debuit corporis ejuſdem in condenſatione & rarefactione extenſionem interim non mutari. Ait (§ 4) voces

ces has *Subſtantiæ Abſtractæ*, *Eſſentiæ Separatæ* (cujuſmodi vocibus Deum, Angelos, hominum animos morti ſuperſtites indigitare ſolent Philoſophi,) *voces eſſe inſignificantes*, verum oſtendi capitulo ſuperiore hoc illum abſque omni rationis ſpecie ſibique ipſi contradicendo aſſerere. Quin igitur quouſque tandem abutetur patientiâ noſtrâ, ſentio me v. d. hâc occaſione datâ excandeſcere, ferre non poſſum hominis abſque omni ratione inſanientis importunitatem. Aiunt nonnulla ex animalibus magis generoſis conſpecto Gallo protinùs commoveri, & ſeſe ad pugnam accingere: movet me certè quoties criſtam eum erigentem intueor: at inquis Gallus non eſt, quin potiùs ex animalium eorum numero quæ calcaribus indigent, imò ex Gallorum numero & conſortio ſe nuper ſubduxit, ne ab ipſis pro meritis exciperetur, ut poſſet in Anglia hac noſtra impunius iſta effutire: nempe hoc illud eſt quod facit, ut incaleſcam: non feram, non ſinam, non patiar, ut effrenatâ ſua libidine iſta Religionis omnis ſemina, imò & civilis ſocietatis, ex juventutis noſtræ animis impunè extirpentur, ut ſeductos liberè in fraudem illiciat. O ſi nunc Vindex ille hic adeſſet, quem in Elencho Geometriæ Hobbianæ à turpi hujus hominis injuria vindicavit nuper vir doctiſſimus! quam opportunè hic poſſet bella & pulchra iſta *ſtultus*, *mendax*, *ſceleratus* in os ipſi refundere? Nempe qui in illa eſt ſententia, quæ aſtruit Deum non eſſe: qui Deum ſe credere profitetur, quin Deum non eſſe poſſe illud, cuicunque competunt Attributa corporis, & tamen nullam eſſe ſubſtantiam ſeparatam, aut naturâ ſuâ à corpore ſejunctam. Qui ſceleris omnis fundamenta hoc modo collocat, dic, quæſo, quibus ſit nominibus inſigniendus? Scio, vir modeſtiſſime, diſplicere tibi hanc libertatem, quin

&

& mihi moleſtum eſt in cœno hoc volutare : quare reprimo me, & ad alia progredior. Liceat autem mihi ordinem illius aliquantulùm mutare, (neque enim illius refert, cui neque ordo conſtat neque methodus accurata) ut omnis de veritate diſquiſitiuncula in finem reſervetur.

Ait (§ 11. 12. 13.) propoſitionem Hypotheticam cum Categorica ſua eandem eſſe (ſive ipſi æquipollere) nonniſi cum Categorica eſt neceſſaria (id eſt, ut loquuntur alii, cum prædicatio eſt ſaltem κατ' ἀυτὸ, verum nunquam evincit ut (ad mentem Dialecticorum) hoc ipſum non fiat in iis quæ dicuntur κατὰ παντὸς: ſi etenim vera eſſe concedatur iſta propoſitio, *omnis homo eſt niger*, vera & illa erit, *ſiquid eſt homo, idem eſt nigrum.*

In §.14. quid ſit Articulus ultimus præcedentis, vel quid ſibi velit, planè non intelligo. Ait § 15. contra Ariſtotelem, *Æquipollere duas has propoſitiones, homo non eſt arbor, & homo eſt non arbor*. Verùm mihi poſterior hæc illud ſumit, hominem eſſe, quod prior illa non præſupponit, quanquam de iſtis nolim litigare.

Alia ſunt quæ reprehenſioni non iniquæ ſunt quammaximè obnoxia, ut inſultus in Logicos § 20. ubi rem eſſe Attributi ſui, ſive proprietatis, ſive modi, cauſam dicere ſoleant, illudq; ubi cognitionem cognitionis, id eſt, modum modi eſſe cauſam efficientem aſſerit, (ne animum agnoſcat) hoc tamen neq; explicet, nedum evincat, aut evincere poſſe videatur. Verùm nos ad doctrinam ejus de veritate tranſeamus, hîc n. ipſi quam maximè congruet quod de Africa dici ſolet, quòd ſemper aliquid apportet novi.

Noſti (vir doctiſſime) ſummos in omni ætate viros in veritatis naturam atq; definitionem inquirentes eâmque altiùs inveſtigantes, in illud tandem conſenſiſſe,

Digitized by Google

ſſe (neque n. occurrit mihi varias hominum ſententias verſanti, quis in iſtis diſſenſionem animi vel ἐποχὴν profeſſus fuerit) primò res eſſe, eſſe, quod ſunt, ab invicem diſtinctas, ideóque unamquamque rem unam eſſe: fieri poſſe eaſdem objecta tum intellectus tum voluntatis, ideóque veras eſſe & bonas.

Deinde ferri in hæc objecta humanam mentem, eorum naturam atque proprietates ſcrutari, de iis (componendo vel dividendo) ſententias intùs formare, & judicia perficere, quæ quidem judicia ſi cum rebus ipſis conſentiant vera ea eſſe, ſin verò diſſentiant, falſa.

Atque tandem vocabulorum uſu aliorúmve ſignorum quæ viſui non minus quam auditui parari poſſunt (uti in Scriptura Sinenſium aliíſque plurimis exemplis manifeſtum) iſta animorum judicia proferre, & enunciare; illudque habere iſtas enunciationes, quod ſi ſententias veras ſive judicia quæ ex ipſis rebus rectâ ratiocinatione mentis vel rerum intuitu, hauſta ſunt, exprimant atque ſignificent, tum veras eſſe enunciationes ſeu propoſitiones; ſin verò, falſas eas eſſe. Ideoque veritatem propoſitionum ſeu enunciationum ex veritate judiciorum eorum quæ exprimunt omnino derivari, ſeu, quod idem eſt, veritatem primò & per ſe Judiciorum eſſe, ſecundò & derivativè Propoſitionum verbis vel ſignis aliis enunciatarum aut indicatarum.

Cogitemus vocabula nondum inventa, ſumatur in exemplum figura quam nunc Triangulum Rectangulum appellare conſuevimus, feratur in hujus figuræ conſiderationem mens, donec affectiones ejus invenerit (quod ut abſque verbis fieri non poſſit, nulla unquam ratio evincet) incideritque in judicium de compa-

comparatione *quadrati* (nondum nominati) lateris maximi, & ſummæ quadratorum reliquorum laterum. Fieri poteſt, ut rem ſive figuram propoſitam penitiùs intelligendo judicet æquale eſſe quadratum illud prius, poſterioribus iſtis ſimul ſumptis. Hoc hactenus aſſerunt omnes mortales, verum eſſe illud judicium, etiamſi nulla forent vocabula aut ſigna ab hominibus excogitata. Quare progrediatur, & rebus ſimul & notionibus ex rebus hauſtis nomina imponat. Conſtet & conveniat hominibus de vocibus, Angulus Triangulum, Rectangulum: Sit latus Angulo recto objectum Hypotenuſa: ſit maxima figura rectangula, quā linea aliqua facere poteſt, Poteſtas ejus appellata: ſint latera comprehēdentia rectū, Crura ejus vocata: Tum demum hæc oratio *In Triangulo Rectangulo hypotenuſa æquè poteſt cruribus*, vera erit propoſitio, ideo nimirùm quia verum indicat, ſeu verum enunciat reſque ipſi conſentiens animi judicium. Imò verò cum voces ſint ſigna ſolummodò rerum, ut concipiuntur, unde Philoſophus hic noſter eas conceptuum ſolorum ſigna eſſe voluit, & cum judicium orationem in rectè ratiocinantibus ſemper præcedat, nihilq; habeat oratio, niſi ut mentem ſive animi judicium exprimat, mirum eſſe videatur, ſi quis veritatem etiam & falſitatem auferens judicio, illam vocabulis tribuat. Quid interim noſter Hobbius? Voces hæ, *verum*, *veritas*, *vera propoſitio*, *idem valent*. §7. *Veritati & falſitati locus non eſt, niſi in iis qui oratione utuntur*. (§. 8.) *imò veritates omnium primæ ortæ ſunt ab arbitrio hominum, qui nomina rebus impoſuerunt &c.* Sect. 8.

Leviathani c. 4. p. 15. *Verum & falſum attributa ſunt orationis, & ubi oratio non eſt, ibi neq; verum eſt neque falſum*. Miraris, credo, quid ſibi velit monſtrum

hoc

Digitized by Google

hoc aſſertionis: dicam, niſi me fallat conjectura. Leviathan ejus in eo perpetuus eſt, ut doceat (ut & libellus de Cive, uti poſteà erit manifeſtum) *nihil eſſe in ſe bonum aut malum*, imò fluentem eſſe omnem ejus naturam atque pro arbitrio Imperatorum incertam. Hoc in loco contendit, neque eſſe *in ſe verum aliquod aut falſum*, quinetiã ex hominum arbitrio illud omne dependere, Quo ſpectent hæc, neſcis? quo ducant, non vides? —Nempe hoc aſſiduè, —omnis in hoc eſt. Conſcientiæ habenis ut per eum laxatis, loríſque effuſis

—*homines aliqua ratione valerent*
Religionibus atq; minis obſiſtere vatum.

Atque ipſe quidem, ſi rationum aliquarum pondere & momentis ad iſta premeretur, ſuaque modeſtiùs efferret, non eſſet mihi adeo intolerabilis: verùm cum deſtituentibus illum argumentis nihil omnino ad novitatum ſuarum παραδόξων confirmationem afferat præter confidentiam ſolâ nitentem ſui ipſius affirmatione; quis eſt, quæſo, tam ferreus ut teneat ſe? Verùm (inquis) hic Rhodus, hic ſaltus: oſtendendum eſt illud quod objicimus.

Quare age, videamus ejus argumenta.

Affirmat veritatem ſoli propoſitioni competere, audi qua ratione.

Sectione 7 pro more ſuo confusè garriendo, potiùs quam diſſerendo, nedum computando, hæc innuit.

Aut (inquit) *veritas & vera propoſitio idem valent, aut veritas in re conſiſtit.*

At in re non conſiſtit veritas (nam Metaphyſici pueriles ſunt & nugatores) *Ergo.*

Expectas forſan, ut utramque probet demonſtrator hic Propoſitionem, neque n. manifeſtæ ſunt veritatis, verùm hoc tibi mihíque faciendum reliquit, neque vel

vel minimum probationis appoſuit. Dicimus (ſi forſan alii in re conſtare veritatem opinentur) neque veritatem in re conſiſtere, neque cum vera propoſitione reciprocari, verum in judicio mentis primùm conſiſtere, deinde in oratione mentem exprimente.

Ex his tamen Corollaria deducit, tanquam ex legitimè demonſtratis, ea nimirùm quæ ex ipſo deſcripſimus, *verum & falſum non eſſe niſi in oratione utentibus, eaq; ex arbitrio dependere.*

Verum & aliud Sectione 10. argumentum profert, unde hoc idem concludit.

Sunt nempe (inquit) *quædam propoſitiones neceſſariæ, quæ ſunt æternæ veritatis.*

Quare manifeſtum eſt veritatem (*non rebus, ſed*) *orationibus adhærere.*

Neſcio certè an quiſquam alius hoc poterit argumentum ita inſtituere, ut, quod vult Hobbius, evincat: mihi nihilo magis concludit, quam ſi baculum in angulo jacentem traxiſſet in argumentum, vel anſerem agellum ſupervolitantem.

Nolo in illud involare, ubi præpoſitiones æternas præſupponit (nempe propoſitiones verboſas quales nuſquam intellexernnt ipſi unde hæc oſcitantèr tranſtulit.) Dicat modò, ſiqua ſit ipſi Philoſophiæ imò Dialecticæ vel computationís cognitio & peritia, qua ratione poſſit oratio æterna eſſe adeoque æternæ veritatis, excluſo interim ab hoc privilegio mentis ipſius opere & judicio, unde omnis in vocabula (inertia atque invalida) vis atque veritas derivatur. Imò ſi vera erit ſemper hæc propoſitio, Homo eſt animal, verum erit & judicium illud in æternum quo notio animalis in hominis notione comprehendi judicatur. Cernis quam leves ſint demonſtrationes Hobbianæ; quantillâ ratione quantas res inferat, quam ſit πρόχειρον

λέων atq; Corollariorū prodigus, quā parcus demonſtrationum,quæ quidē hactenus oſtendiſſe viſum eſt.

Cap. 5.
De Syllogiſmo.

QUum ſit ab innumeris Scriptoribus tractatus hic locus omnis qui eſt de Syllogyſmis,adeò ut impoſſibile fuiſſe exiſtimarem, ut quis vel nova & ab aliis autoribus omiſſa inveniret, vel vetera transferendo errorem committeret;tranſiliendum mihi prorſus hoc capitulum ad alia quæ majora ſunt feſtinanti exiſtimabam: verùm dum oculos huc etiam conjicio, ſentio mè ingenii Hobbiani iſta cogitantem penè oblitum fuiſſe, cui ſolenne illud & legitimum videtur, vetera malè intelligendo larvamque quandam mutati ſyſtematis iis inducendo, aliorum hominum inventa ab ipſo depravata, pro ſuis & novis glorioſè efferre atque effutire.

Primùm autem,illud notare non erit,opinor,importunum,quam ſit ſollicitus ut ſententiis iis quas nos eſſe fædas (ut nihil graviùs dicam) judicamus, diſcipulorum ſuorum mentes ſint præoccupatæ,hinc nempe eſt quod repudiatâ iſtâ differendi formulâ quâ homo,animal,ſentiens,&ejuſmodi alia pro Syllogiſmorum exemplis exhiberi à Dialecticis ſolent atque in Syllogiſmos componi, ſubſtituat ipſe novam quâ hominem eſſe Corpus concludatur. Nempe decies ſaltem vel undecies illud hoc capite infertur. Dices tu pro candore tuo,non illum præ ſe ferre hoc in loco ut evincat integram hominis naturā à corpore abſorptā eſſe & comprehendi:ego vero mallem ut iſtud apertâ hic facie conaretur,ut conſerta manu de illa re ſtatim ageretur,nempe ab arte ſua quæ eſt ars veteratoria nō

Digitized by Google

diſcedit. Novit verſutus homo ſententias ſæpe recitando paulatim imbelles juvenum animos invadere, ad illud proclives, ut pro veris admittant formulas eas dicendi, quæ fuerint ipſis repetitione crebrâ familiares. Atque hanc quidem ejus licentiam pluribus caſtigare vellem, niſi viderem & libelli à nobis inſtituti molem hoc modo excreſcere nimium, & ſentirem infinitum fore omnia ejus non modò quæ confuſa ſunt & indigeſta, non modò quæ falſa ſunt & Philoſopho indigna, verùm ea, quæ turpe eſt virum Philoſophum abſque probatione aſſerere (utpote quæ ad impietatem viam ſternunt) fuſiùs caſtigare. Quare ſufficiat mihi deinceps breviore nota aliqua, inſolentiam ejus, occaſione illud poſtulante, reprimere: Ea autem quæ mihi diſplicuerint, unà cum diſplicentiæ rationibus breviſſimè proponere. Nihil eſſe mihi videtur in hoc capitulo, ubi verſamur (nempe quarto lib. de Corpore) quod non ſit vel quia Trivium eſt (ne nauſeam creet) negligendum, vel quia Falſum aut puerile contemnendum. Nos pauca libemus.

In Sectione ſecundâ quoniam ex duabus propoſitionibus quæ terminum communem non habent concluſio nulla ſequitur. Hoc inde ſequi aſſerit Corollarium. *Itaq; in Syllogiſmi præmiſſis tres tantum termini eſſe poſſunt.* Verum quidem hoc eſſe norunt omnes etiam pueri decennes, Corollarium hoc eſſe ex priore ſententia deductum oſtendere non valet ipſe jam Senex ſexagenario (ut aiunt) major, neq; ſi ſexaginta adhuc annos prioribus adunet, opinor eſſe valiturum.

Ait (§.4) In omni Syllogiſmo illam propoſitionem quæ habet medium terminum pro ſubjecto debere eſſe vel univerſalem vel ſingularem, non autem particularem aut indefinitam. Certè elapſæ ſunt feſtinanti

nanti è memoria figuræ tertiæ modi *Diſamis*, *Datiſi*, *Bocardo*, *Feriſon*.

Ait §. 6. poſt multa non admodùm profunda, *maniſeſtum eſſe Syllogiſmum nihil aliud eſſe præter collectionem Summæ ex duabus propoſitionibus ſibi junctis.* Quanquam autem in concluſionibus affirmativis dici hoc poſſit, nullam ego rationem percipio quare in negativis non ſit differentiæ potiùs inventio. Novit certè, ſi ſpecioſam calluerit Arithmeticam, ſignum negativum affirmativo additum Subductionis opus potiùs quam Additionis reverà perficere, indéque colligi quantitatem non ſummam, ſed differentiam.

In Sectione ſeptima novum quid affert omnibúſq; quotquot hactenus fuerunt, ſive Logicis ſive Logiſtis inauditum. Nempe fieri poſſe ut tam major quam medius terminus nomen ſit negativum, *atq; conſtitui hunc legitimum Syllogiſmum ex omnibus propoſitionibus negativis.*

Quin proferat igitur Syllogiſmum, en autem eum præſtò ad manum.

Nullus homo eſt lapis,
Quicquid non eſt lapis non eſt ſilex,
Ergo nullus homo eſt ſilex.

Num tu jam credis nullum hominum eſſe lapidem? ego certè credo lapides à Deucalione projectos à tergo, fuiſſe magis Philoſophicos, neque ab ipſis extundi potuiſſe aſſertionem, qua aſtrueretur *minor* iſta propoſitio eſſe *negativa*, quibus vel minima ignei vigoris ſcintillula aliquando emicuit.

Sectione 8. ait homines Syllogiſmum contemplantes concludere tria nomina eſſe ejuſdem rei nomina, ac proinde conceptum reſpondentem Syllogiſmo ex propoſitionibus univerſalibus nullum eſſe in iis animalibus quibus deeſt uſus nominum. At nos ſupra

Digitized by Google

oſtendimus conceptus & concluſiones rationum ſpeciei integræ alicui communium, non ex verbis dependere, ſed tacitâ mentis operatione abſolvi. Sectiones ſequentes de propoſitionum converſione conſideranti, cum nihil occurrit quod non ſit protritum puerîſq; notum, quamvis ſibi forte nova omnia & ab ipſo primùm inventa videantur, hanc partem penitus omittam. Concludit hoc capitulum monendo (quod veriſſimum eſt) *docendos eſſe homines veram Logicam citiùs feliciuſq; qui Mathematicorum demonſtrationibus quam qui logicorum Syllogizandi præceptis tempus conterunt*. Erit igitur, opinor, Logica hujus viri ex Mathematicis ſuis æſtimanda, Mathematica autem ejus ego in procinctu eram (uti noſti) ut ad examen redigerem, eaq; pro dignitate ſua & meritis tractarem, cum monuit me V.Cl. *Iohannes Walliſius*, ſe illud idem in manus ſumpſiſſe; ab hoc igitur doctiſſimo viro, & rerum Geometricarum peritiſſimo ejuſque Elencho Geometriæ Hobbianæ, ut & ex Andreæ Tacqueti Epiſtola ad Moranum, diſcent ignari, qualis & quantus ſit Mathematicus Thomas, imò quàm ſint ſtupore potiùs aliorum animalium quam ingenio humano digna, quæ ab ipſo ſunt inventa, & quam fuiſſet æquũ ut iis omnibus inſcriberetur ſequentis capituli ἐπιγραφὴ quæ eſt, *de Erratione, Falſitate & Captionibus*.

Cap. 6.

De Erratione, Falſitate & Captionibus.

DE errore & fallaciis pro reliqui Dialecticorum gregis more dicturum, ſi errare & ipſum contigerit,

gerit, & falli aut captione uti, non eſt ut quæramur, cum ejuſdem ſit & regulas & regularum exempla exhibere.

Dixerat ſupra, Veritatem & Falſitatem ex arbitrio hominum pendere atque oriri (nempe ὀνοματοποιούντων) hoc ipſum primâ (cap. 5. de Corp.) ſectione latiùs explicet, imò & ἐὰν τύχῃ demonſtret, diſcrimen erroris & falſitatis oſtendere aggreditur, miſſisq; demum ambagibus ſententiæ Hobbianæ hæc ſumma eſt. *Errare poſſe homines non modo affirmando & negando, ſed etiam ſentiendo atq; in tacita cogitatione; at Falſitatis nomen ſolum hoc genus Erroris mereri, quod à temeritate oritur pronunciandi.*

Quod ſi errare ſentiendo homines poſſint, an non & rectè ſentire? Sententiam autem rectam eandem eſſe veram, omnes quotquot hactenus fuêre homines ſenſerunt, vel ſi veritas non ſit, dicat tandem quid ſit errori oppoſitum.

At (inquit) Falſitatis nomen ſolum hoc genus Erroris *meretur*, quod &c. Primum rationes ejus intueamur, quibus infertur *mereri* hoc nomen, ſolum hoc genus. Datum eſt hoc nomen omni errori & illud immeritò. Cur immeritò? Nempe Falſæ *neq; res neq; imaginationes dici poſſunt* (dicere debuit neque judicia animorum. Sed ut videtur —*indulſit natura Conditor illi tantùm animam*. Cur autem falſa hæc eſſe non poſſint? quia nimirum *verè ſunt id quod ſunt* (p. 36. § 1.) itane verò? annon hoc ipſum eſt puerile illud & nugatorium dicendi genus quod ab ipſo ſupra C. 3. § 7. ridetur. At *inquit non promittunt aliquid, ut ſigna, quod non præſtant.* Ohe! Jam ſatis eſt, mentem ejus licebit tandem expiſcari. Propoſitiones & verba veritatem pollicentur, neque tamen præſtāt. At quid inde? fallunt igitur inquis; fallunt? ergo hac ratione

fallentes, non autem *falſa* dici merentur. Annon hoc eſt (quæſo) pulchrè philoſophari, *verba fallunt, ergo falſa dici merentur, ergo ſola falſa dici merentur, ergo veritas & falſitas ex arbitrio hominum omnino dependent*. Dic obſecro v. d. quo nomine ratiocinationem hanc inſigniam, Erroris, Falſitatis, an Captionis?

Ait (c. 3. §. 8.) *Habere orationem* (quod dictum eſt de Solonis legibus, cum quo tamen Solone vix quicquam habet ille commune) *ſimile aliquid telæ aranearum, nam hærent in verbis, & illaqueantur ingenia tenera, fortia autem perrumpunt*. Mirandum eſt certè in Corpore tam vetulo lentoque tenerum adeo ingenium eſſe ut hanc telam minimè perrumpat; imò quid eſt, quæſo, quod ipſa aranea venenoſum animalculum *ſuâipſius* telâ complicatur ? Sed nobis non licet eſſe tam otioſis. Ad cætera pergamus.

Erroribus (inquit) qui contingunt ex ſignis naturalibus, occurretur primò & ante ratiocinationem, ſi ad hujuſmodi conjecturalia comparemus nos tanquam ignorantes, deinde per ratiocinationem. Expectas, opinor, aliquid quod ſenſum expleat, at fruſtrà illud quidem, imò tibi incumbit ut illud præſtes, qui vigilans & vegetus legis quod ipſe vel dormiens (uti de ipſo dixiſſe fertur Carteſius) vel oſcitans ſaltem ſcripſiſſe videtur.

Fallacias in materia propoſititionis enumerans. § 2. Primam eſſe ait ubi nomen Corporis cum nomine Accidentis copulatur. Benè illud quidem, videamus exempla; exemplũ hujus eſt *cum dicitur Intellectus intelligere*. Intellectus igitur eſt corpus; atque hoc obiter, atque aliud agendo inſinuandum eſt, —Nam ſi non aliquà nocuiſſet, mortuus eſſet. Quòd ſi reverà tantus ſit Philoſophus quantum ſe eſſe arbitratur, ſi ſint omnia legitimè ab ipſo demonſtrata (quod ad Patronum nobiliſſimum virum in epiſtola ad illum jacti-

jactitat) oſtendat modò ubi hoc demonſtraverit, ne irrita videatur & vana hæc ipſius jactatio, ne Philoſophia hæc omnis non modò reſpuenda, ſed & conſpuenda videatur.

§ 4. Pro exemplo ſecundi generis Fallaciarum, ubi nomen Corporis cum nomine phantaſmatis copulatur, hoc affert. Ubi dicitur *Lumen eſſe corpus vel moveri.* Eſt igitur ipſi lumen phantaſma, mirum autem mihi videtur reſilire à ſpeculo phantaſma & quoquo quis modo velit reflecti, quin lente aliquâ collecta in unumque aliquod punctum projecta phantaſmata ignem prorſus generare, motumque partium minimarum rapidiſſimum in flamma concitare.

§ 8. *Sexto modo* (id eſt, nomen phantaſmatis cum nomine Nominis copulando) *errare eos* ait *qui dicunt. Ideam alicujus rei eſſe Univerſalem, tanquam eſſet in animo Imago quædam hominis ſimpliciter &c.* Verùm error in eo conſiſtit, quod ipſe nunquam intelligere potuit quid eſſet notio univerſalis. Nam ubi dicitur e, g. *Omnis homo eſt animal*, neque intelligitur eſſe hominem aliquem ſimpliciter, neque Ideam univerſalem eſſe alicujus *rei* Ideam, ſeu Ideam à re aliqua in animum impreſſam; verùm illud denotatur exceſſiſſe mentis opus, Imaginum omnem ſphæram, quæ à ſenſuum objectis creantur, atque evectum eſſe animum in apprehenſionem notionis ſeu rationis cujuſdam communis, quæ eſt unicuique homini congruens.

At errant (inquit) *ſeptimo modo* (propoſitionem cum nomine copulantes) *qui Ideas alias in intellectu, alias in phantaſia ponunt; quaſi alia eſſet Idea hominis quæ orta à ſenſu in memoria retinetur, alia quæ in intellectu eſt, quando intelligimus hominem eſſe animal.*

Imò verò, Idea quæ in memoriâ retinetur eſt eadem ipſa quæ oritur à ſenſu, Ideam quæ oritur à ſenſu

circumſtantiæ ſive accidentia objecti(*Magnitudo,Figura,Color,Poſitio*, & ſiqua ſint ejuſmodi)comitantur, neq; efficere poteſt aut ſenſus aut memoria ut aliter ſe res habeant. At Idea quæ eſt in intellectu, (ſi ita nos loqui requirat)eſt notio ubi omnes circumſtantiæ ſecluduntur atque rejiciuntur, ſeu apprehenſio *rationis* ſub negatione omnium accidentium, & circumſtantiarum, quæ ſingulorum objectorum Ideas vel conſtituunt,vel comitantur; *rationis*(inquam) in quâ omnia ſpeciei alicujus ſingularia conveniunt.

Cernis interim V.D. quanto molimine,quantâ ſive conſtantiâ ſive pervicaciâ, imò quàm importunè contendat argumenta immortalitatis convellere;

—tu fortè rearis
Impia eum rationis inire elementa, viamq;
Endogredi ſceleris.—

Neque ego quidem paratus jam ſum,ut poſſim eum hoc crimine levare,adeo perpetuus in eo eſt,ut brutis animantibus nos annumeret fecitq; demum, hoc opere penitiùs conſiderato,ut ferè credam è nobis aliquem ea non niſi brevi intervallo ſuperare.

Sect. 10 ait,*omnem propoſitionem univerſaliter veram aut definitionem eſſe, aut partem definitionis, aut eſſe ex definitionibus demonſtrandam*, dicat igitur an hæc propoſitio,*quæ eidem ſunt æqualia,ſunt inter ſe æqualia*,aut non ſit univerſaliter vera, aut ſit definitio &c, aut ſit ex definitionibus demonſtranda, quòd ſi ex definitionibus eam demonſtraverit,ego (niſi tu aliud cenſes) eum è pecudum numero eximendum eſſe judicarem.

Caput concludit hoc monito, *artem ratiocinandi non præceptis acquiri, ſed uſu & lectione eorum librorum, ubi omnia ſe veris demonſtrationibus tranſiguntur.* Imò verò & fugiendo ut peſtem libros illos qui rerum accuratam tractationem præ ſe ferentes, atq; demonſtratio-

ſtrationes ubique profitentes, paralogiſmis interim ſcatent, nihilque in iis quæ maximè demonſtranda forent, habent, præter petitiones principiorum abſurdas atque indecentes. Cujuſmodi autem ſint libri Hobbiani, ſpecimina quædam exhibendo oſtendimus, quin porro oſtendere conabimur.

CAP. 7.

De Methodo, ubi de Analytica Geometrarum, nonnulla.

VEreor ego admodum V.D. ne quod mihi ipſi jam antehac accidit, illud tibi etiam contigerit, nempe non ſine moleſtiâ in iſtis Dialecticorum tricis verſari; atque ego quidem magnopere cupiebam ab iſtis, ſi inſtituti ratio pati illud potuiſſet, abſtinere; imò renuente hucuſque genio, animóque plurimum reſiliente me iſta tetigiſſe ex leviore atque faſtidiosâ ſummorum apicum raſurâ, cuivis me minimè monente conſtabit: Eò magis certè tibi mihíque gaudendum eſſe exiſtimo, ad finem hujuſmodi nugarum Dialecticarum properare orationem, nihilque manere niſi ut eorum aliqua notemus, quæ in Capitulò de Methodo aut imperitè, aut aliquo modo incommodè ab ipſo prolate fuiſſe exiſtimemus.

Tale autem illud mihi videtur quod habet initio Sectionis ſecundæ, ubi ait, *omni Methodo commune hoc eſſe ut procedatur à cognitis ad incognita, id quod manifeſtum eſt ex Philoſophiæ definitione.* Quis illi, quæſo, hoc indulſit, ut ex definitionibus ſuis contra veritatem ipſam & communem omnium

um hominum ſenſum & cognitionem, concluſiones elicit? imò verò ex accurata atque profunda rerum contemplatione (ubi de rebus agitur, non de hypotheſibus) eruendæ ſunt definitiones, non autem ex præſumptis definitionibus contra rerum naturam, earúmque veras rationes atq; genuinas, diſputandum. Ait ex ſua ipſius definitione Philoſophiæ, ſequi *omnem methodum procedere à cognitis ad incognita*, utrum hoc ex definitione ſuâ ſequatur, nullus ego inquiro: hoc ſolum volo, excludere Mathematicum hunc ingentem, methodum eam quâ omnia ferè ſublimiora in Geometriâ atque Arithmeticâ inventa fuiſſe conſtat, *Analyticen nimirum Geometrarum*. Vindex ille Academiarum, quicunque celato nomine is fuerit, auſus eſt ex paucis quibuſdam in Leviathane ab illo elapſis, tanquam ex pede Herculem metiendo, illud ſuſcipere, non eſſe Thomam hunc noſtrum è numero Geometrarum profundiſſimorum; verùm naviculam illam ſuam quâ in novum orbem ſe navigaturum credidit, ventis ludibrium debuiſſe: quid exiſtimas dicturum eum fuiſſe, ſi hæc vidiſſet? Nôſti tu (vir clariſſime) magnam Analytices Geometricæ partem, imò maximam ex iſtis duabus (*Zeteticâ* atque *Poriſticâ*) exhauriri; harum autem opus atque profeſſio illud eſt, ex ignotis ad notiora animum deducere, unde per Syntheſeos regreſſum poſſint ex adverſo ignota à notioribus concludi atque demonſtrari. Nempe accidere hoc ſæpiſſimè, nôrunt ii quicunque in problematis ſolvendis aut Theorematis demonſtrandis verſari ſolent, deſtitui eos plerumque mediis iis quibus ipſi poſſint problema Syntheticè conſtruere, aut Theorema propoſitum oſtendere, quare viam capeſſunt retrogradam, & naturali demonſtrationis viæ adverſam: initium ſumunt ab ignota aliqua quantitate, vel

ex

ex problematis ipſius tanquam ſoluti ſuppoſitione, factaque per continuas (quantitatum variis modis comparatarum) conſequentias reſolutione, veniunt tandem ad æquationem inter datas duas aliquas ſive notas quantitates; hoc quidem habet omnis Analytice Geometrica. Proponuntur aliquando fortuitò quædam propoſitiones ſeu Theoremata: neſcitur an vera, an falſa fuerint; hoc quæritur. Supponuntur igitur ſive vera ſive falſa eſſe, eruuntur ex poſitione iſta conſequentiæ, ſi in vera deducunt plerumque vera, ſi in falſa, ſemper eſſe falſa concluduntur ea enunciata, unde orta eſt reſolutio, quæ quidem Analytice pars *Poriſtice* vocatur : verbo, hoc habet utraque Analytice, ut ab ignotis ad notiora deducat, unde poſſit Syntheſis (quia convertibilia ſunt Geometriæ axiomata) ab iſtis notioribus, ubi deſinit Analyſis, incipiendo, ad eorum, ſive Theorematum demonſtrationem, ſive problematum ſolutionem, quæ fuerant quæſita, aſſurgere. Iſta cùm neſciviſſe, dum hæc ſcriberet, hic autor videatur, non eſt ut mireris clariſſimorum v. v. Iohannis Walliſii atque Andreæ Tacqueti Elenchum atque animadverſiones legendo. Perplexum eſt illud mihíque admodum obſcurum quod habet initio §.5. *Cauſa univerſalium (eorum quorum cauſæ aliqua omnino ſunt) manifeſta ſunt per ſe, ſive natura (ut dicunt) nota; ita ut nulla omnino methodo indigeant. Cauſa enim eorum univerſalis una eſt, motus: nam & figurarum &c. cauſa eſt motus, quanquam qualis ille motus ſit ſine ratiocinatione cognoſci non poſſit*, Quænam eſt hæc animi confuſio in ipſa de methodo tractatione? Quænam ſunt (quæſo) illa quorum cauſæ aliquæ non ſunt? Quid eſt quod dicat initio cauſas eſſe univerſalium eaſque per ſe notas; deinde eam unam eſſe, nempe motum? Quid eſt

quod

quod cauſas univerſalium manifeſtas eſſe aſſerit, ita ut nullâ omnino methodo indigeant, poſt verò cognoſci non poſſe ſine ratiocinatione, qualis ſit motus ille, qui ſit cauſa Figuræ alicujus, Coloris, Soni, &c. Dices forſan hanc eſſe mentem ſuam, ut aſſerat cauſam omnium varietatum eſſe motum, atque hoc eſſe per ſe notum, ſine ratiocinatione; cauſas autem varietatum in objectis eſſe motuum varietatem, quæ ratiocinatione indiget ut inveſtigetur, Et ego quidem credo tale quid illum aliquandò loqui voluiſſe; at neſcio quomodo errat fluctuatque illi oratio ſua; & vix unquam contingit, ubi in verba ſimilia incidit (ut hic, ubi cauſa univerſalium, & cauſa univerſalis ab ipſo nominantur) ut ſeipſum abſque ſenſûs deliquio expediat.

Ait (§ 7) *poſſibile non eſſe abſq; vocabulorum vel notarum uſu progredi (ratiocinando) à principiis, uno aut altero Syllogiſmo longiùs.* Temerè hoc quidem minimèque philoſophicè; quin *difficile* potius hoc eſſe dicere debuiſſe videtur.

Non illud mihi profectò cum ratione dictum videtur, ubi aſſerit (§ 13.) *Definiri ſatis ea nomina quæ res ſignificant, quarum cauſa aliqua intelligi poteſt* (iſta enim ſunt quæ prioris generis eſſe illic determinatur) *ſi oratione breviſſima fiat, ut Idea earũ clara in animo excitetur.* Et quod dicit in fine (§ 14.) *definitionem eſſe propoſitionem cujus prædicatum eſt ſubjecti reſolutivum ubi fieri poteſt, & ubi non poteſt exemplificativum.* At iſta exemplificativa non ſunt mihi crede definitiones, etiamſi cauſa intelligi non poſſit: quòd ſi poſſit intelligi, debet illa Philoſopho res accuratè tractanti in definitionibus curæ eſſe ut *intelligatur*, ut tradatur? Quanquam etenim omnis definitio accurata claram excitet in animo

defi-

definiti Ideam, nempe inde concludit, quæcunque vocabula claram excitent Ideam, definitionem ſtatim Idealem comprehendere.

Tranſeo quod habet de Euclidis principiis (§ 13.) nempe axiomata Euclidis principia non eſſe, ſed eſſe demonſtrabilia ex definitionibus. Nempe tentavit ille Axioma hoc *totum eſt majus ſuâ parte*, ex definitione Totius & Partis demonſtrare (C.8. §. 25.) & reſpicere ſolet ad pauca, unde orta eſt ipſi facilitas pronunciandi; quod de uno ſe inveniſſe credidit, illud omnibus convenire exiſtimavit; quod nullâ tamen ratione evicturum eum aliquando eſſe credo.

Sectione 16, ex definitione demonſtrationis illud deducit, *omnem legitimam ratiocinationem quæ initium habet in principiis veris eſſe ſcientificam & veram demonſtrationem*. Reſcinduntur obitèr ab illo omnia quæ fidei ſunt, in iiſque omnis ratiocinatio; Scientifica ea non eſſe, veram demonſtrationem non habere, millies in Leviathane vel innuit vel profitetur; quin igitur vera ea eſſe ut neget (ſibi ipſi, ſi conſtare velit) eſt neceſſarium. Imò cujus eſt hæc vox p. 238. *Quicquid verum eſt, idem demonſtrare ſe poſſe putat Geometria recens, ſedatior facta, non item; habetq; vino illud ſimile, recens ut inflet*. Quid primum dicam, V.D. quid poſtremum? quomodo me hac occaſione geram? Soleo nimirum errores ejus infinitos, modò nihil illis ſubeſſe impietatis videatur, ſedatus intueri: verum cum in relligionem eum ſive tectè machinantem ſive apertè involantem cerno, condonabis hoc ſpero mihi ſi paulò vehementiùs commovear. An in illo ingenium, an judicium, an memoriam, an relligionem, requiram? in quam quæſo partem vehetur oratio? imò verò

verò (vir digniſſime atque moderatiſſime) ſentio non modo ſeveritatis, verùm & crudelitatis ſummæ futurum illud ab ipſo exigere cui non eſt ſolvendo. Quin patiamur ipſum abſque hac moleſtia ætatem agere, ſive nimium ſeneſcere contigerit, ſive repueraſcere.

Fecit hæc animi perturbatio, ut alia in hoc capite multa quæ falſa ſunt aut temerè enunciata omitterem: tale eſt illud p. 52. § 15. 3. ubi dicit, *de definitionibus an ſint admittendæ necne non eſſe neceſſe diſputare.* Nempe hoc illud eſt quod ſibi poſtulare perpetuò videtur, ut pro libito poſſit definire, ut inde ducat Corollaria: verum quis eſt, qui neſciat quodcunq; libet hoc modo inferre, Solent Mathematicis ſtudiis dediti non illud curare quibus nominibus inſigniantur res ſuæ, modo termini quibus utuntur, definitione clara explicentur: verùm libertatem hanc ad Philoſophiam transferre omnémque ejus partem, ubi ex nominibus jam conſtitutis quæruntur rerum naturæque ipſius explicationes, hominis eſt parùm admodùm ſive naturam ſive Geometriam ſive artes reliquas ſive hominum conſuetudinem intelligentis. Verum & alia habet quæ faciunt ut Geometriæ ſi non ignarum, attamen non niſi parcè admodum ſcientem eum exiſtimemus. Dicit (§ 19) Geometras vocare artem illam quam nos ſupra deſcripſimus (initio hujus Capitis) Logiſticam; quinam ſint illi Geometræ qui hoc nomine hanc artem inſigniant, mihi certè non occurrit neque ipſe (credo) novit. Eſt hæc ars Geometris iis in quibus mihi verſari contigit ars *Analytice. Logiſtica* autem vocatur ars ipſa computandi (quod feciſſe credo ut Logicam vocaret computationem) ſive illa in numeris, ſive in ſpeciebus atque literarum notis exerceatur. Ait methodum Analyticam neq; exerceri neque intelli-

intelligi poſſe, niſi ab iis qui in Geometria verſati ſunt, totuſque in eo eſt (tum in hoc loco, tum infra, poſtquam ad caput 20 perveniens de Analytice loqui didicit) ut Analyticen (iſtam cujus partim reſtitutione, partim inventione, factum eſt ut plus Geometriæ paucorum annorum ſpatio, ætate noſtra & parentum, acceſſerit quam multis anteactis ſæculis,) vilem omnino reddat & contemptam. Sed nunquam (ſpero) excutiet è ſtudioſorum manibus atque ſtudiis Analyticen illam Geometrarum, ſpecioſamque quantitatum deſignationem. Facit hæc Ars ut unuſquiſque impenſius aliquantò in eo verſatus, non ſolum ea quæ à veteribus inventa ſunt & demonſtrata, facillimè poſſit intelligere, verum & alia inſignia pro re nata invenire. Dedit hæc ars *Vietas*, *Ghetaldos*, *Harriotos*, *Oughtredos*, *Carteſios*, *Walliſios*, nomina æternitati conſecrata: quin & nova dat indies huic Inclytorum numero adjicienda. Dedit artis hujus ignorantia & neglectus, *Orontios*, *Scaligeros*, *Severinos*, & hunc demum autorem paralogyſmis in omne ævum inſignes futuros, fædíſque infames Tetragoniſmis. Certè duas eſſe res conſtat (præter paralogiſmos infinitos ſummamque arrogantiam quibus omnis ferè paginæ impletur) quæ facturæ videntur, ut neq; inter bonos neque doctos viros ſit Hobbius olim nomen aliquod inſigne habiturus. Importuna nempe Spirituum, animíque immortalis (abſq; omni rationis ſpecie) rejectio, & inſignis ἀγεωμετρία,

Diſcite Analyticen moniti, & non temnere Divos.

Atque hæc hactenus V. D. ſummas rerum oras lambendo in Logica Hobbiana, ſive Computatione, animadvertiſſe ſufficiat. Tranſeo nunc ad ſecundum illud rerum genus quod erat initio propoſitum, cui titulus eſt *Philoſophia prima.*

SECT. II.

SECTIO II.
De prima Philoſophia.

CAP. I.
Ubi animadverſiones in Hobbii caput ſeptimum libri de Corpore, de Spatio, Tempore, Contiguo, &c.

SCilicet aſſerui jam me fugique catenas, à Dialecticis extricavi me telámque iſtam perrupi, ut ad ſublimiora tandem aſſurgat paulatim oratio, atque in his quidem ſi præclarè eum ſe geſſiſſe invenerimus, ſi ſitim illam quâ in naturalium rerum ſcientiam anhelamus, ſedatam ab ipſo ſenſerimus atque reſtinctam, noli obſecro ut ipſi ſint apud te dedecori, quæcunq; adhuc liberiùs in eum animadverſa ſunt. Magnam certè rem aggreditur Philoſophiam naturalem ab imis fundamentis excitare; à. notionibus communibus qualia eſſe ſolent axiomata Geometrarum ad maximarum rerum atque complicatiſſimarum intellectionem, nos, methodo non minus accurata quam eſt Euclidis in elementis (ubi nemo unquam tot ſæculis paralogiſmum invenit) adducere. Hæc ſi præſtiterit manebit eum certè laus inſignis, etiamſi in Dialecticis non fuerit adeò egregius, multa certè habebit quæ ſe defendunt, uti illud, non omnia poſſumus omnes; pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus; Bos laſſus fortiter figit pedem; & ſiqua ſint ſimilia; verùm inquies, quid ſi nos hoc etiam loco deluſerit, nihílq; hinc reportemus præter ſtomachum vel bile vel adaucto ſitis ardore laborantem? tum certè nobis recurrendum erit ad Philoſophiam, ut injuriam hanc patienter feramus, cum levius fiat patientiâ quidquid corri-

Corrigere eſt nefas. Quanquam igitur & illud difficile ſit viro, ſaltem in Stoicorum diſciplina minimè exercitato, continere ſe provocatū atq; deluſum, tentabo ſiquid poſſim, & in ea quæ meam non excitaverint aſſenſionem, breviſſima oratione inquiram.

In Epiſtola Dedicatoria hæc habet. *Confido ſiquam fiduciam ſcripti ſcribentis timor, reſpectatio, diffidentia præſtare poteſt.* (Annon autem mirandum eſt niſi timor & diffidentia præſtent fiduciam?) *in tribus libelli hujus partibus prioribus ex definitionibus omnia eſſe legitimè demonſtrata.* Pertimeſcere incipio hæc intuens. Tertiam hujus libelli partem, quæ Geometrica eſt, primò omnium (pro more eorum qui Mathematicis delectantur) perlegi, legerunt eum & alii, judicium tulerunt clariſſimi viri D D. *Walliſius* & *Tacquet*, forſan aliíque. Atque ipſe jam totus ſum in metu, ne forſan elabatur ex animo ſpes olim de hoc opere concepta, effugiatque denuo & ſe abſcondat natura, cujus ipſius intuitum obtinuiſſe ſe profeſſus jam diu eſt Hobbius, eumque nobis pollicitus. Metuo certè ne ſit mihi illud querendum, nempe quod

Malo me Galatea petit laſciva puella,
Et fugit ad ſalices. ——

Siquid etenim poſſit ad metum hunc creandum ſcribentis arrogantia, reliquorumque omnium qui unquam extiterunt hominum contemptus (de qua re initio hujus Epiſtolæ nonnulla) ſiquid falſi ſæpiſſimè & fallentis experientia, ſiquid hominis efferentis ſeſe in rebus iis, ubi maximam de ſe opinionem & conceperat & in diſcipulis ſuis excitaverat, lapſus inſignis & in æternum pudendus, metuendum eſſe ſentio, ne nos fallat, (egregia expectantes) hæc omnis Philoſophia Hobbiana. Verùm

inquis, non eſſe conjecturis atque ariolationibus immorandũ: quin igitur de re ipſa agatur, & penſitentur aliquantulùm definitiones iſtæ, quæ Philoſophiæ univerſæ fundamenta eſſe voluit.

Incipit igitur Philoſophiam naturalem *à ficta univerſi ſublatione* (§. 1.) *rerumq;* (id eſt corporum) *annihilatione*.

Cernis ſtatim initio magnum à nobis (imô quod imaginatione præſtare non poſſumus) eum poſtulare, nempe ut cogitemus, id eſt, imaginemur corporum ſeu mundi ipſius annihilationem. Cum nullo interim phantaſmate apprehendi poſſit vel rerum è nihilo eductio, vel eorundem in nihilũ reditio: imò verò mentis illud opus eſt, non phantaſiæ, ſi modo poterit comprehendi; & novi ego plurimos, qui hunc autorem eſſe credunt.

Ægroti veteris meditantem ſomnia, gigni
De nihilo nihilum, in nihilum nil poſſe reverti.

Quare noluiſſem ut illud ſtatim initio à nobis exegiſſet; ſed fruatur hoc conceſſo: geſtio videre orientem hinc Philoſophiam tanquam ex Chao olim univerſum. Quid tum porro?

Tum inquit (§. 2.) *Si meminerimus, ſeu phantaſma habuerimus alicujus rei quæ extiterat, nec conſideremus qualis ea erat, ſed ſimpliciter quod erat extra animum habemus, quod appellamus ſpatium imaginarium,* — Eſt enim *ſpatiũ, phantaſma rei exiſtẽtis, quatenus exiſtentis.*

At multa ſunt, quæ faciunt, ut vel veritatem vel uberiorem ſaltem terminorum explicationem in iſta definitione requiram. Primùm enim etſi uſus jam ante ſit ſæpiùs, & deinceps uſurus ſit per omnem hanc primam Philoſophiam vocabulo *phantaſmatis*, nondum tamen *phantaſma* definivit, cujus tamen natura magis in profundo latet plerumque, quam earum re-

rum

rum quæ eo nomine definitũur. Ego quidem in ea ſum ſententia, non illud opus eſſe prima ſimplicium rerum genera definire, ea nimirum quorum claras atque diſtinctas notiones habemus, cujuſmodi ſunt motus, duratio & ſimilia, verùm licere in diſciplinis de iis rebus accuratiſſimis, à notis earum affectionibus ad ignotiora abſque omni Logicæ diſpendio ſtatim procedere: verùm ſi illa definire velimus, cavendum illud eſſe ſummoperè, ne quis notiora per magis ignota velit explicare. Tale autem hoc in loco contigiſſe ſentio: quid ſit ſpatium omnes ferè apprehendunt; quid ſit phantaſma Hobbius ipſe & nobis jam neſcire videtur, & ſibi ipſi non multùm antehac (ut audiendo accepi) ignorâſſe viſus eſt. (Nempe durior erat ipſi peneque fatalis libelli hujus partus, diuque ſub operis obſtetricibus laboravit:) Petenti mihi cauſas, reſponſum eſt, contigiſſe hoc partim ob Quadraturam non benè conceptam, partim ex eo quod quid eſſet ſenſus (& proinde quid phantaſma) neſcire ſe profiteretur. Imò verò excuſa eſt hæc pars operis aliquot annis antequam ab ipſo in prælum prodiret capitulum illud de ſenſione; prodiiſſe autem exiſtimandum eſt illud quamprimum ab ipſo conceptum & formatum eſt, ita ut ſenſus ipſius, terminos in prima Philoſophia per phantaſma definientis, hic fuerit; ſpatium, tempus, &c. eſt quid ignotum. Sed miſſa hæc faciamus, & quæramus quid ipſi tandem ſit phantaſma, ſine cujus rei cognitione latebit earum rerum natura, quæ eſſe phantaſmata definiuntur. Parte 4. cap. 25. §. 3. *Phantaſma* (inquit) *eſt ſentiendi actus, neq; differt à ſenſione aliter quam fieri differt à factum eſſe.* Quærendum itaque eſt quid ſit ſenſio. Eſt autem *Senſio* ibidem §. 2. *ab organi ſenſorii conatu, ab extra, qui generatur à conatu ab objecto verſus interna eoq; aliquandiu ma-*

 nente

nente, per Reactionem factum Phantaſma. Senſio eſt factum Phantaſma; & Phantaſma eſt actus ſentiendi: Umh! vereor ne hæc ſe deſtruant invicem, priuſquam ad iſtud Capitulum noſtra perveniat oratio. Sed datam Phantaſmatis definitionem Spatio applicemus. *Spatium igitur eſt actus ſentiendi ortus à conatu rei exiſtentis quatenus exiſtentis, ad intra*. Præclarè hoc quidem, quid interim eſt Res? Res eſt corpus aliquod, quæ eſt pars Univerſi. Eſt igitur Spatium actus ſentiendi ortus à conatu alicujus Corporis. At ego exiſtimabam hoc eſſe Phantaſma Corporis iſtius: Eſt igitur Spatium corpus quodcunque. Non (inquis) quia non eſt Phantaſma corporis, ut corpus eſt; ſed corporis ut Exiſtentis. Benè habet: hoc ſaltem debet concedere, res exiſtentes quatenus exiſtentes Phantaſmata excitare. Verùm enimverò non alio modo Phantaſmata excitantur, quàm ut ſenſum feriant objecta, neque ſenſum feriunt ſub ratione exiſtentiæ nudæ, verùm ſub rationibus circumſtantiarum, motûs, figuræ, poſitionis, &c. quæ illa comitantur: Impoſſibile eſt itaque, cum Phantaſmata ab objectorum operatione (per reactionem, ut ſupponit, ab ipſis objectis omninò dependentem) generentur, ut ſit aliquod Phantaſma exiſtentis quatenus exiſtentis. At (inquis) annon ſentimus nos iſta percipere, nempe conſiderare nos poſſe corpus aliquod, non ut eſt circumſtantiis veſtitum, verùm iis omnibus reſciſſis, ſub eâ ſolùm ratione ut eſt? Imò verò poſſumus, & inde exorta ſunt vocabula iſta eſſentia, exiſtentia, reliquaque ejuſmodi, quibus Gentes aliquas eſſe, vel ſaltem eſſe poſſe, quæ careant, ſuprà eum dicentem introduximus. Habemus (inquam) hujuſmodi notiones; Phantaſmata hujuſmodi ut habeamus, ex iis quæ aliquoties ſuggeſſimus, eſt impoſſibile.

bile. Concludendum eſt igitur, ſiquis rectè velit ratiocinari, vim eſſe quandam in homine, quæ Phantaſiam excedat: quod unum concluſiſſe, ejuſque concluſionis neceſſitatem indicâſſe, eſt omnes ferè Philoſophiæ Hobbianæ nervos incidiſſe. Interim definitionem iſtam, quâ dicitur *Spatiū eſſe Phantaſma rei exiſtentis*, & in ſeipſâ obſcuram, imò & falſam eſſe evicimus.

§. 3. Tempus definit, quòd ſit *Phantaſma motûs*. Nempe grande quid ſonat iſtud vocabulum Phantaſma, habétque quod obſcuritate ſuâ ſtupefaciat, ipſoque ſono attonitos reddat imbelles juventutis animos; quæ ſola mihi ratio videtur, ut ipſi ſit adeò in deliciis. Coincidere concedit definitionem iſtam cum Ariſtotelis illâ, *Tempus eſt numerus motus &c.* Quid igitur opus erat ab illa recedere? imò verò (inquit) tenuia ſunt iſta & mollia vocabula, nos —*paulo majora canamus*. At mihi quidem videtur ipſe non Ariſtotelem, multò minus rei naturam intellexiſſe; neque n. eſt durationis continuæ (in quo quicquid naturale quod eſt, in tempore conſiſtit) eadem notio, quæ eſt motûs; ſeu (quod idem eſt) duratio non eſt motus; atque hoc quidem adeò manifeſtum eſt, ut oſtenſione non indigeat: Permanere in ſtatu aliquo, non eſt moveri. Cum igitur Ariſtoteles aliíque Tempus numerum motûs eſſe definiverunt, non illi de ipſâ rei naturâ locuti ſunt, ſed de menſurâ ejus potiùs, quæ ſit uſui humano accōmodata. Durarent certè res & manerent, etiamſi motus omnis ceſſaret; verum durationem ipſam metiri abſque motu non tam facilè poſſemus. Verbo, cum annis, menſibus, &c. rei alicujus durationem metimur, annoſque & menſes diurnis Terræ revolutionibus computamus, non illud intelligimus, revolutiones Terræ inire rationem durationis, de qua quæſtio inſtituitur, verùm rem (exempli gratiâ) vel permanſiſſe vel præteritam fuiſſe, i.e. vel rem durâſſe,

vel mundum abſq; re iſta duraſſe, donec Terra tot ſuper axem ſuum revolutiones compleverit: non eſt igitur Tempus phantaſma motûs, magis quam Angulus eſt phantaſma arcûs circuli quo menſuratur, quod tamen nemo ſanus dixerit. Verùm in iſtis notandis tempus inſumere noluiſſem, niſi maximam ἀκρίβειαν pollicitus nihil ipſe interim præſtaret.

Multa certè habet in hoc capite, quæ vel ſubtiliſſima ſunt, vel erit mirandum in opere tam ſublimi locum invenerint. Ait §. 5. *Notandum eſſe per diviſionem ſpatii vel temporis non intelligi unius temporis vel ſpatii ab altero diſtractionem, vel divulſionem; quis enim hæmiſphærium ab hæmiſphærio, vel horam primam à ſecunda dirimi poſſe putat?* Annon profunda ſunt iſta? annon ſummâ admiratione digna? Placent, opinor, tibi, habebis & alia.

Numerus (inquit §. 7.) *eſt unum & unum; vel unum, unum, & unum, & ſic deinceps.* (Poterat ad viginti procedere;) quæ tamen vel falſa ſunt, vel puerilia. Placuit, opinor, tibi quod habuit de divulſione temporis (§. 5.) ſenſit hoc Magus hic noſter, quare eam omnem notionem repetit §. 8. dicitque *Tempus vel ſpatium componere, non eſſe partes eorum* (in manus) *ſumere, eaſq; ſibi admovere ut ſe mutuò contingant.* Quin igitur cavendum erit tibi V. D. ne tempus aliquando hoc modo vel ſpatium componere nitaris.

Hinc inquit §. 9. manifeſtum eſſe. *Cum res aliqua diviſa ſit, tot ſolummodo ejus partes eſſe quoties ſit diviſa.* Verum quid, eſt ut Geometriam atque Atrithmeticam ab illo expectemus, qui neque digitos ſuos enumerare meminit? Si foret in manum Philoſophi elelegantem, findendus pes alter iſtius animalis quod ipſe abigere ſe dicit, cerneret quatuor diviſionibus quinque digitos fieri: non ergo *tot* ſolummodò eſſe partes, *quoties* diviſa eſt ungula. At (inquis) pueris

Digitized by Google

lis eſt iſta exceptio, neque opinandum eſt ipſum ita ſenſiſſe prout verba ſonant; fortaſſe, neque admodum renitar. Interim hæc ea ſunt de quibus *timendo, reſpectando, diffidendo,* fiduciam concepit, poteritque illud perpetuò regeri, benè eum & rectè forſan ſentire, etiamſi perverſa, falſa, puerilia eloquatur.

Tranſeo ad illa quæ habet § 10. de Spatio, & Tempore, Contiguo, & Continuo; ubi obiter dejicitur ipſe (à quo tamen religionem hauſiſſe videtur) cujus eſt hic verſiculus —*tangere enim & tangi niſi corpus nulla poteſt res.* At (inquit) *Contigua* ſunt immediata, Continua quorum eſt aliqua pars communis. Supponimus ex atomis omnia conſtare, neque ipſe aliter ſentit, quæ tangere ſe poſſunt, ingredi ſe non poſſunt: ex hoc præſuppoſito expectamus, ut Contigui atque Continui differentiam explicet. Contigua (inquit) ſunt immediata, rectè; Atomi itaque ſibi invicem immediatæ contingere ſe dicuntur; rectè & planè intelligibile; at quid eſt interim Continuum? Dicuntur (inquit) Continua quæ partem habent communem. Poteſt igitur illud eſſe Continuum quod ex ſolis conſtat Contiguis. Sumatur, exempli cauſâ, granorum quorumlibet quævis menſura, contigua inter ſe erunt granula quæ ſunt immediata; itaque unumquodque granulum non niſi aliis aliquibus Contiguum. Verùm ſi ſumātur partes menſuræ initio ſumptæ, quæ ſemiſſē excedūt, erunt duæ iſtiuſmodi partes continuæ dicendæ, quia partem aliquam neceſſe eſt ut habeant communem. Pulchrè admodum! Satis eſt, mentem ejus intelligimus: at (inquis) non loquitur hîc de Corporibus Contiguis, aut Continuis. Imò, inquit, horum eſt eadem ratio, quæ eſt ſpatii. C. 8. §. 9. Reliqua quæ hoc capite ſequuntur (numerum e. g. non eſſe infinitum, neque plura ſpatia infinita, & de quan-

titate in infinitum diviſibili) & vetera ſunt, & vera eſſe judico. Tranſeo ad ſequentia.

Cap. 2.

Examinatur operis Hobbiani de Corpore Caput octavum.

NE ſit phantaſtica & vana omnis ferè Philoſophia Hobbiana, exinde metuere incipio, quòd omnium ferè rerum definitiones, quæ earum naturam explicare debuerant, ingreditur *Phantaſma*; quaſi animi imaginantis Phantaſma foret de ipſa rerum eas generantium natura. Nempe §. 1. definitionem Corporis hujuſmodi proponit, *Corpus eſt quicquid non dependens à noſtra cogitatione cum ſpatii parte aliqua coincidit & coextenditur.* Hanc autem definitionem breviſſimè excutiamus.

Hoc nempe vult iſta definitio, eam eſſe *Corporis* naturam, ut coincidat cum ſpatio & cum eo coextendatur. Eſt itaq; nobis (ut definitionem hanc intelligamus) reducenda in memoriam definitio *Spatii*, *Spatii nimirum imaginarii.* Eſt autem ſpatium *Phantaſma rei exiſtentis quatenus exiſtentis:* Phantaſma nimirum in animo relictū. Eſt igitur *Corpus* illud quod coextenditur & coincidit cum *Phantaſmate*; quare & Phantaſma cum corpore etiam coincidet & coextendetur, ſunt etenim termini iſti reciprocantes: quare illud quod intra animum eſt, ibíq; ſolùm exiſtit, coextendetur cum eo quod eſt extra animum: Imò *Phantaſma rei exiſtentis quatenus exiſtentis*, habebit coextenſionem cum eo quod extra animum extenditur. Quod ſi Phantaſma habeat coextenſionem cum eo quod eſt extra animum, habebit & extenſionem extra animum; quod

quod nonniſi ab inſano dici poſſe mihi videtur. At exiſtimas tu forſan Sophiſticam eſſe omnem hanc diſputationem & per Phantaſma intelligere eum potius Phantaſmatis objectum, non autem ipſum Phantaſma, & corpus cum eo objecto coextendi. Quòd ſi hæc eſſet ejus ſententia, foret iſtud objectum aliquid extra animum ab eo non dependẽs, quæ eſt ipſa notio Corporis, imò evertit iſta ſuppoſitio Philoſophiæ ſuæ prima fundamenta. Quare quocunque ſe vertet inanem prorſus eſſe hanc definitionem conſtabit.

Quin etiam ejuſdem farinæ eſt definitio Accidentis quam affert §.2. *Nempe Accidens eſt concipiendi Corporis modus.* Si Accidens *modum* eſſe ſolum dixiſſet, habuiſſet me certè ſibi conſentientem, verùm cum in definitionem Accidentis conceptum infert, i.e. Phantaſma, perperam mihi feciſſe viſus eſt: quærimus nimirum ab eo, juſſitq; ut expectemus rerum naturas; ipſe autẽ eas ita definit, quaſi abſente earum imaginatione, atq; abſq; relatione ad Phantaſiam, nihil in rerum naturâ foret, nempe neq; Corpus neque non Corpus ſive Accidens, quæ duo hujus Philoſophi judicio univerſum integrum abſorbent. Ego verò & Corpus fore exiſtimo, etiamſi contigerit deficere ubiq; Phantaſiam; quin & fore Corpora, ea quæ ſunt, iiſdem Accidentibus veſtita, iiſdem modis circumſcripta, neq; ingredi naturam ſive Corporis ſive Accidentis, ut illud cum *Phantaſmate* coincidat, Hoc autem *concipiatur.*

Quin pergamus. Ait §.3. *Corpus abſq; extenſione aut abſq; figurâ concipi non poſſe.* Benè habet, quod extenſioni adjunxerat figuram; ſecluſerat eam ſuprà Cap. 3. §.3. nolo ego contradictionem ei objicere, quin potiùs reſipiſcentem fovere.

§.5. *Spatium* (quâ voce ſemper, inquit, intelligo

Imagi-

Imaginatium) *quod cum corporis magnitudine coincidit, illius corporis vocatur locus*. Quin §. eâdem, *locum nihil eſſe extra animum, magnitudinem nihil intra*, aliaque plura ejuſdem generis. Quin dicat (obſecro) quomodo illud quod intra animum eſt totum, nihilq; extra, coincidat cum eo quod totum eſt extra, nihilq; intra. Quidnam eſt illud coincidere? & coextendi? totum cum toto, partem cum parte? quid eſt illud plenum eſſe & occupari? Narret, ut iſta phantaſmati conveniant.

Sectione 7â concludit, *omne quod eſt alicubi, eſſe in loco propriè dicto, qui eſt pars ſpatii majoris*. Neſcio quid ſibi velit, niſi ut tacitè evertat illud Scholaſticorum, ubi aſſerere ſolent Angelos habere non *locum* ſed *ubi*, non *circumſcriptivum*, ſed *definitivum*. Et ut argumentum hinc petatur quo evincat omnia eſſe corpus. Quoniam *quicquid* eſt, *alicubi eſt*; quod *alicubi* eſt, eſt in *loco propriè dicto*; quod eſt in *loco propriè dicto, extenditur*, & eſt corpus. Ego quidem profiteor me iſtam Scholaſticorum doctrinam non aſſequi intelligendo, neque concedendum mihi videtur alicubi eſſe (vel in agro, vel in urbe &c) quicquid eſt. Verùm ex Hobbii doctrinâ illud potiùs inferam, eſſe poſſe debere Angelos in loco, neque interim corpora eos exiſtere. Nempe *locus* eſt *ſpatium*, *ſpatium* eſt *phantaſma exiſtentis, quatenus exiſtentis* (non quatenus extenſi vel figurati) ideoque quicquid *exiſtentiam habet*, quidni poſſit cum ejuſmodi *phantaſmate* (ut verbo ejus utar) coincidere?

Sectione 9. miratur eos *qui corpora contigua fore judicant, inter quæ nullum aliud corpus intercedit*, aitque *illos verborum ſpecie, tanquam igne fatuo ſeduci*. Intelligit autem (opinor) *Digbeum, Thomam de Albiis, Carteſium*, alioſque viros eximios, & de Philoſophiâ meritiſſimos.

meritiſſimos. Videamus quâ ratione ſeipſum hoc in loco expediat. Quæritur, an corpora ſint neceſſariò Contigua, inter quæ nullum eſt Corpus? aſſerit A, negat H. Quare? *Nempe ſi intercedat ſpatium Corporis recipiendi capax, non ſunt duo Corpora contigua.* Præclarè! Sint A, B, C, Corpora Contigua, annihiletur B, nihilque aliud fiat, non erunt A & C contigua, quia intercedit ſpatium capax recipiendi Corporis B, vel illi æqualis. Clara ſunt hæc & admodùm intelligibilia. Verùm illud quæro; annihilato B, ſi annihilentur phantaſiæ omnes humanæ, annon erit idem ſpatium inter A & C? annon A & C eodem modo ſe habebunt ad invicem? an inter A & C ingredi non poterit denuò B vel Corpus illi æquale? Certè fieri hæc omnia poſſe manifeſtum eſt, quare capacitas iſta non omnino ab imaginatione pendebit, eritque ſpatium hoc interjectum, de quo loquitur Thomas, non imaginarium, ſed quod vocant Reale; erit aliquid extra animum, non ſolum intra animum; reddenturque inania ea omnia quæ de Spatio hoc capite diſſeruit, quæ nihili omninò eſſe mihi videntur. Quinimò miratus ſum V. D. cur ille Philoſophiam ab obſcuriſſimâ Spatii contemplatione inceperit, quæ nullius (quantum ego intelligo) uſûs eſt ad Philoſophiam: Cur item omnia eſſe phantaſmata definiverit, neque ulla unquam hactenus mihi ratio hujus phænomeni emicuit, præter hanc unam, ut vacuum haberet, ubi Chimeræ bombinarent, ſpatium, ubi phantaſmata volitarent.

Ait §. 10. *Moveri aliquid niſi in tempore concipi non poſſe*; Fortaſſe! Sed neque quieſcere. Quare autem non poſſit niſi in Tempore moveri? *Nempe eſt Tempus, ex definitione, phantaſma, id eſt, conceptus motûs; itaq; concipere aliquid moveri non in tempore, eſt concipere*

motum

motum non concepto motu, quod eſt impoſſibile. Ubi nunc ignis ille fatuus verborum qui ſolebat Philoſophos ſeducere? vel quid eſt, ſi hoc non fuerit irretiari, turpíque prorſus modo hallucinari. Primum, Tempus non fuiſſe Phantaſma motûs, ſuprà oſtendimus, quin temporis τὸ φυσικὸν eſſe durationem, durationem eſſe quieſcentium æquè ac motorum; utramque hanc durationem metiri ſolere homines motu terræ, atque durationem hoc modo menſuratam eſſe illud quod ſolent homines omnes appellare Tempus.

Non eſſe (inquam) tempus Phantaſma motûs, non motum cujuſcunque corporis temporis rationem ingredi, ſed Terræ ſolius, ideoque cum quis poſſit capitis Hobbiani vertiginem abſque motûs diurni terreſtris conſideratione contemplari, non eſſe reciprocantes, multò minùs eoſdem conceptus Temporis & Motus cujuſlibet eſt manifeſtum.

Verùm quid eſt, quod iſta ſectemur? Ait ipſe §. 11. Tempus ingredi rationem Quietis, non minùs quàm Motûs; viz. *Quieſcere dicitur quod per aliquod Tempus in eodem eſt loco.* Annon quieſcunt res per *Phantaſma motûs*? annon vides quàm ſit puerilis iſta ratiocinatio quæ 10. Sectionem claudit. Imò hoc dicendum eſt, quieſcere rem aliquam donec Terra tot revolutiones earúmque partes abſolverit, atque hâc ratione exhiberi nobis durationem quietis in datâ menſurâ; pariter de motûs alterius cujuſque corporis duratione eſſe ſtatuendum, verborumque ſpecie pueriliter deluſum ex definitione mala, tum peſſimè & Sophiſticè ratiocinari, ideoque fruſtra ab eo Sophiſmatum ſolutiones (quod tamen hoc ipſo in articulo pollicetur) eſſe expectandas. Quin videamus eum (ſi velis) certantem, quin triumphanti ſi mereatur, *acclamemus, & Herculeum pæana canamus.*

Quieſcere

Quieſcere dicitur, quod per aliquod tempus eſt in eodem loco. Motum eſſe vel fuiſſe quod ſive nunc quieſcat, ſive moveatur, fuit prius in alio loco quam nunc eſt. §. 11. Hæc ipſi ſi conceſſeris, videbis proculdubio eum armis victricibus præclara admodùm gerentem. Dices forſan illud motum *eſſe* vel *fuiſſe* tibi non idem ſonare. Quin recurrendum igitur eſt illicò ad Grammaticos, qui verbum hoc *moveor* ita ſolent inflectere, move *or*, *ēris vel ēre*, *motum eſſe vel fuiſſe*. Satis eſt; videamus quid ex iſtis evincat. Infertur primò, *Quicquid movetur, motum eſſe vel fuiſſe*. Secundò *quod movetur motum iri adhuc*. Tertiò, *quod movetur non eſſe in uno loco per ullum tempus quantumvis exiguum*. Præclara hæc quidem, ſi iſta etiam explicâſſet, quâ poſſet ratione motus vel exordiri primùm, vel tandem eſſe deſinere; vel oſtendiſſet quomodo poſſet Corpus motum neque in loco uno eſſe per minimum tempus; neque omnino in pluribus ſimul, quod ſuprà, §.8. aſſerit. Sed non eſt ut ab ipſo hæc expectemus, ſeipſum ad certamen accingente, vireſque adverſus hoſtem ſtringente. Vereor V. D. ne ad hoſtis mentionem tremiſcas, ſed ferendum eſt quicquid averti non poſſit; quinimò gratiæ habendæ ſunt Thomæ noſtro, qui hoſtem iſtum aggredi auſus eſt ſolus, nobiſq; ſpectaculi reliquit voluptatem.

Suave mari magno, turbantibus æquora ventis,
E terrâ magnum alterius ſpectare laborem.
Suave etiam belli certamina magna tueri
Per campos inſtructa, tuâ ſine parte pericli.

Ne te cruciet forſan expectatio, rem breviter ſic accipe. Eſt quoddam *Sophiſma* antiquum illud, obſcurũ, Philoſophis hactenus omnibus (ex compoſitionis continui ignoratione) infenſum.

Monſtrũ horrendũ, informe, ingens cui lumen ademptũ,
Horribili ſuper aſpectu mortalibus inſtans.

Hoc nempe eſt ſpectrum illud, quod abigere vult & profligare: quin propriùs accede, & ſpectabis illicò conflictum *Phantaſmatis* cum *Sophiſmate*. Quin dic igitur *Sophiſma* &

Incipe ſiquid habes, Thoma mora non erit ulla.

Hæc igitur Sophiſma; *Si corpus aliquod movetur, movetur vel in loco ubi eſt, vel in loco ubi non eſt; quorum utrumq́; falſum eſt: ergo nihil movetur.* Eja Sophiſma! Vereor ne malè ſit Phantaſmati; at metum hunc eripuit: Ecce enim dicit Sophiſma mentiri, *quod enim movetur, neq; in loco ubi eſt, neq; in loco ubi non eſt, movetur. Sed à loco ubi eſt, ad locum ubi non eſt.* Gaudeo certè repulſâ eſſe à *Phantaſmate Sophiſmatis* vim: obrutum à Sophiſmate ſi fuiſſet phantaſma præſciſſa foret ſpes omnis perficiendæ Philoſophiæ. Expectas forſan ut vires reſumeret Sophiſma, atque illud regereret, moveri à loco ad locum non prohibere quo minus moveatur etiam in loco; poteſt enim *eſſe in loco & ſimul moveri*; quare etiam *in loco ubi eſt, moveri*. Eſt autem in loco, eoque propriè dicto, quoniam eſt alicubi.

§.7. Quid ad hæc *phantaſma*? *Negari non poſſe quin quicquid movetur alicubi (id eſt, intra ſpatium aliquod) moveatur, at locus non eſt illud ſpatium totum, ſed pars ejus.* Quin, clames, Io! vicit Phantaſma; tu forſan expectas, ut replicet denuò Sophiſma, neminem unquam cogitâſſe moveri corpus in toto ſpatio; verùm in parte illius iſtâ quam occupaverit, hunc autem eſſe illius locum. Expectas forſan, at nihil ejuſmodi repoſuit Sophiſma, imò obmutuit, nihilque habuit quo objectam retelleret ſententiam; cernis viciſſe Thomam ſuo cum Phantaſmate.

Dicite Io pæan, & Io bis dicite pæan.
Ex illo Corydon Corydon eſt tempore nobis.

Vereor

Vereor ne tibi ingrata ſit levitas hæc noſtra, verùm *quid faciam? nam ſum petulanti ſplene cachinno.* Quis poterit abſque aliqua hilaritate Andabatarum prælia ſpectare. Quis neſcit Continuorum omnium eandem eſſe difficultatem ut intelligantur? quis neſcit itaque Loci, ſeu Spatii, Temporis & Motûs eaſdem eſſe rationes? ideoque ſi de præſenti tempore quæratur (quod tamen non eſt, ſed fingitur eſſe minimum ſeu inſtans) moveri Corpus in loco ubi eſt, eandemque eſſe rationem utrinque temporis inſtantanei & loci unici. Quin hoc modo ſolvendum eſſe Sophiſma; non aſſerendo moveri aliquid, neque in loco ubi eſt, neque in loco ubi non eſt, aut idem eſſe, motum eſſe, vel motum fuiſſe; ſeu verum eſſe, quicquid movetur motum antehac fuiſſe; aliaque ejuſmodi.

Sectiones 12. 13. 14. exagitavit in Elencho Cl. D. *Walliſius*, earumque indolem prolixiùs oſtendit; non eſt igitur ut iſtis inhæreamus. Nempe proponit hic prima Geometriæ ſuæ elementa, definitiones, nimirum Puncti, Lineæ ſeu Longitudinis, Latitudinis, Profunditatis & demũ Æqualitatis Corporum, dicítque unius ejuſdemque Corporis eandem eſſe magnitudinem. Ut autem intelligamus definitiones ſuas, illud prærequirit, ut conſideretur Corpus abſq; magnitudine. Quomodo hoc fieri poſſit, quam maximè cuperem, ut explicaret; annon *Corpus, Magnitudo & Locus ejus uno & eadem actu animi dividitur?* §. 8. Dicit autem Corpus hoc modo conſideratum punctum *appellari*. Velim, ut dicat à quo ſic appellatur; punctum, illud eſt Euclidi, cujus pars nulla eſt, neque quenquam memini à quo punctum appellatur corpus, vel corpus motum, abſque magnitudine conſideratum. Quin Lectorem potiùs ad laudatum Elenchum remittendum cenſeo, ſi modo ipſi non ſtatim occurrat quàm

ſit

ſit vana & quàm multiplex ἀκυρολογία, dum punctum, lineam &c. quæ Mathematica (ut dici ſolet) intelligenda ſunt, per corpus & motum &c. quæ naturalia ſunt & ὕλην habent, non quovis modo explicat, ſed definit; quid eſt hoc quæſo aliud niſi mentes Tyronum (neq; enim expectat, ſpero, ut Geometræ ad elementa ſua recurrant) præoccupando corrumpere? dices ingenuum hoc non eſſe, aut Philoſopho decorum; eſto. Manebit tamen eum laus aliqua, quoniam hoc modo —*omne tulit punctum*. Cum interim (uti habet §. 14.) *Corpus, magnitudo & locus animo comprehendi non poſſint niſi ut coincidentia.* Manifeſtum eſt & prima ejus Geometriæ elementa non poſſe animo comprehendi. Corpora æqualia ea eſſe aſſerit, *quæ eundem locum poſſidere poſſunt*. Scilicet quæ poſſidere poſſunt idem *Phantaſma rei exiſtentis quatenus exiſtentis.*

Ait unius & ejuſdem Corporis unam & eandem ſemper eſſe magnitudinem. §. 14. Ait (inquis) imò probatque. Quin igitur argumentum audiamus. *Coincidunt (inquit) Corpus, Magnitudo & Locus; quieſcat Corpus per tempus in loco aliquo. Sitq; magnitudo ejus nunc major, nunc minor, locus idem major & minor erit ſeipſo.* Cernis inferri hoc argumēto corpus manens in eodem præcisè loco non poſſe eſſe nunc majus, nunc minus: imò vero ex ſuppoſitione coincidentiæ (ut loquitur) Corporis & loci concedimus hoc legitimâ illatione educi. Sed quid tum poſtea? quid tum inquis? Tum (inquit) demonſtratum eſt ejuſdem Corporis eandem eſſe ſemper magnitudinem. Quis crederet Corpus, quia manens in eodem præcisè loco conſtringi non poſſit & dilatari, ergo non omnino illud poſſe, neque locum poſſe novum occupare? Reverâ (vir amiciſſime) deſerenda videtur hæc omnis, quæ mihi obtigit, provincia, ne me serò forſan pœnite-

at, libellum hunc lepidum in manus ſumpſiſſe. Si etenim illud, quicquid eſt, rectè ratiocinari, lectione eorum librorum acquiratur, ubi *ſeveris demonſtrationibus* res agitur (*C.* 5.*in fine*) vereor admodùm,ne iſta legendo aut inſanire diſcam aut ſtupeſcere.

Sect. 19. hæc habet. *Quod quieſcit, ſemper quieſcere intelligitur* (pariter quod movetur, moveri) *niſi ſit alied aliquod corpus, quo ſuppoſito quieſcere* (aut moveri) *non poſſit.* En aſſertionem! videamus argumentum. *Si quieſcit*,inquit, *cauſa motus* (aut, ſi movetur, cauſa quietis) *eſt extra ipſum, ſed extra ipſum ſupponitur eſſe nihil.* Nempe quia corpus non ſupponitur, ideo nihil ſupponitur; principiis ſuis admodùm congruentèr. Verùm dicere nos poſſumus nullo alio corpore ſuppoſito (ſic enim loqui ab ipſo didicimus) poſſe tamen Deum vel motum in corpore ciere, ejuſq; lineam determinare, vel eum omnino tollere; neque nos inania locutos aliqui exiſtimabunt. Tunc autem ubi Thomas?

Ait *ſe imaginari poſſe punctum aliquod in molem ingentem poſſe intumeſcere, quæ rurſus in punctum ſe contrahat, hoc eſt, ex nihilo aliquid, ex aliquo nihil fieri.* Quin experire,obſecro,ſi ipſe hoc idem poſſis imaginari; fateor enim me obtuſioris eſſe Phantaſiæ, quàm ut hoc poſſim. Sin tu hoc nequeas, affirmare fidenter auſim, feciſſe eum quod illi ſolenne eſt, dicendo ſe illud imaginari quod in imaginationem venire nequit; adeoque eum non rem,ſed iſtã potiùs ſententiam finxiſſe.

Ait (§. 23.) *Accidens* illud eſſe *quod eſſentiam dat homini*, idemque eſſe cujus gratia *nomen* illi imponimus; ſed repreſſit eum Moranus, ſilebo igitur.

Concludit ex antedictis *demonſtrari poſſe axiomata Euclidis*; atque unum eorum(nempe ubi aſſeritur totum eſſe majus ſuâ parte)demõſtrare nititur,infacetè.

Verùm ſi iſtud axioma demonſtrâſſet, non inde ſequeretur poſſe eodem modo omnia & reliqua demonſtrari; ni forſan unâ ex inſtantiâ conſtare poſſe inductionem exiſtimemus; quin tu potiùs — *Crimine ab uno diſce alia.*

Cap. 3.

De Cauſa & Effectu, de Potentia item & Actu, quæ ſunt operis Hobbiani (de Corpore) Capita 9 *&* 10, *ubi de Neceſſitate & Contingentia nonnulla.*

Cum is ſit ſcopus Capitulorum de *Cauſa & Effectu*, & de *Potentia & Actu*, ut fundamentum iſtius ſententiæ Hobbianæ jaciatur, quâ omnia fato fieri aſſeritur, neſcio certè an ea diſcutere debeam, an prorſus præterire. Nôſti omnem iſtam de libertate & Neceſſitate controverſiam cum Hobbio ſuſceptam eſſe à doctiſſimo reverendiſſimóque Bramhallo eíque à meipſo initio hujus Epiſtolæ ſervatam. Imò verò nôſti me hanc unam controverſiam, ut difficillimam & ut periculoſiſſimam declinare ſemper ſolere atque effugere; adeo vel cum ſumma mentis intentione veritas haud attingitur, & difficile tamen eſt abſque Sacrilegio errare. Nolo te (V. D.) vel Lectorem inutiliter detinere. Nôſti locum hunc eſſe ubi intervenit ignáva ratio (ita nimirum Ciceroni in fragmento libelli de Fato audit) hunc eſſe locum ubi λόγ❍ θερίζων ratio metens; nollem ego V. D. otiari, nollem, quod aiunt, in meſſem alienam falcem immittere. Quare non eſt, ut à me integram loci iſtius de Fato & Contingentia tractationem expectes; nos hîc breviſſimè videamus quæ fuerint concluſiones Hobbianæ, quæ-

nam ea ſunt quæ poriſmata ejus cõſequũtur, vel ex rei natura vel ex conceſſione Hobbiana, tum demùm ex quibus principiis concluſiones eduxerit, atque tandem experiamur an ſententiam primariam, unde illa conſequuntur, evicerit.

Atque manifeſtum eſt ex primo capitulorum iſtorum intuitu hanc eſſe concluſionem Hobbianam, *Omnia ex neceſſitate fieri*, (non ſolum *ex fato*, uti in Ciceronis libello diſtinguitur) nempe hoc agit totum illud de Cauſa & Cauſato capitulum, ut illud evincat. Quinetiam *futurum atq; poſſibile coincidere & reciprocari, adeò ut quicquid evenerit vel eventurum ſit, omnino ſit neceſſarium, quicquid è contra non evenerit, ſit impoſſibile. Nempe omnino* (neq; Deo ipſi ſervatâ ſuâ libertate) *impoſſibile*; hic ſcopus eſt capituli de Actu & Potentia. Hæ (inquam) ſunt iſtæ concluſiones, quas omni conatu, ſummíſque viribus evincere hic nititur & ſtabilire. Summa hujus doctrinæ hæc eſt *mutationis omnis cauſam efficientem conſiſtere in motu* (cap. 9. §. 9. cap. 10. §. 6.) *Cauſam motûs nullam eſſe poſſe, niſi in corpore Contiguo & moto*, (cap. 9. §. 7.) Quin quicquid movetur eâdem viâ atque eâdem celeritate neceſſariò movetur, niſi ab alio Contiguo corpore impediatur, ibid. Quin (ut breviſſimè res tranſigatur) *motum omnem ex Neceſſitate evenire; Ergo efficientiam omnem: proinde omnia ex neceſſitate abſoluta* fieri.

Videamus igitur quid ex iſtis ſequatur. Verùm non eſt ut in iſtis diutiùs immoremur, quæ ſunt ab infinito eorum numero, qui de Fato ſcripſerunt, enumerata. Nempe ſi omnia ejuſmodi cauſis fiunt, omnia naturali colligatione, conſertè, contextéque fiunt: quod ſi ita eſt, nihil in noſtra poteſtate erit; ex quo efficitur, ut neque laudationes juſtæ ſint, neque vituperationes, nec honores, nec ſupplicia. Hæc autem ea

Verùm ſi iſtud axioma demonſtrâſſet, non inde ſequeretur poſſe eodem modo omnia & reliqua demonſtrari; ni forſan unâ ex inſtantiâ conſtare poſſe inductionem exiſtimemus; quin tu potiùs — *Crimine ab uno diſce alia.*

Cap. 3.

De Cauſa & Effectu, de Potentia item & Actu, quæ ſunt operis Hobbiani (de Corpore) Capita 9 & 10, ubi de Neceſſitate & Contingentia nonnulla.

Cum is ſit ſcopus Capitulorum de *Cauſa & Effectu*, & de *Potentia & Actu*, ut fundamentum iſtius ſententiæ Hobbianæ jaciatur, quâ omnia fato fieri aſſeritur, neſcio certè an ea diſcutere debeam, an prorſus præterire. Nôſti omnem iſtam de libertate & Neceſſitate controverſiam cum Hobbio ſuſceptam eſſe à doctiſſimo reverendiſſimóque Bramhallo eíque à meipſo initio hujus Epiſtolæ ſervatam. Imò verò nôſti me hanc unam controverſiam, ut difficillimam & ut periculoſiſſimam declinare ſemper ſolere atque effugere; adeo vel cum ſumma mentis intentione veritas haud attingitur, & difficile tamen eſt abſque Sacrilegio errare. Nolo te (V. D.) vel Lectorem inutiliter detinere: Nôſti locum hunc eſſe ubi intervenit ignáva ratio (ita nimirum Ciceroni in fragmento libelli de Fato audit) hunc eſſe locum ubi λόγ☉ θερίζων ratio metens; nollem ego V. D. otiari, nollem, quod aiunt, in meſſem alienam falcem immittere. Quare non eſt, ut à me integram loci iſtius de Fato & Contingentia tractationem expectes; nos hîc breviſſimè videamus quæ fuerint concluſiones Hobbianæ, quænam

nam ea ſunt quæ poriſmata ejus cõſequũtur, vel ex rei natura vel ex conceſſione Hobbiana, tum demùm ex quibus principiis concluſiones eduxerit, atque tandem experiamur an ſententiam primariam, unde illa conſequuntur, evicerit.

Atque manifeſtum eſt ex primo capitulorum iſtorum intuitu hanc eſſe concluſionem Hobbianam, *Omnia ex neceſſitate fieri*, (non ſolum *ex fato*, uti in Ciceronis libello diſtinguitur) nempe hoc agit totum illud de Cauſa & Cauſato capitulum, ut illud evincat. Quinetiam *futurum atq; poſſibile coincidere & reciprocari, adeò ut quicquid evenerit vel eventurum ſit, omnino ſit neceſſarium, quicquid è contra non evenerit, ſit impoſſibile. Nempe omnino* (neq; Deo ipſi ſervatâ ſuâ libertate) *impoſſibile*; hic ſcopus eſt capituli de Actu & Potentia. Hæ (inquam) ſunt iſtæ concluſiones, quas omni conatu, ſummíſque viribus evincere hic nititur & ſtabilire. Summa hujus doctrinæ hæc eſt *mutationis omnis cauſam efficientem conſiſtere in motu* (cap. 9. §. 9. cap. 10. §. 6.) *Cauſam motûs nullam eſſe poſſe, niſi in corpore Contiguo & moto*, (cap. 9. §. 7.) Quin quicquid movetur eâdem viâ atque eâdem celeritate neceſſariò movetur, niſi ab alio Contiguo corpore impediatur, ibid. Quin (ut breviſſimè res tranſigatur) *motum omnem ex Neceſſitate evenire; Ergo efficientiam omnem: proinde omnia ex neceſſitate abſoluta* fieri.

Videamus igitur quid ex iſtis ſequatur. Verùm non eſt ut in iſtis diutiùs immoremur, quæ ſunt ab infinito eorum numero, qui de Fato ſcripſerunt, enumerata. Nempe ſi omnia ejuſmodi cauſis fiunt, omnia naturali colligatione, conſertè, contextéque fiunt: quod ſi ita eſt, nihil in noſtra poteſtate erit; ex quo efficitur, ut neque laudationes juſtæ ſint, neque vituperationes, nec honores, nec ſupplicia. Hæc autem ea

ſunt, quibus omnis vita humana, tum civilis tum multò magis religioſa, continetur; nempe ſpe metuque ferimur omnes, atque in illa tandem omnes ferè actiones hominum reſolvuntur ultimò. Nolo hoc in loco expatiari, cùm manifeſtiùs ſit, quàm ut oratione aliquâ indigeat, abſque præmiorum & pœnarum contemplatione, neceſſe eſſe ut jaceret vita omnis humana, quâ parte belluinam antecellit; neque quenquam ferè in hâc fæce Romuli, à ſceleribus vel occultis vel manifeſtis, abſque vel Magiſtratus vel Dei olim vindicantis conſideratione abſtinere; neminémque ad aliquod excelſum atque eximium perficiendum erigi, ſive in Civitate juvandâ, ſive in libidine cohibendâ, cui facem non accenderit ſpes illa gloriæ, atque felicioris olim immortalitatis. Poſitâ igitur hâc ejuſmodi cauſarum omnium neceſſitate, velim, ut explicet Hobbius quæ ſint fræna effrenatæ hominum libidini tandem imponenda? quæ ſint calcaria ad virtutem adhibenda? quis ſit locus virtuti, aut juſtitiæ civili, ſi omnia fato fiant, quâ etiam poſſit ratione Deus pœnâ illum æternâ affligere qui nil meruiſſe potuit

— *Data fata ſecutus*?

Exiſtimas, forſan, ex ſententia aliorum illud ſequi, tolli hoc modo bona & mala omnia (illuc enim res iſta tandem redit) verùm poſſe forſan Hobbium, pro eo quo eſt ingenio, conſequentias iſtas declinare, atque hæc alibi, ubi proprius eſt hujus rei locus, iſtum effeciſſe. At falleris, vir egregie: nam in libello de Libertate & Neceſſitate (mihi p. 18.) hæc ipſa cernit ex ſua ſententia inferri. Non igitur negat rem eo modo ſe habere, quin ſupprimi forſan & celari debuiſſe hanc ſententiam concedit; veram eam interim eſſe contendit, ibique non virtutis aut

pieta-

pietatis fundamenta aliqua collocando, ſed *Paulum* Apoſtolum diviniſſimum in eandem ſententiam pro viribus trahendo ſe tandem evaſiſſe exiſtimat. Verbo, ex ſententia ſua de rerum neceſſitate illud ſequi videt; vana eſſe ea omnia quæ ad virtutem ſpectant. Quare tollendam eſſe ex animo iſtam ſententiam crederes; imò potiùs maneat (inquit) iſta ſententia, ruantque ea omnia quæ retinere poſſint homines à ſcelere & impietate; & cùm eò neceſſitatis redactus ſit, ut, vel impietatis ſemina manifeſta ſpargenda ipſi viderentur, juraque omnia (divina atque humana) evertenda, vel retexenda principia Philoſophiæ atque laborum & vigiliarum mercede carendum, quia (inquit.)

Frangatur potiùs legum veneranda poteſtas,
Quàm tot congeſtos noctesq; diesq; labores
Hauſerit una dies—.

Atque hæc quidem (inquis) præclarè admodum ſatíſque pro ingenio ſuo, ſi interim pœnarum etiam æternarum metum ab animis hominum evellere potuerit, nempe

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Quiq; metus omnes & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, ſtrepitumq; Acherontis Avari.

Ecce igitur illum in Leviathane (L.C.44. p. 345.) ſcrupulum hunc omnem removentem. *Durum (inquit) illud videtur, ut Deus qui omnia in hominibus operatur (& velle* nempe *& perficere) delicta ſine fine puniat.*

Cernis itaque quo tendat iſta Philoſophia Hobbiana, & quo tandem ducat eos qui veſtigiis

ſuis hæſerint; nempe ut rejecta omni de bono & malo, de præmiis pœníſque æternis ſollicitudine, fato ſe, reliquorum inſtar ſive Animalium ſive Corporum inanimatorum, ſubjicientes, vivant.

Verùm tamen (inquis) ſi demonſtratione legitimâ ſententiam ſuam evicerit, cedendum erit utcunque demonſtratæ veritati: quare de iſto manet altiùs inquirendum.

Certè notius illud eſt, quàm ut oratione longâ indigeat, ut explicetur ſolere eos, ſive Philoſophos ſive Theologos, qui omnia fato fieri non eſſe concedendum contendunt, de Neceſſitate & Contingentiâ ita ſtatuere, duplicem nimirum eſſe Neceſſitatem, alteram abſolutam, quæ ad rerum naturam potiùs ſpectat; alteram ex Suppoſitione, quæ eſt potiùs propoſitionum: Quinetiam ſpectari poſſe res exiſtentes vel quoad naturam, vel quoad ſtatum; iſtaque applicando, aſſerere, conſtare poſſe Contingentiam cum Neceſſitate hypothetica, non autem cum abſoluta: quinetiam poſſe rem aliquam eſſe ex natura contingentem, etiamſi fuerit in ſtatu (ut loquuntur) neceſſario. Exempli gratiâ, ſupponemus ſaltem eſſe aliquid in noſtrâ poteſtate, uti ſtare vel ſedere, movere aliquid, aut ab eo movendo abſtinere; erit igitur, abſolutè loquendo, contingens ut quis ſtare velit vel ſedere, cùm tamen illud neceſſe ſit eum ſedere dum ſedet, & ſimilia; imò verò ſi modo ſedeat, verum erat ante iſtam ſeſſionem, ſeſſurum eum fuiſſe. Quòd ſi verum fuit, ergo erat etiam aliquo modo neceſſarium; neceſſarium nempe eâ neceſſitate quæ eſt propoſitionis, quâ neceſſariæ res dicuntur eſſe cùm eſſe ponuntur. Unde ſequitur non minùs neceſſariò veram eſſe eam propoſitionem quæ vera eſt, quàm eſt neceſſarium rem aliquam vel actionem eſſe, dùm eſſe ponitur.

Hanc

Hanc igitur neceſſitatem negare non ſolent ii, qui res aliquas eſſe contingentes aſſerunt.

Quinimò ſi modò res aliqua (vel phænomenon) orta ſit à cauſa quæ ſuæ poteſtatis eſt, etiamſi in neceſſitatem agendi projecta fuerit, dicetur res iſta contingens quoad naturam; quia nimirum contigit ut ortum haberet, quamvis jam fuerit in ſtatu Neceſſitatis etiam abſolutæ. Ducatur, ſi velis, in exemplum *Chryſippi* Cylindrus(de quo *Cicero* in libello de Fato) vel Turbo, quæ moveri incipere niſi pulſa non poſſunt, id autem cum accidit (ſive à cauſa neceſſaria, ſive libera) ſuâpte naturâ & cauſarum Phyſicarum concurſu volvitur Cylindrus,& Turbo verſatur. Erit itaq; in ſtatu néceſſario, ſeu neceſſitatis iſta ſive Cylindri volutio ſive Turbinis verſatio; attamen erit totum illud motûs utriuſque quiddam Contingens appellandum, ſi modò ex cauſâ contingente vel liberâ (notione horum Philoſophorum) originem traxerit.

Nos igitur iſtis hoc modo breviſſimè explicatis,(ut vires Hobbianas experiamur, etiam in illa re ubi & ego & alii mecum exiſtimant eum non ſine ſpecie nervoſæ orationis rem ſuam agere) ponamus hanc ſententiam, quæ in rebus Neceſſitatem hypotheticã (quâ res,cùm ſunt, neceſſariò eſſe dicuntur) ſupponit, abſolutã autem negat, quæ eſt ex cauſis fatali ſerie effectum producentibus, ita ut nulla unquam fuerit, ſive in origine rerum, ſive in progreſſu (abſolùtè loquendo) contrariæ poſitionis poſſibilitas.

Et mihi quidem ut illud προληπτικῶς, enunciem nihil aliud inferunt argumenta Hobbiana præter Neceſſitatem iſtam rerum Hypotheticam. Attende,obiecro, an ampliùs aliquid tibi evincant.

Omnia inquit (hic ſenſus eſt totius Argumentationis ſuæ) *quæ unquam fiunt, fiunt ex cauſa integra*

(Cap. 9.) *& quo inſtante cauſa eſt integra, eodem quoque effectus eſt productus* §. 5. *Cauſa enim integra* §. 3. *eſt Aggregatum omnium Accidentium, tum agentium quotquot ſunt, tum etiam patientis, quibus omnibus ſuppoſitis intelligi non poteſt, quin effectus unà ſit productus; & ſuppoſito quod unum eorum deſit, intelligi non poteſt quin effectus non ſit productus.* Hæc certè omnia ea continent quibus vel hoc loco vel alibi (quantùm ego ſcio) uſpiam libertatem aut contingentiam tollere & ſupremā Fatalis neceſſitatis legem rebus omnibus (imò verò Deo ipſi) imponere conatur. Hæc eſt iſta argumentatio, quæ fecit, ut in reverendiſſimum Bramhallum, imò in ipſam Religionem triumphum caneret. Vides autem ſcopum non omnino attingere quem ſibi propoſuit; concedent ſive Philoſophi ſive Theologi totum argumentum, dicentque illum ignoratione Elenchi laborare; (& fortaſſe Elenchum tunc ignoravit, at prodiit nuper Elenchus quem nollem eum neſcire) Eviciſſe ſe putat neceſſitatem omnium rerum abſolutam, verùm nonniſi hypotheticam concluſit. Nempe quæ fiunt, ex causâ fiunt; & quando cauſæ rerum ſunt, illæ fiunt, & quando fiunt, neceſſe eſt ut fiant. Quid aliud afferunt ſententiæ à nobis explicatæ defenſores? quid amplius Hobbius uſquam probavit? At ego quidem cauſam integram ab ipſo jam definitam ad effectum ſuum producendum non modo ſufficere cogitarem, verùm & illud naturâ ſuâ involvere, ut effectum in actu ponat. Quid igitur ſibi volunt iſta (§. 5. initio) *Cauſa integra ad producendum effectum ſuum ſemper ſufficit, modo ſit effectus omnino poſſibilis?* Certè ego mirari ſoleo hominis hujus ſive fatum ſive infelicitatem, cui nuſquam ſe expedire contingit abſque ſphalmate aliquo egregiò,

abſque

abſque manifeſta ſui ipſius contradictione. Scopus e-jus omnis eſt, ut omnia eſſe neceſſaria *abſolutè* concluderet, nempe ex definitione cauſæ integræ. Concedimus nos ex iſta definitione neceſſitatem hypotheticam inferri; imò (inquit) nulla omnino infertur neceſſitas, fieri enim poteſt, ut causâ exiſtente integrâ, effectus non ſit omnino poſſibilis; & *cauſa integra* ad producendum effectum ſuum non ſufficiat. Nolo ſtupenti ac deliquium patienti inſultare.

Cernis autem diſputatione iſtâ nihil ampliùs evinci hoc uno, neceſſarium eſſe, ut res omnes ſint eo inſtante quo ſunt, nempe quo productæ ſint, id eſt, quo cauſam integram habent. At fortaſſe melius rem geret Capite ſequente (C. 10.) ubi illud ſuſcipit probandum ex definitionibus Actûs & Potentiæ; quod poſſibile eſt illud neceſſarium eſſe; &, impoſſibile illud eſſe quod non eſt neceſſariò futurum. Verùm hic etiam eandem in foveam eum cadentem invenies, verbíſque (ut ſemper ſolet) illaqueatum, atque ex Hypothetica quadam ſeu propoſitionis Hypotheticæ neceſſitate aut impoſſibilitate, de rebus ipſis earumque natura abſoluta concludentem. Nempe quis eſt, qui non conceſſerit quicquid eſt futurum, futurum eſſe; & ſi ſtatuatur futurum, neceſſariò ſequi ut ſit futurum, ideoque impoſſibile eſſe ut non ſit futurum, (ex iſta nimirum poſitione) nempe impoſſibile eſſe ut res aliqua ſimul ſit futura & non futura? Quis (inquam) hæc neſcit? neque certè tam bardus eſt noſter Philoſophus, ut de iſtis propoſitionibus dubitari à ſanæ mentis hominibus exiſtimet. Non igitur hoc quæritur, an quod futurum eſt ſit futurum? illudque ſi velit neceſſariò, ex hypotheſi quod ſit futurum? verùm an quicquid ſit futurum oriatur ex

cauſis

cauſis omnibus phyſicè atque abſolutè eo modo de-terminatis,ut nulla unquam in infinita cauſarum ſerie libertas fuerit ad utrumlibet, aut ſui (ut loquitur Cicero) poteſtas, ut pro arbitrio ageret, vel non ageret; adeoque ut tollatur omnis,non modo ſecundarum ἀυτοκίνησις,ſed & primæ etiam cauſæ ἀυτάρχεια. Concedemus quando res ſunt aut futuræ ſunt, ex hypotheſi impoſſibile eſſe, ut, aut non ſint aut non futuræ ſint, verùm abſolutè hoc eſſe impoſſibile (eo modo quem innuimus) negabimus: videamus quid inferant Thomæ demonſtrationes.

Quemadmodum inquit (c. 10. §. 2.) *quo inſtante cauſa eſt integra, eodem effectus productus eſt, ſic quoq; quo inſtante potentia plena eſt, eodem quoq; Actus qui ab ea produci potuit, productus eſt. Nempe potentia plena idem eſt quod cauſa integra,cùm utraq; conſiſtat in Aggregato omnium ſimul Accidentium,quæ ad effectum producendum tum in agente tum in patiente requiruntur.* (§. 1.)

Vim integram iſta complectuntur argumenti quo demonſtrare ſe exiſtimat, impoſſibile eſſe quicquid non eſt futurum. Senſus argumentationis hæc eſt. Eodem inſtante quo potentia eſt plena, Actus producitur: Ergo res omnis poſſibilis eſt neceſſaria. Cernis denuò argumentum nihil aliud habere quam eodem inſtanti quo res eſt nempe quo potentia plena ſupponitur) neceſſariò (ex hypotheſi) eam eſſe; inferri autem in concluſione, neceſſitatẽ aut impoſſibilitatẽ abſolutam quæ infinitam porro retròve cauſarũ ſeriem ex æquo reſpiciat. Nempe quicquid eſt,quãdo eſt,neceſſariò eſt; Ergo non potuit Deus efficere ut non fuiſſet, cauſâ planè phyſicâ & cogente (nempe causâ aliquâ integrâ)ad iſtud producendum determinatus, ſuæque nunquam poteſtatis exiſtens. *Quis ita demonſtrantem*

ſtrantem laudet? Eſt quidem hæc ejus demonſtratio cæterarum ſuarum haud abſimilis. Cujuſmodi fuerint illæ & alii docuerunt & ipſe ſum adhuc(σὺν Θεῷ)oſtenſurus: ſufficiat aliquo modo erroribus ſuis hoc loco (fundamenta evertendo) obſtitiſſe, cætera vel ab eruditiſſimo Bramhallo expectantes, vel in quæſtione de Hominis natura differentes. Lubricum eſſe locum hunc omnem noſti me ſemper profiteri, illud tamen habent reliqui omnes ſive Philoſophi ſive Theologi, ut in difficultatem aliquam conjecti unde ſe clarè expedire nequeant, illud tamen ſuſcipiant, ut à Deo ipſo contumeliam omnem amoveant, ut in illum delicta hominum minimè rejiciant, ut pietatis atque virtutis fundamenta non tollant, præmia auferendo. Hæc ille minimè (ut cernis) curat, & ſententiam minimè demonſtratam defendere conatur, ubi nihil neque quoad rem neque quoad rationes novum invenies præter illam, ſive confidentiam ſive audaciam, qua fit ut mala dogmatis πορίσματα fronte minimè tectâ agnoſcere non vereatur. Quin iſtis præteritis ad alia progrediamur.

Cap. 4.

De Eodem & Diverſo.

Quærere identidem ex me ſolent aliqui (qui mihi curæ eſſe exiſtimant,ut Hobbiana quæ ſunt omnia poſſim intelligere) cujus familiæ quorúmve Philoſophorum ſive antiquorum ſive recentium tribulis fuerit hic noſter, quâ fuerit origine, quos habuerit in Philoſophia parentes, quem ducem ſequatur,reliquaque hujuſmodi. Fuerunt inter Antiquos celeberrima

Scholarum

Scholarum nonnullarum nomina, Academiæ, Lycæi, Stoæ, Hortique. Extiterunt hac noſtra ætate & parentum viri illuſtres, vel ex gente noſtra vel ex vicinis aliquibus, qui Philoſophiam vel veterem auxiſſe plurimùm, vel novam condidiſſe], vel fundamenta ſaltem Philoſophiæ olim perficiendæ jeciſſe non immeritò dicantur. Habuimus Gilbertum atque Verulamium reviviſcentis Philoſophiæ parentes, quorum alter Democriti principia reſumendo, alter ad experimenta atque obſervationes revocando, tanquam ad carceres, quin veteris Philoſophiæ defectus detegendo, novamque planè methodum ad naturæ rerum in veſtigationem delineando (meliore certè jure quàm *Thales* Eclypticæ λόξωσιν inveniendo,) naturæ fores aperuiſſe videantur. Habuimus *Harriotum* & *Warnerum* ſummos & in Naturali Philoſophia & in Matheſi viros, (quorum tamen opera plurima nè pereant eſt metuendum) Habemus *Oughtredum* aliosque quorum lectione viri in Philoſophia ſaniore & Mathematica profundiori excellentes infiniti prodierunt. Illud certè de quo gloriari poſſit, habet Anglia noſtra, (quicquid illa interea Galilæo tribuendum cenſeat) aut Philoſophiam ipſam, aut fundamenta ſaltem atque methodum philoſophandi, cæteris omnibus dediſſe. Nempe Methodum à Verulamio (in fragmento de Parmenidis Teleſii & Democriti Philoſophia) delineatam ſecutus Carteſius in Naturalibus, eaque quæ de Æquationibus habet Harriotus intelligendo, iiſque nonnulla de ſuis præclariſſima adjiciendo, is demum evaſit quem ſumma admiratione proſequentur ſæcula omnia (ni invaleſcat barbaries) futura. Quinetiam ut no-

mina

mina futura ſint olim Illuſtria Gaſſendi,Digbæi,Albii aliorúmque etiam multorum (neque enim illud agimus ut præclaros viros memoremus,) nullus ego dubito. Nôſti autem ex illis unumquemque ferè ducem ex antiquioribus ſibi præcipuum elegiſſe: nempe Carteſius omniá Atomorum motu ſituque & figura abſolvens (eamque planè methodum ingrediens quam delineaverat Verulamius noſter in fragmento jam laudato) Democriti in partes (quem in plurimis ſecutus eſt Epicurus) iviſſe non immeritò videatur. Gaſſendus interim, exempto priùs Epicuro à præjudiciis popularibus quibus omni ævo nimiùm laboravit, ivit apertâ ferè profeſſione in partes Epicuri. Nobiliſſimus interea Digbæus ſuo cum Achate philoſophiam eam quam ornârunt Peripateticam vocandam eſſe voluerant. At hi quidem viri præclariſſimi atque immortali honore digni, imò immortalitati indubiæ conſignati, illud impenſiùs ſtuduerunt neminem lædere, pietatem vel promovere, vel nullo modo deſtruere, quin ſua omnia modeſtè, at (quantum fieri potuit) accuratè atque demonſtrativè proferre. Ab exiſtentia Dei animíque incorporeâ naturâ ſua omnia deducit Carteſius, à Democrito in iſta re diſcedens. In illum veluti finem & ſcopum ſua dirigit Nobiliſſimus Digbæus, ut animi Spiritualis adeoque immortalis natura innoteſcat legitimâ demonſtratione. Siquid in Philoſophia Epicuri occurrat quod in religionem importuniùs ruere videatur, obruit illud ſtatim rationibus Gaſſendus antidotumque citiſſimè miniſtrat, ne ſerpat venenum. His ita ſe habentibus volunt aliqui de Hobbio noſtro rem totam accuratiùs percipere; unde ortus ſit, quem ſibi

ſibi ſcopum proponat, intelligere ſummopere cupiunt. Verum enimverò V. D. rem difficilem requirent, minimèque ſine aliquo ſaltem labore peragendam. Malmesburienſis eſt hoc quidem credo; & Senex eſt, hoc ipſe disertè affirmat, cætera non ſunt adeò ſimplici oratione enuncianda. Neque etenim Academicum eum eſſe credendum eſt (qui omnes in univerſum Academias laceſſit) neque Academiarum noſtrarum ſtatum intelligit. At neque Peripateticus eſt, cui inſanit ubique Ariſtoteles, neque in Horto Epicuri verſatus eſſe videatur, cui (inanis licet ſit omnis oratio) nihil tamen inane eſſe decernitur. Quin igitur (inquis) Stoicus eſt planè ortumque habuit ex porticu (Malmesburienſi,) atque ego equidem fateor multa eſſe quæ penè faciunt ut huic illum familiæ adſcribam. Habuerunt Stoici Aniculam quandam fatidicam (ut Ciceroni ubique audit) Pronæam, ut habeant etiam ſenem eumque magum, qui eam comitari poſſit; non eſt inconcinnum certè, aut incongruum mihi videtur. At verò multa ſunt, quæ huic poſitioni obnituntur faciuntque ut γέρων non ſit Zenonis diſcipulus. Certè æſtuabant olim Stoici ut fatum ponentes, neceſſitatem eam quæ libertatem tollat, minimè tamē intuliſſe viderentur. Quin ipſis de virtute de bono & malo earumque legibus æternis, magnificentiùs ſentire, & loqui, quam reliquæ ſolebant αἱρέσεις Philoſophorum, ſolenne fuit. At ipſi cura non eſt de Fato, modo neceſſitatem ponat, bonum malumque tollat, imò illud habet non Stoicorum ſed Epicurei, — *quòd arctis — Relligionum animum nodis exolvere pergit.*

Sed abrumpendum eſſe mihi ſentio ſermonem hunc totum, ne prolixus fiam. Certè difficile illud eſt uni alicui parenti hunc Philoſophum aſſerere: illud mihi inquirenti altiuſque perveſtiganti innotuit, traxiſſe ex

Græcia

Græcia originem (eaque antiqua) ſuam Philoſophiam. *Habuit* (inquit) *iſta, Phantaſma quoddam Philoſophiæ aliquatenus ſimile*, (imò non ovum ovo ſimilius) *habuerunt Athenienſes Empuſam & ſpectrum intùs fraude plenum & ſordibus*. (Reſolvitur interim ipſi omnis Philoſophia in *Phantaſma*, nempe ſpatium eſt *Phantaſma*; & Locus Corpus quod cum *Phantaſmate* coincidit; Motus, derelictio *Phantaſmatis*, atque ita in univerſum) .Quanquam autem de Eodem & Diverſo caput hoc inſcripſerit, invenietur ipſe tamen *ſemper* idem. Ac de diverſitate primùm loquentem audi, deinde de Identitate.

Primùm igitur §. 2. illud demonſtrandum ſuſcipit, *duo Corpora non eſſe idem*. Profunda res eſt, attendamus, obſecro, ad demonſtrationem. *Idem eſt quod eſt in eodem loco, at duo corpora non ſunt in eodem loco*; (quippe in duobus) *Ergo*. Pulchrè admodum. At nemo dicturus (opinor) eſt duo Corpora eſſe idem, qui non illud etiam affirmaverit duo Corpora in eodem loco eſſe poſſe. Oportuit igitur minorem probâſſe.

At (inquis) annon verum eſt duo corpora ea eſſe quæ ſunt in diverſis locis & contra? imò quidem veriſſimum, ſed fruſtrà interim aſſumi ab ipſo locum dicimus ut medium ſit quo demonſtratur Identitas Corporum vel eorum diverſitas. Cum etenim coincidant ipſi corporis locíque ſui conceptus, ſitq; ipſi neceſſariò idem locus ubi idem eſt Corpus, diverſitatem Corporum, vel contra, hoc modo demonſtrare eſt idem per idem probare velle. Mitto explicare eum (ut opinor) nullo modo poſſe Identitatem loci alicujus, cui *Locus omnis eſt intra animum*, (nempe Phantaſma, vel gladius Delphicus) *nihilq; habeat extra animum*. Quot enim homines, tot Phantaſmata.

Ex iſta tamen demonſtratione infert *omnia corpora differre*

differre numero: quanquam hoc ipſi non ut demonſtratum, ſed ut verum largiamur, illud tamen moleſtum nobis erit explicare, quomodo in corpus unum idemque coaleſcant Atomi diverſæ, & quid illud ſit quod Corpus ex Atomis infinitis conſtans unum denominet. Sed de iſtis poſtea, ubi de principio individuationis; *differunt (inquit) Res* (nempe Corpora) *vel magnitudine vel pluſquam magnitudine, illa ſimilia hæc diſſimilia dicuntur; diſſimilia vel ſpecie vel genere differunt.* Benè habet quod finem invenerunt dichotomiæ, metuebam ne omnia diviſionibus impleret. Videamus quid ſit differre ſpecie, quid item genere. *Specie* (inquit) *differre dicuntur, ſi differentia eorum eodem ſenſu percipiatur, ut Album & Nigrum*, quanquam ex eorum numero ipſe ſim, qui non exiſtimant album & nigrum differre ſpecie, ſed ita ſe habere album & nigrum, reliquoſque colores ad colorem, uti ſe habent *Petrus*, *Iohannes* & *Thomas* ad hominem. Quin tamen fieri poteſt ut diſſentiant à me hac in re viri eruditi non luctabor. Verùm illud quæro, an non differentia inter *Thomam* & *Simonem* eodem ſenſu percipiatur. Differet igitur Thomas ſpecie à Simone: at verò ſpecie non differt; nam & Simon homo fuit & magus eſt habitus, aliaque plura quæ nunc non eſt opus repetere.

At pergit, dicitque *iſta genere differre, quorum differentia non percipitur, niſi ſenſibus diverſis*. Inſtantiam pono, cujus ſolutionem ab ipſo expecto. Illud libenter quærerem, an motus celeriter reciprocatus differat genere à motu tardiori? nempe intra pulſuum duorum intervallum corpus aliquod, exempli gratiâ, funiculus tenſus vel corda utrinque conſtricta paucas vibrationes perficere ſtatuatur; deinde eodem ſpatio mille; quæro, an motus poſterior à priore toto

(quod

(quod aiunt) genere differat? nullâ certè (inquies) ratione. Attamen motus ille qui priori caſu viſum movebat, nunc movebit auditum, & quod prius *motus* erat vocatum, nunc *ſonus* appellabitur, poterit itaque eadem omnino res quoad naturam (modum ſolummodò mutando) varios ferire ſenſus, ideoque ab iis non erat Philoſopho ſumenda differentia vel Specifica vel Generica.

In tribus Articulis vel Sectionibus ſequentibus aggreditur rationis ſeu relationis in quantitate definitionem ejuſque explicationem. Verùm iſta ad examen redegit Cl. D. Walliſius, multiſque oſtendit quàm fuerit ἄλογος ſibique contradictorius, quam fuerit rudis atque imperitus omnis ejus ſermo qui eſt de proportionibus, verè illum nimirum ſuâ cum ratione inſanire. Quare Sectiones iſtas hoc loco tranſibimus.

Sect. 6. de Relatione differens ita ſtatuit, *non eſſe eam Accidens diverſum ab aliis Relati accidentibus, ſed eſſe unum ex ipſis, nempe illud ipſum ſecundum quod fit comparatio. Exempli gratiâ,* inquit, *Æqualitas vel inæqualitas idem accidens eſt quod rei magnitudo ſub diverſis nominibus.* Eſt igitur hoc ſaltem ex ejus ſententia concludendum, æqualitatem eſſe magnitudinem (vel quantitatem) non minùs quàm inæqualitatem. At verò Capite ſequente nempe 12. §. 8. hæc habet, *ratio* (id eſt Relatio) *inæqualium quantitas eſt, Ratio verò æqualitatis quantitas non eſt.* Pugnare certè mihi hæc videntur, cupio ut ipſe litem hanc dirimere velit, neque enim noſtrum eſt tantas componere lites. Miror certè deſeruiſſe eum phantaſma ſuum hoc loco, ubi maximè ad relationis naturam explicandam poſſet inſervire (cum enim in comparatione

conſiſtat omnis relatio quæ rationis opus eſt, quidni jure non malo dicere poſſit relationem eſſe Phantaſma.) Verum hoc fatum eſſe aiunt eorum qui dæmonio (vide Epiſt. Ded.) ad aliquod officium utuntur, ut ſe licet alias importunius illis ingerat & reculas perturbet; ope tamen ejus aliquando ſerio indigentibus, ſubducere ſe ſoleat illico atque officium detrectare.

Sed properandum eſſe ſentio ad illud quod omnium maximè ſcire cupiebam, atque ab ipſo diſcere ſperabam: nempe quid illud ſit quod corpus aliquod ſive quieſcens & ſtabile (ſiquod ſit ejuſmodi) ſive in motu aut fluxu perpetuo exiſtens, unum eſſe faciat & denominet. Cujus quæſtionis ſolutionem §. 7. pollicetur. Ut autem contrahatur oratio; quæramus ab ipſo (cæteris omiſſis) an ipſe ſit idem ille Thomas Hobbius qui (in æternum ſcilicet oppidi iſtius decus) Malmesburiæ natus eſt. (Neque enim mei intereſt in annos Hobbianos inquirere) ſi autem idem ſit ille qui olim puerilia etiam meditatus eſt, quâ ratione, quâ cauſâ factum ſit, ut ſit Idem. Ad primum igitur membrum reſpondet, eſſe eundem hominem ſenem qui fuerat juvenis, *vel confundenda eſſe jura omnia humana* (poterat & divina; niſi ipſi nihili fuiſſent, adjunxiſſe) manet igitur ut nodum illum ſecundum explicet & ſolvat. Enumerat autem modos aliorum quibus individuationem determinant; nempe, alii ex unitate Materiæ, alii ex unitate Formæ, alii ex aggregato omnium Accidentium oriri & contineri individui unitatem aſſerunt; harumque omnium ſententiarum enumerat incommoda. Ex prima confunduntur (inquit) jura. Ex ſecunda, duo corpora erunt idem corpus: Ex tertia, nihil omnino eſſet quod fuerat. Quin igitur attendamus ad illius ſententiam. *Idem* (inquit)

eſt

eſt homo propter formam talem quæ eſt principium motus (nempe cogitationum atq; actionum omnium) & fuit in generatione. Idem autem corpus infans & ſenex non eſt. Hæc (inquam) eſt ejus ſententia, in qua multa habemus notanda & ſervanda in locum de homine, quorum & ipſum meminiſſe precor. Utputà eundem eſſe hominem non idem corpus, unde ſequetur naturam hominis diverſam planè eſſe à natura corporis. Quinimo unitatem hominis petendam eſſe ab unitate formæ, formæ quæ ſit principium motus, atque adeò ſit ſubſtantia, quæ maneat per integrum vitæ tempus atque ſit eadem,& proinde ſit ſubſtantia permanens, quæ eadem maneat in varia & multiformi materiæ partiumque corporis univerſi mutatione, ideoque ſit incorporea. Hæc quia largitus eſt hoc loco pro ſua benignitate Thomas, nos iis aliquando forſan perfruemur. Interea ipſius intererat, ut explicâſſet qua ratione differat ſententia hæc ſua, à ſecundâ ab ipſo jam relatâ, & quomodo effugere poſſit iſtud incommodum quod nobiliſſimi Digbæi ſententiam comitatur.

Quin & alias eum ut Delium natatorem deſideramus: inquit (Cap. 8. §. 23.) *Forma eſt Accidens propter quod corpori nomen imponitur. Accidens eſt concipiendi corporis modus.* (c. 8. §. 2.) eſt itaque ſententiâ ſuâ forma hominis *corporis humani modus.* Eſt autem hæc eadem *principium motus*, & (cum de actione quæratur) principium & *cauſa* pro eodem ſunt habenda. (c. 9. §. 6) Cauſa autem motûs in corpore nulla eſt niſi in *contiguo, & moto.* (c. 9.§.9.) Eſt itaq; & incorporea, & corporis humani modus, & corpus aliquod ipſi contiguum & motum; accuratè hæc quidem, pro more Hobbiano. Sed omiſſâ contradictione ſui ipſius, de formâ hâc à corpore jam diverſâ inqui-

ramus, quam ſi placuerit, Animam nunc appellabimus; à corpore diverſam eam, & (naturâ ſuâ) disjunctam. Eſt (inquit) hæc, Corpus motum, corpori humano contiguum; motum eſt, & motum corpori humano communicat, ergo ab alio corpore movetur, & quia motum corpori (idem manens perpetuò) communicat, movebitur etiam ab alio corpore perpetuo continuoque motu: eritque hoc modo progreſſus in infinitum, niſi tandem aliquod concedatur αὐτοκίνητον. Hæc aliaque hujuſmodi ea ſunt quæ libenter à Philoſopho hoc noſtro explicata cupiebam, at Cynthius aurem vellit, & admonuit modeſtum me eſſe in quæſtionibus oportere, iſta enim Thomæ in mentem non veniſſe: quinimò ad alia potiùs, ne in librum Epiſtola inconcinnum excreſcat, eſſe tranſeundum.

Cap. 5.

Conſiderantur Capp. 12. de Quantitate, & 13 de Analogiſmo. Et primæ ejus Philoſophiæ finis imponitur.

Quæ reſtant ſub titulo Philoſophiæ primæ Capitula tria ſequentia Libri de Corpore (de Quantitate, Analogiſmo, de Recto, Curvo, Angulo, & Figura.) Cum vel planè Geometrica ſint plurima, vel ad Geometriam propiùs ſpectent Geometriæq; Hobbianæ fundamenta contineant, ad inquiſitionem à ſe faciendam ea pertinere non immeritò judicavit tum Clariſſimus Walliſius, cui uberius in hâc re & impenſius laborare, tum etiam Cl. Andreas Tacquetus cui nonniſi ſtrictìm libellum iſtum attingere viſum eſt. Atque iſti quidem viri doctiſſimi fecerunt

Eru-

eruditione ſua atque diligentia ut nihil ferè relictum mihi ſit animadverſione dignum. Caput 12 totum in expoſitione quantitatum (re levi) verſatur. 13. magno conatu rebus clariſſimis nubeculas offundit. De utroque breviſſimè. Leviſſimum illud (imò ut liberè dicam futiliſſimum) eſt quod habet Sectione tertiâ. *Ubi ait, exponi lineas, ſuperficies & ſolida per motum, ut talis motus veſtigia maneant*. Nempe importunè motum hic definitionibus infert, ut perturbet omnia, factiſque ambagibus inficetis, ut ſcientiæ & eruditionis ſpeciem ſuis conciliet, perpetuò ferè in tenues & leves ſententias ſolet deſinere. Quid e- tenim eſt hoc loco, motuum veſtigia manere niſi lineas, ſuperficies duci &c. nulluſque eſt Paragraphes iſtius (ſi exponatur) ſenſus præter iſtum, exponi lineas ſi ducantur lineæ, & ita conſequenter. Quinimò longè meliùs veriúſque aſſeruiſſet exponi motus per lineas, quàm lineas per motus. Nugax quinetiam pueriſque appoſitum illud videri poteſt (nempe juventuti paratum rudi) quod ſequitur, *exponi lineas &c per appoſitionem, ut quando linea lineæ (id eſt) longitudo longitudini adjungitur*, (quod & de aliis dimenſionibus effert) Qualis eſt iſta (quæſo) expoſitio quantitatum? tu mihi ſi tibi abundat otium hoc etiam expone. Phantaſticum illud eſt quod habet Sectione quartâ, nihilque ſapit penitioris Mathematicarum rerum cognitionis, *ubi ob hanc rationem tempus exponi poſſe lineis ait, quia tempus eſt imago motus.* Neſcire videtur omnia quæcunque tandem rationem aliquam aut proportionem habent, imò quidni dicam omnia in univerſum exponi lineis poſſe, & eodem planè jure, quo tempus hoc modo exponitur, exponi à Mathematicis ſolere.

Exponi dicit (§.5.) *numeros vel per expoſitionem*

punctorum, vel per expoſitionem nominum numeralium, unum, duo, &c. Quâ quæſo ratione effugit eum literarum numeralium, Ciphrarum etiam Saracenicarum aut ſpecierum enumeratio? quibus exponuntur numeri non minùs quam verbis & nominibus, ſive voce ſive ſcripto expreſſis. Nempe eâ ratione effugiſſe hæc illum videntur, ne forſã ulla in re etiamſi minimi momenti plenus atq; accuratus ſcriptor evaderet. *Pondus exponi dicit per corpus aliquod grave* §. 7. Benè habet, linea per lineas, motus per motus, numeri per numeros, pondus per pondera exponuntur. Euge Philoſophe, Logice, Mathematice profunde! imò verò hæc omnia lineis exponuntur, cujus rei rationes modumq; integrum ſuaderem, ut proximâ editione faceret, ut exiſtimarent homines eum non ignoráſſe. Neque etenim ratio duarum magnitudinum tunc exponitur (ultima exegeſi) cùm quantitates ipſæ exponuntur, niſi de ratione ſolâ Arithmeticâ, quæ in exceſſu ſimpliciter conſiſtit, loquatur; (contra. §. 8.) cum illud habeat ratio Geometrica, ut ductionem vel applicationem ipsâ in notione involvat, quæ nonniſi numerorum, vel ſpecierum beneficio (modo numerorum ordinatorum) explicari poſſunt.

Jam verò (inquis) fieri non poteſt, ut proportionis naturam intimè penitiſſimèque non cognoſcat, qua una in re ritè tractanda non ſolum ea quæ praxim habent, ſive in numeris, ſive in Triangulis ſolvendis (in quibus omnis Aſtronomia, Geographia, Architectura, cæteræque artes humanæ vitæ inſervientes) conſiſtunt, quin & omnis profundiori in Matheſi peritia, ſive in Theorematis inveniendis, ſive in problematis ſolvendis, exercetur.

Opinaris impoſſibile eſſe ut iſta non cognoſcat, quæ prima ferè ſunt Matheſeos elementa à pueris intimè

timè animis hauriri ſolita, atque infundi, quicunque in Matheſi, ſincerâ unquam fruuntur inſtitutione; atque ipſe revera V. D. in eadem antehac verſatus ſum ſententia. Memini à juventute meâ Mathematicum eum ingentem habitum fuiſſe; electus eſt hoc nomine ut *Carolum* Principem in Mathematicis diſciplinis inſtitueret. Charus hoc nomine fuiſſe fertur illuſtriſſimæ doctiſſimæque D. D. de *Cavendiſh* Familiæ qui & Mathematicas ſcientias egregiè plurimi calluerunt, & Mathematicorùm inſignium ſive Noſtratium ſive Alienigenarum (prout mihi ſæpiùs narrârunt Clariſſimi viri D. D. *Painus*, & *Oughtredus*, gentis Anglicanæ ornamenta) uti Harmonicorum nuncupatione Merſennus, Conicorũ Mydorgius palam teſtati ſunt) eximii ſemper atque generoſi animi Patroni extiterunt. Egone igitur ipſum hac laude gloriaque quam diu antehac conſecutus eſt, ſententia aliqua in ipſum atque in eruditionem ſuam duriori ſpoliabo? Egone ipſum poſſeſſione hâc ſua detrudam, atque ex Mathematicorum familia ſubmovebo? Certè V. D. lubrico nunc in loco mihíque odioſo verſari contigit, ubi de hominis ſive eruditi, ſive pro erudito habiti doctrinâ atque ſcientiâ ſtatuendum eſſe videatur: Conſcius nimirum tenuitatis ipſe ſum meæ; ſatis ego novi quàm ſit mihi curta ſupellex: Clamare ſoleo animo non ficto aut ad ſpeciem compoſito, verùm intùs dolente, quantum eſt quod neſcimus! quin etiamſi à viris eruditis exciderit aliquid, quod non ſit ingenio excultum, induſtriâ elaboratum, parciùs iſta tamen objicienda memini. Quare ſit Hobbius eruditus, imò eruditiſſimus; vel ſi non ſit, pro viro tamẽ eruditiſſimo, ubi maximè illud ipſius intererit, habeatur. *Sit, licet felix ubicunq; malit*, modò hoc juventuti noſtræ fraudi non ſit aut periculo, modò metus non ſit, ne viri hu-

mana ſæpiſſimè patientis, autoritate vel ſtudiorum impedimenta atque obſtacula miniſtrentur, vel ut rapiantur in errorem. Verùm enimverò cum hic mihi videatur rerum noſtrarum ſtatus, liceat mihi pauciſſimis prolatis locum hunc tranſilire.

Reverà (ut ſemel illud proferam) nôſti me ſemper ante productum atque editum hunc librum de Corpore, de Thomæ (in Mathematicis præſertim,) intimâ ſcientiâ dubitâſſe, de iſta re tamen vix quicquam palam protuliſſe. Cur autem neque jam ille me præconceptâ hâc ſententiâ dimovit, accipe paucis rationes.

Animadvertebam jam tum hominis ferociam, & recurrebat ſæpiùs in animo quod puer olim didiceſim, nempe

——didiciſſe fideliter artes
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Neminem ego (cui tamen cum viris eruditiſſimis à puero verſari contigit) noveram in aliquopiam ſcientiæ genere profundiùs verſatum, qui mitis non eſſet & humilis, de ſe ſuiſque modeſtè ſentiens. Cernebam eum legitimè minimè demonſtrantem ea quæ demonſtraſſe ſe venditabat, quin ea quam plurima, quæ videram, ingenium minimè ſubactum atque accuratum olere. Videbam de rebus Mathematicis confusè atque inconſtanter, miniméque clarâ ratione perpetuâ atque evidenti, (quaſi eas per tranſennam aut nubibus interjectis, & è longinquo, non comminùs, familiariter, abſque velamine intuitus fuiſſet) locutum; eaque audiveram quæ à viro Mathematico excidere poſſe minimè judicabam; de molimine dioptrico, de ſuſceptis atque promiſſis Geometricis; quanquam autem ſuaderent nonnulla ut invalenti jam

ſenectu

ſenectuti (de qua quidem honorificè ſentire ſoleo & loqui) iſta tribuerem, metuebam tamen ne ab imis fundamentis, atque ab ipſa juventute, malè fuiſſet inſtitutus; nimirum objecit ſe hoc loco illud Plautinum.

Hi ſenes, niſi fuiſſent nihili jam inde ab adoleſcentia,
Non hodie hoc tantum flagitium facerent canis capi-
(tibus.

Atque hæc quidem ante viſum extremum hunc laborem mihi in mentem venerunt; hoc autem conſpecto opere, evanuit ſtatim ab animo dubitatio omnis, diſpergente eam penitùs turpi atque infelici Tetragoniſmo, aliiſq; quæ mallem ſepulta. Vidi ipſum adverſus Analyticæ iſtius lucernam ſæculo hoc noſtro (immenſo ſtudioſorum emolumento) accenſam, veluti veſpertilionem involantem, juvenibus incautis ſuadentem, ut ſuos ſibi oculos eruerent, quod tantæ in Mathematicis luci impar ipſe foret: vidi eum maxima molientem, in minimis tamen (etiam iis quæ ad proportiones ſpectant) fædiſſimè errantem; quinimò pueriles iſtos errores continuò in viriliores adoleſcere

—vireſq; acquirere eundo.

Hæc autem quia fuſius oſtendit Cl. Walliſius in Elencho Geometriæ Hobbianæ, nolo ego quod actum eſt agere, aut ſpicilegium facere; verùm quoniam ipſe Hobbius cum Vindice quodam Academiarum de Methodo (uti vocat, imperitè, cùm methodus non ſit, ſed nova ſolummodò quantitatum deſignatio) Symbolica controverſiam inſtituit, totuſque in eo eſt, ut juvenes à Symbolica iſta ſeu ſpecioſa deſignatione (quâ freti *Vieta, Oughtredus, Harriotus, Carteſius* Mathematicas diſciplinas immenſũ auxerunt) abducat

ducat, ad verboſam iſtam ſive veterum ſive recentium Mathematicorum; re ipſa oſtendam quicquid ſani habuerit in capite de Analogiſmo facillimè Symbolicâ methodo demonſtrari, atque ipſa quantitatum hujuſmodi deſignatione nudâ patere, cum ipſe ea interim inconcinnè & perturbatè non ſine frequenti paralogiſmo evincere conetur. Nihil igitur aliud ſupponentes præter hoc unum, *Arithmeticè proportionalia tum dici cum inter terminos antecedentes & conſequentes æqualitas eſt differentiarum; Geometricè cum eſt æqualitas quotorum;* age: Theoremata ſua de proportionibus univerſa nos totidem lineis apertè oſtendamus.

Manifeſtum autem eſt ex præmiſſis proportionem Arithmeticam hoc modo in univerſum deſignari poſſe, ut ſit

$a . a+c \mid b . b+c$. proportio Arithmetica.

$a . a+b . a+2b . a+3b$. &c. proportio Arithmetica Continua.

Proportio autem Geometrica hoc modo.

$ba . b :: ca . c$ Proportio Geometrica.

$b . ba . baa . baaa$ Proportio Geometrica Continua.

vel $b . ba . ba^2 . ba^3$

Iſtis hoc modo præſumptis ad Theoremata Hobbiana accedamus. Sint in proportione Arithmetica.

Art. 5.] $a . a+b \mid a+2b . a+3b$. Ergo. $a : +a+3b = a+b : +a+2b$.

Item $Z = a+a+3b$ in 2.

Item ſi $a . +a+3b = a+b : +a+2b$

Erunt

$a . a+b \mid a+2b . a+3b$

Item $a+d . b+c \mid$ ~~c+d~~ $a-b . c-d$

Item ſi $a+b = c+d$. erit

$a . c \mid d . b$.

Alias

Alias ſit a . c. ∔ d. e ∝ b
erit a + e = c + d.
ergo non a + b = c + d.

Sint autem in proportione Geometrica.

Art. 6.] ba. b :: ca . c. Ergo
ba . ca :: b. c.
b. ba :: c. ca.
bba. ca :: bb. c. } &c.
ba. cca :: b. cc. }
ba + b. b :: ca + c. c.
ba. b + ba :: ca. c + ca.
ba − b. b :: ca − c. c.
ba. ba − b :: ca. ca − c.

Sint
7. ba. b :: ca. c } erunt ba + be. ~~b~~ 2b :: ca + ce. ~~&~~ 2c.
&
be. b :: ce. c } ~~2 ba + be. ca + ce.~~

Sit
8. bae . b ⊓ ca. c. }
Erit } etc.
bae. ca ⊓ b. c. }
Et
9. ~~c. ca ⊻~~ b. bae. ⊣ c . ca
10. ba. ca :: ba − b. ca − c.
11. ba ⊏ b. ca ⊏ c
12. bae. ba :: cae. ca

13. Sint quotcunq;. b. ba. ba^2. Erit $\frac{ba}{b} + \frac{baa}{ba} = \frac{baa}{b}$

Coroll. 1. b. ba. ba^2 ba^3. Erit $\frac{ba^3}{b} = \frac{ba^3}{ba^2} + \frac{ba^2}{ba} + \frac{ba}{b}.$

Coroll. 2. Compoſitio rationis.

Coroll. 3. Sint ba^2. ba :: ca^2. ca } erit ba^2. b :: ca^3. ca.
ba. b :: ca^3 ca^2 }

quæ eſt ratio perturbata.

14. $\frac{ba}{cd} = \frac{b}{c} + \frac{a}{d}$.

15. $\frac{b}{c} + \frac{c}{b} = \frac{bc}{cb}$

16. Nihili eſt.

17. Sint numero impari.
b. ba. ba^2. ba^3. ba^4. erit $\frac{ba^3}{ba}$ ſubdupla $\frac{ba^4}{b}$ &c.

18. Si b. ba. ba^2. ba^3. Erit ba^3. $ba^3 - ba^2$ :: ba^2. $ba^2 - ba$ :: ba. ba—b.

19. Sint b. ba. ba^2. Erit $ba^2 + 2\,ba + b$. $ba^2 + ba$ :: $ba^2 + ba$. ba^2.

20. Sint ba^3. ba^2. ba. b. Erit $ba^3 + b \sqsupset ba^2 + ba$.
Eſt enim $ba^3 - ba^2$. ba—b :: ba^3. ba
Ergo $ba^3 - ba^2 \sqsupset$ ba—b
Et tranſponendo. $ba^3 + b \sqsupset ba^2 + ba$.

21 b. ba :: c. ca. Ergo bca = bac.
vel
b. ba. ba^2. ba^3. Erit $bba^3 = ba\,ba^2$.

22. Sint magnitudines ba^2. b. ca. c. Erit bca^2. bca :: ca. c.

23. $\frac{ba^2}{ba}$. b :: $\frac{ca^2}{ca}$. c } erit. ba^2. ca^2 :: ba. ca.

24. Eſt definitio.

25. Sint ba^3. ba^2. ba / ba^4. ba^2. b } erit. ba^3. ba^4 :: b. ba.

Reſtant tres adhuc articuli quorum cum ſcopum integrum pauciſſimis complexus fuerit Cl. Walliſius eumque oſtenderit, nolo ego eos adjicere, ne forſan contingat, quod dici ſolet poſt Homerum Iliada conſcribere. Cernis V. D. omnia ſua de proportionibus theo-

Digitized by Google

Theoremata quæ ipſe perplexa & multipliciter erranſte oratione vix ac ne vix oſtendit, ſola hac Symbolica quantitatum deſignatione manifeſta eſſe, atque ex ipſa proportionalium definitione demonſtrationem ſecum ferre, iis qui in Symbolica hac vel ſpecioſa Arithmetica omnino ſunt exercitati; imò cum ipſe forſan, methodo (uti eam appellat) verboſâ cerebellum crebris ſæviſque ictibus feriendo, pauca hæc Theoremata extuderit, poteris facillimè hâc arte horæ unius aut alterius ſpatio mille Theoremata (imò terminorum numerum augendo artemque combinationis applicando, millia millium) ejuſmodi, invenire atque inventa per ductum vel applicationem nudam demonſtrare. Quod ad Vindicem attinet cujus in gratiam ſuſcepta hæc omnis videatur comparatio, non ſum ipſe admodum ſollicitus: De cauſâ Academiarum quam adverſus Thomam hunc noſtrum ſuſcepit, imò & de ſuâ, judicabunt viri boni atque eruditi: illud ſolummodo mihi curæ eſt nequid detrimenti ab hujus hominis commixta arrogantiæ atque ἀυθαδεία imperitiâ Reſpublica literaria capiat: hoc unum igitur cupio, ſiquis hæc leget ut alta mente illud recondat, neminem hactenus in iis autoribus qui Symbolicam hanc coluerunt (*Vietâ, Harrioto, Warnero, Oughtredo, Carteſio, Schotenio,* aliiſque,) aliquem vel minimum (qui ſit alicujus momenti) errorem inveniſſe. At in Hobbio hoc noſtro qui de Analyticâ novâ, more potiùs Pſittacorum quàm Geometrarum, ſermonem ubique inſtituit, omnique molimine ab ipſa juventutem retrahere conatur, inventurum eſſe quemvis in Geometricis mediocriter exercitatum, infinitos errores, nihilque ſanum quod non ſit vel tritum & vulgare, vel ab aliis hauſtum ne dicam clanculò ſurreptum. Imò verò ſi centum mihi forent linguæ

ſimul

ſimul oraque centum, illud ipſe intonarem; fugiendas eſſe, veluti Syrenum cantilenas, illorum hominum voces, qui adoleſcentes à ſpeciebus atque rerum ipſarum contemplatione ad verba deducerent; quoties hac ratione Hobbius vel ſcopulis adhæſit, vel horribile paſſus eſt naufragium. Imo verò (nunc ego vos alloquor Adoleſcentes, ſiqui hæc noſtra eſtis lecturi,) niſi vobis ipſis defore velitis, niſi ventis & ipſi ludibrium debeatis, eos ipſos (ſtatim ab hauſtis Geometriæ primis elementis) jam ſuprà laudatos Autores

Nocturnâ verſate manu, verſate diurnâ.

Cernitis flebilem Hobbianæ methodi verboſæ illius atque loquacis cataſtrophen.

Frigidus, O pueri, (fugite hinc) latet Anguis in herbâ.

Diſcite tamen quorum facta imitamini eorum exitum perhorreſcere.

Atque hic quidem (quia Caput 14 Clariſſimo meo Collegæ curæ fuit, ut illud ferè integrum difflaret) Philoſophiæ Hobbianæ primæ Finis eſto.

SECTIO. III.

De Phyſicâ Hobbianâ.

CAP. I.

Examen Capitis 26 libri de Corpore, quod eſt de Univerſo & Syderibus.

HActenus extra Philoſophiæ Hobbianæ pomæria in Suburbiis hæſimus, verſati ſcilicet in Propædeumatis; juvat nunc in urbem ipſam introire ibique ædificia tam præclaris fundamentis ſuperſtructa contemplari, nempe *Edita doctrina ſapientûm templa ſerena.* Quan-

Quanquam autem conferre huc gradum vel animi gratia aliquatenus juvet, vel inſtituti ratione adductus neceſſe habeam, nolo hic tamen uſque morari, ne convulſis jam antea fundamentis, opprimat me, vel caput lædat labentis operis ruina.

Partis hujus initio, Hobbio gratulatur Thomas, quòd præterita (nempe Computationem, Primam Philoſophiam, & Geometriam) ita executus fuerit, ut *nihil illic affirmaverat, quod non fuerit ſatis demonſtratum. Motus* (inquit) *& magnitudo per ſe & abſtractè conſideravimus.* (cap. 24. ad finem) Præclarum factum! modò verba condonaverit Priſcianus.

Nempe opus exegit, quod nec Jovis ira, nec ignis,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.—
Nemo illum lachrymis decoret nec funera fletu
Faxit. —

Nomen certè habiturus eſt olim, illudque inter Icaros aut Orontios forſan immortale. Tres nempe viros magnos natura edidit.

Alexandrum magnū atq; Agathoclem aiunt maximas
Duo res geſſiſſe: quid ſibi fiet tertio
Qui ſolus facit facinora immortalia?

Ego quidem, ut cernis, ægrè divellor à Thoma noſtro ob Geometriam ſuam præcipuè laudando, qui de *quadratura Circuli ſcripſit problematicè.* Scripſit de tribus Thomis libellum ſtapeltonus noſtras, (& ipſe hoc nomine clarus) quidni ipſe adjiciam quartum? at at quonam meo fato fieri dicam ut erepta ſit mihi hæc provincia (eaque à Doctiſſimo Collega feliciſſimè adminiſtrata, qui laudes Hobbianas (in Elencho) pro meritis

meritis ſuis immortalibus, pleno ore ebuccinat?) quonam inquam fato, niſi eo cujus autor eſt Philoſophus hic noſter? quod quia delicta omnia tollit ab hominibus; ignoſcet igitur ipſe mihi abſque ampliore honoris præfatione Phyſicam ipſius aggredienti.

Incipit ipſi Naturalis ſua Philoſophia, à contemplatione *Senſionis* & *motus Animalis*. At quoniam is ſcopus eſt atque finis omnis iſtius capitis, ut *operationes humanas* explicet, earumque rationem reddat, nos autem de *Homine* (ex mente Hobbiana) poſt abſolutam Phyſicæ ſuæ conſiderationem ſeparatim agere initio decrevimus; à Capite potius 26 quod eſt de Univerſo & Syderibus inſcriptum, exordiemur. Atque hic quidem licet tibi (V. D.) de magnis rebus nobiſque magnopere deſideratis loquentem audire. Quæſtiones initio iſtas proponit

1. *An Mundus ſit finitus, vel infinitus*?
2. *An fuerit æternus, vel non fuerit æternus*?
3. *An ſit plenus, vel non plenus*.

Quis eſſe poteſt (quæſo) animo tam duro & ſtupente ut ad iſta non geſtiat & aures arrigat? quis ea ſcire non deſiderat? quare de duabus ſimul prioribus eum dicentem primò audiamus, deinde de iis ſingulatim.

Quæſtiones (inquit §. 1.) *de Magnitudine & Origine mundi, non à Philoſophis, ſed ab iis qui ordinando Dei cultui, legitimè præſunt, determinandæ ſunt.* ἐλελεῦ ἰοῦ ἰοῦ! quo me geram modo vir digniſſime? quantâ de ſpe decidimus! ſperabam ipſum de omni re quæcunque ſit propoſita ornatè & copiosè dicturum. Cur nos deſerit caputque condit, ſubducitque oculis? quid eſt quod ſpem metumque iramque & gaudium tyrannica hac ſententia ſimul excitando nos cruciat? Non ſunt

ſunt (inquit) iſta à Philoſophis determinanda; non forſan à Stagyrita, ſperabam autem à Malmesburienſi omnia bona fuiſſe expectanda. At ab iis determinanda eſſe aſſerit, qui ordinando Dei cultui legitimè præſunt; Nempe ab iis qui poteſtatem gladii quocunque modo adepti fuerint. (hoc in Leviathane & libello de Cive ubiq; ſtatuit nimirum hic gladius eſt gladius Delphicus, ad omnia inſervit, editque oracula.) Vereor ut ſe nſū hujus paragraphes plenè aſſequantur omnes, hic autem is eſt. Si edixerit magiſtratus mundum fuiſſe æternum, æternus fuit; ſi non fuiſſe æternum ſed creatum, creatus fuit & non æternus; eodem modo, ſi ſtatuerit Magiſtratus immenſum eſſe mundum, immenſus eſt; ſin è contrario, non eſt immenſus.

Nempe hoc eſt quod ſupra aſſeruit *veritatem & falſitatem ex hominum arbitrio pendere.* Ita Senatum ſtatuiſſe audiverat nunc Oxonium Cantabrigiâ, nunc Cantabrigiam Oxonio fuiſſe antiquiorem. Ego quidem credo potuiſſe Thomam illud determinare; nolle autem donec Rex fiat vel Pontifex Romanus. Erunt certè felicia illa tempora ubi vel Rex ipſe Philoſophabitur vel Philoſophus regnabit. Cernis quanti interſit Reipublicæ (ſaltem literariæ) ut ipſe dominetur. Sed protelandam eſſe cernis rerum iſtarum in genere expectationem; veneniur interim (fieri ſi poſſit) ejus ſententiam primò de magnitudine mundi, deinde de duratione.

Nihil (inquit) *abſurdi ſequetur, ſive finitus mundus ſive infinitus ſtatuatur.* Statuatur igitur infinitus & videamus quid inde conſequatur. Nempe ponatur eſſe corpus infinitum, cum autem corporis natura ipſi in eo conſiſtat, ut extendatur, adeoque ut dividi poſſit, dividi ſtatuatur; Quod ſi

dividatur, ex partibus conſtabit; quòd ſi ex partibus conſtat, non erit infinitum vel indeterminabile. *Partes enim quotcunq; cum ſingulæ ſint finitæ etiam ſimul ſumptæ facient totum finitum.* (cap. 7. §. 12.) impoſſibile igitur eſt, ut Corpus ſit infinitum. At verò Mundus Hobbio corpus eſt, nihilque habet præter Corpus; infinitus igitur Hobbio non eſt. Certè ſequitur ex hâc poſitione (atque illud fatente Hobbio) vel totum non eſſe majus ſuâ parte, vel Solem, *Sydera*, variaque Syſtemata Planetarum mundi partes non eſſe (quamvis ex iis univerſis mundus ipſe conſtet) quorum tamen prius eſſe rationi repugnans ait ſe alibi demonſtrâſſe (alii pro principio intelligentiæ illud habuerunt.) poſterius jam ipſo hujus capitis initio evertit, cujus Epigraphe eſt de *Univerſo & Syderibus*, initium eſt illud: *contemplationem ſenſionis ſequitur contemplatio Corporum quæ ſentiendi objecta ſunt, objectum autem omne univerſi mundi vel pars eſt, vel partium aggregatum.* Partes igitur habet mundus univerſus, idque ex mente Hobbii ideoque ipſi infinitus ſi ſtatuatur, vides quid ſequetur. Sequetur (inquis) ut ipſe ſibi manifeſtè contradicat; at ipſe ſuſceperat *abſurdi nihil* ſequi ex iſta poſitione: ſibi ipſi igitur ſuiſque demonſtrationibus contradicentia ſequi, non eſt ipſi abſurdum. Omiſſa igitur quæſtione de magnitudine mundi, tranſeamus ad ejus durationem, ubi melius fortaſſe rem ſuam geret.

2. Atque hic quidem triumphantem eum invenies in aliquem qui ex rebus naturalibus mundi originem (uti videtur) demonſtrâſſe ſe jactitat. Odi ipſe certè jactantiam omnem; quare prius videbimus quomodo ſe habeat iſta inter Thomam iſtumq; ἀλάζονα controverſia. Poſtea quid ſit ex principiis Hobbianis ſtatuendum.

Eſt

Eſt igitur libellus quidam Anglico idiomate ſcriptus, cui titulus eſt *Tentamen Philoſophicum*. Huic ſcopus eſt, ut ex principiis rationi humanæ manifeſtis, evincat Dei exiſtentiam ejuſque Attributa; Animi humani immortalitatem, & demum S. Scripturæ authoritatem. In primæ partis executione illud ſumit, aut mundum hunc noſtrum Originem habuiſſe, aut dierum e. g. numerum actu infinitum, quodvis aſſignatum tempus præceſſiſſe, unde ſequetur totum non eſſe ſuâ parte majus. Nempe numerus præcedens nativitatem Iſaaci non erit major eo qui nativitatem præceſſit Abrahami: hoc autem judicat iſtius libelli autor (quæ eſt & mea ſententia) eſſe abſurdùm. Quid interim ad hæc D. Hobbius?

Hoc modo demonſtrantem (inquit) *ſe laudare non poſſe*. Dolendum hoc certè tibi mihíque in Autoris iſtius gratiam, ni forſan (quod ille de Vindice, qui huic Autori [ut noſti] admodum affinis eſt) laudari ab homine qui moribus eſt Hobbianis ipſe minus honeſtum eſſe judicet.

Sed quare non poteſt eum laudare? quid Thomam (quæſo) movit, ut tam horrendo judicio adverſus eum conſtituat? ut fulminis tam diri vim coruſcam in eum evibret? *Quoniam* (inquit) *ſimilis demonſtratio eſt, ac ſi quis ex eo quod numerorum parium numerus ſit infinitus, totidem eſſe concluderet numeros pares, quot ſunt ſimpliciter numeri, id eſt, pares & impares ſimul ſumpti.* Imò verò parem eſſe concedo ratiocinationem vel potiùs eandem, illud expreſsè dixiſſe libelli iſtius autorem, poſita mundi à parte ante (ut loquuntur) æternâ duratione, inferri exinde ea incommoda quæ poſitionem numeri actu infiniti conſequuntur. Inter ipſa autem eſſe aut infinita ex finitis conſtare, aut totum non eſſe majus ſua parte. Quæ utraque ipſe abſurda

eſſe judicat. Expectabam ut Hobbius pro eruditione ſua oſtenderet vel iſta à poſitione æternitatis Univerſi non conſequi, vel non eſſe abſurda; vel ſi æternus ſit mundus numerum dierum infinitum datum aliquod tempus non actu præceſſiſſe, vel hoc conceſſo, totum eſſe parte ſuâ majus, (ſimpliciter numeros paribus vel imparibus plures.) Verùm ſatius eſt iſta contemnere *quod* (inquit) *faciunt meritò tum Eruditi, tum Idiotæ, illi quia intelligunt, hi quia non intelligunt*. (Delicatè admodum!) Quæres cui demum familiæ ſit ipſe aſcribendus; hoc potiùs ex ſequentibus innoteſcet. Dicendum enim reſtat quid ſit ex principiis Hobbianis hic & alibi diſperſis ſtatuendum.

Nolo pertrahere lentam orationem, paucis rem accipe,

1. Statuit Hobbius determinari non poſſe quæſtionem de mundi Æternitate.

2. Cum ſtatuat contemnendam eſſe ratiocinationem ex poſitione numeri infiniti, ipſe interim eodem utitur ratiocinio. Quæſtionem eodem modo determinat, adeoque ſibi ipſi ſemel iterumque contradicit.

Primum horum jam antea manifeſtum eſt factum, ubi Magiſtratui vindicandam hanc poteſtatem decrevit, Philoſophis auferendam. Docendum eſt potiùs principiis à ſe poſitis in hoc loco, ipſum contradicere. Contemnendum eſſe argumentum illud à numero actu infinito aſſerit. Vel igitur contemnendum eſt, quia ex poſitione mundi æterni non ſequitur numerum dierum actu infinitum eſſe, vel quia ex numero actu infinito nil mali ſequitur: illud dicere nullo modo poteſt; hoc autem ſibi in mente fuiſſe oſtendit prolata ab ipſo inſtantia. Quare ipſum alibi loquentem audiamus. Nempe (Cap. 7. Sectione 12.)

No-

Notandum (inquit) *eſt, etſi in tempore (quod potentia infinitum eſt) numerari poſſunt plures horæ quocunq; numero, qui aſſignari poſſit, numerum tamen illum finitum fore; omnis enim numerus finitus eſt,—partes quotcunq; cum ſingulæ ſint finitæ, ſimul ſumptæ conſtituent totum finitum—duo autem tempora infinita eſſe intelligi non poteſt*. Cernis principiis à ſe poſitis apertè eum contradicere & ſeipſum contemnendum eſſe laborare. Dices iſta non abſque ingenio aliquo aut ſtudio in contradictionem trahi poſſe. Vide igitur illum in libello de Homine (p. 132.) præclarè quidem meâ ſententiâ ratiocinantem. *Effectus quos naturaliter agnoſcimus, potentiam ſui productivam ſupponunt, eamque productionem eorum præcedentem. Potentia autem, aliquid exiſtens ſupponit quod illam habeat. Aut igitur res iſta exiſtens æterna eſt, aut non æterna; Si non fuerit æterna, producta eſt ab Antecedente aliquo, illudq; ab Antecedente, donec ad æternam (id eſt, primam) potentiam potentiarum primamq; cauſam cauſarum perveniatur. Hæc autem ea eſt quam Dei nomine homines concipiunt.* Spero Hobbiana omnia legitimè demonſtrata eſſe, quænam eſt vis autem hujus demonſtrationis? quare neceſſe eſt ad æternam eamque primam cauſam pervenire, niſi ex eo, quod progreſſus in infinitum non datur, ne daretur numerus actu infinitus? Cernis eum, ut hominem quem Academiarum fuiſſe vindicem exiſtimabat, proſterneret, cum eo una ruere & ſeipſum vulnerare non detrectâſſe.

Quis (quæſo) indomitas tantus dolor excitat iras?
Quid furis? aut quonam veſtri tibi cura receſſit?

At dices tu forſan non eſſe tempeſtivam hanc lamentationem; non patere ex doctrina Hobbiana, eundem eſſe Thomam hunc Senem iſta edentem, qui fuit Junior (& vegetior) ille de Homine, multò ſaniùs & doctiùs ſcribens: adeoque non ipſum ſibi contradicere. Atque ego quidem ſentio accuratè & ſtrictè cum hoc homine agendum. Quid ſi igitur evincam ipſum eodem hoc capite, imò eadem ſententia, eodem ſpiritus efflatu ea quæ mutuò ſe deſtruunt efferre. *Et ſi (inquit) ex eo quod nihil poteſt movere ſeipſum, ſatis rectè infertur,* primum *aliquod eſſe movens quod fuerit* æternum, *non tamen illud inferetur quod inferre ſolent, nempe æternum* immobile, *ſed contra æternum motum, ſiquidem ut verum eſt nihil moveri à ſeipſo, ita etiam verum eſt nihil moveri niſi à motò.*

Ex eo quod nihil poteſt movere ſeipſum infertur (inquit) primum movens, quod fuerit æternum. Mihi planè contrarium ex principiis ſuis ſequitur, attende, quæſo, annon & tibi. Sit enim movens, ergo ipſum movetur, ex Hobbii Philoſophia; ergo vel à ſe, vel ab alio, & ſi ab alio non erit primum movens, contra hypotheſin; ſi ergo ſit primum aliquod movens, erit αὐτοκινητόν.

At ſecundò, *non infertur* (inquit) *primum movens immobile*, ſed *motum*. Ego vero, ſiqui mihi ſint oculi, ſiqua mens, cerno primum motorem etiam ex Hobbii doctrina *immotum* non *motum* eſſe debere. Sit enim motus, *cauſam* ergo motûs habuit, *at cauſa motus nulla eſſe poteſt niſi in Contiguo & moto* (c. 9. §. 9. & alibi ſæpe) primum igitur movens non eſt, ſed præcedentem habuit motorem, unde denuò ſi motor primus ſtatuatur, ſequetur eſſe illum αὐτοκινητόν. At ipſe verum eſſe inquit *nihil moveri à ſeipſo*. Imò & ſimul ſtatuit *nihil moveri niſi à moto*, exinde autem *in-*

ferri

ferri primum motorem. Nempe primus motor eſt qui ab alio movetur, & quia omne movens ab alio movetur, eſt igitur primum movens. Suſtine me, quæſo, (V. D.) ne forſan me ſtatim corripiat vertigo? imò,

—Jam jam vertigine tectum
Ambulat & geminis exurgit menſa lucernis.

Video certè, annon & ipſe vides? Colluctantia & mutuò ſe deſtruentia, Phantaſmata. bella! Horrida bella!

Tecta fremunt, reſonant magnis plangoribus æther
Non aliter quam ſi immiſſis ruat hoſtibus omnis
Carthago.

Sed nolo homini eo in locò inſultare, ubi laceſſitus aliquo modo eſſe videar: ſatis eſt ea quæ autor iſte *Tentaminis Philoſophici* poſuerat, (quem eundem & Vindicem Academiarum fuiſſe credit) deſtruere conantem manifeſtè eum interim aut hominem exuere, aut rationis deliquium ſubire. Tranſeo ad Quæſtionem tertiam.

3. *An mundus ſit plenus vel non plenus.*
Verſati ſumus hactenus in iis quæ rationis ſunt meræ, ab ejuſque ſolius principiis petenda, ad ea nunc accedimus, ubi rationi ſenſus (experimenta miniſtrando) inſervit. Ita ut in aliis quidem ingenii, hic ingenii ſimul & diligentiæ Hobbianæ ſpecimina habeamus. Noſti quæſtionem eſſe nobiliſſimam, in utramque partem acriter diſputari, mihi autem cum cætera quamplurima à pleni aſſertoribus aliquo modo explicari poſſe cenſeam, illud interim minimè intelligibile eſſe, quomodo ex corporibus ſimplicibus & homogeneis alterum altero ſit rarius vel denſius. Mentem ſic explico. Si de Corpore aliquo rarefaciendo (exempli gra-

tia ſumatur Aqua) quæratur, affirmant pleni aſſertores faciendum eſſe ingreſſum quendam partium Aeris minutiſſimarum in aquam, eaſque cum partibus aquæ conjungendas & miſcendas: hinc fieri ut nubes ſit aquâ in palude exiſtente rarior, atque in cæteris eandem eſſe rationem; rarefieri, ſcilicet, aerem ingreſſu ignis, vel ætheris, corporis naturâ ſua aere rarioris. Atque hucuſque intelligi poſſunt. Quærimus autem nos quæ cauſa eſt ut ſit Aer Aquâ molis ejuſdem rarior? Si dicatur Aeri eſſe immiſtum æthera, redibit quæſtio: ſcil. plus eſſe materiæ in aqua quàm in aere, hoc etiam intelligimus. At quærimus qua ratione fiat, ut nunc plus materiæ ſeu corporis, nunc minus, æquale ſpatiũ occupet? Cum autem eò res iſta ultimè redigatur, ut vel dimenſionum penetratione, corporum ſubitione, ejuſdem corporis diverſa quantitate (quæ iisdem omnia mihi ſonant) hoc fiat, vel partium nunc propiùs adjacentium, nunc intervallis majoribus diſſitarum poſitione. Fateor me ex eorum numero eſſe qui poſteriorem hunc modum intelligere ſe poſſe putent; priorem autem minimè me adhuc aſſequi potuiſſe, adeoque hac ſaltem ratione vacuum non eſſe denegandum me exiſtimare. Quid interim Malmesburienſis?

Ad tollendum vacuum adducit experimentum *ſatis tritum, attamen ut ſibi videtur validiſſimum.* Deinde argumenta etiam tollit vacuum Aſtruentium.

Eſto (inquit) *Hydria AB, quali uti ſolent ad rigandos hortos Hortulani, cujus fundus pertuſus ſit pluribus foraminibus, habeatq́, oſculum A digito obturandum. Aquâ autem Hydria impleatur, accluſo tunc oſculo, aqua non effluet per foramina, amoto autem digito, per omnia; rurſuſq́, applicito digito ſimul & ſubitò omnis ſiſtetur.*

En

En Experimentum! reverà ſatis tritum (quin & alia habet Epitheta Doctiſſimus Moranus.) quid inde evincitur? *Hujus* (inquit) *rei cauſa eſt, quòd aqua pondere ſuo ſubjectum aerem pellere ante ſe non poteſt.*

Pellere autem non poteſt, propterea quod locus nullus ſit quo pulſus ſe recipiat, niſi vel pellendo aerem vicinum usq; ad foramen A, ubi intret & ſuccedat defluenti, vel faciendo, ut per ipſam aquam (dicere debuit, prout & mox ſe explicat, per fundi foramina) *tranſeat.* Signum (inquit) hoc eſt vacua non dari.

Mirabere procul dubio argumento tam inani eum niti vacuum è mundo ejicere, cui interfuit maximoperè illud demonſtraſſe. Cum ſit illud fundamentum unicum Philoſophiæ ſuæ naturalis, quo ſemel convulſo labitur ea omnis. Imò infirmum eum eſſe oportet, cui iſtiuſmodi argumenta ſunt validiſſima. Exponamus illud ante oculos.

1. Cauſa (inquit) phænomeni in hydriâ eſt, quod aqua aerem pellere non poteſt.

2. Pellere non poteſt, niſi aer in ejus locum ſuccedat.

3. Succedere in ejus locum non poteſt niſi vel per oſculum, vel per fundi foramina.

Cernis totam vim argumenti ad vacuum tollendum in ſecunda iſta propoſitione conſiſtere: illam autem tum indemonſtratam eſſe relictam, tum etiam falſiſſimam eſſe contendimus.

Concedo nimirum cauſam phænomeni eſſe quod aqua hoc loco aerem pellere non poſſit, verum hujus imbecillitatis cauſam eam eſſe, quod aër non poſſit ſimul in ejus locum ſuccedere, pernego. Non pellit aerem in hydriis vulgaribus, quia pondus aquæ non ſuperat pondus vel vim reſiſtentis aëris.

Reſiſtit enim aquæ (occluſo jam Hydriæ oſculo) aëris

aëris columna, vel Cylindrus, cujus baſis eſt prementis aquæ baſi æqualis, atque ipſe ad Atmoſphæræ extimum ambitum extenſus.

Æquiponderat iſta aëris Columna, aquæ Columnæ pedum circiter triginta duum, uti experimento jam infra tangendo conſtat.

Si igitur ad irrigandos hortos uterentur homines ejuſmodi Hydriis quarũ altitudo tot pedes excederet, deflueret aquæ illa pars quæ dictam altitudinem ſuperaret, quantacunque ea foret atque ad æquipondium deſcenderet, etiam oſculo occluſo cæteriſque omnibus eodem modo cum Hydria Hobbiana ſe habentibus.

Verùm cum Hydriis tantæ altitudinis neque utantur hortulani neque uti poſſint, non defluet ipſis (occluſo jam oſculo foraminibuſque in fundo anguſtioribus exiſtentibus) aqua, non quia ſuccedere non poſſit in locum ejus aer, ſed quia aerem ab Atmoſpheræ ſummitate deſuper ipſi incumbentem & præponderantem loco pellere non poſſit.

Nempe ſi cauſa hujus phænomeni foret naturæ à vacuo abhorrentia, non magis aqua deflueret in altiſſimo canali, occluſo atque (ut aiunt) Hermetice ſigillato, quàm in Hydria Hobbiana, imò ob fugam hanc vacui attolli poſſet aqua in datam quamcunque altitudinem, ope nimirum machinarum hoc uno principio nitentium.

At verò aquam ob fugam vacui non ultra 32 pedes circiter aſcendere ſive in Antliis, ſive in Siphonibus, ſive machinis aliis quibuſque, experti ſunt antehac cauſam ignorantes ſuo magno cum dolore, quorum interfuit terminum hunc aquarum aſcenſui, id eſt, pondus hoc aeri naturam minimè tribuiſſe.

Si vacuum ita fugiat natura, ut ejus metu atque abhor-

horrentia, ſingultiens quaſi ſpiritumque cohibens, aquam in hydria ne defluere poſſit, retineat; quæ cauſa eſt quod idem in altioribus non faciat canalibus? imò quæ cauſa eſt, quòd, ſi argento vivo impleatur hæc ipſa hydria modò 26 uncias altitudine exceſſerit, defluet illud ſtatim omne, nimirum ſi aer ſive ex ſummo, ſive ex imo interveniat; ſin minus, defluet tamen donec ad altitudinem non niſi 26 unciarum in Hydria quantæcunque altitudinis pervenerit? Quod autem de Aqua & de Argento vivo dictum, intelligendum eſt etiam ſecundum ponderis Analogiam de quocunque demum alio liquore. Nempe non eſſe eum in canali ſatis longo ob fugam vacui permanſurum; verùm prohibito aere aliove corpore, atque ab ingreſſu impedito, deſcenſurum donec in tubo vel canali relictum ſit, quantum 32 pedibus Aeris vel 26 unciis Argenti vivi æquiponderet.

Hæc cum ita ſe habeant, norint ii omnes qui naturam ipſam contemplantur, quique in deliciis habent ſenſus atque experimenta conſulere, omnia priùs luſtrare phænomena quàm de rebus naturalibus ἀξιώματα atq; κυρίας δόξας è cathedra effundunt. Miraberis tam lævam fuiſſe philoſopho huic noſtro mentem, ut Philoſophiæ ſuæ naturalis univerſæ molem tam lubrico fundamento atque fluenti, temeritate maximâ atque oſcitantia imponeret. Sed tamen æquum erat ut ſui ſimilis ubique procederet, ut ultima primis reſponderent, ut diligentia ingenio palmam minimè præriperet. *Qualis ab incœpto proceſſerit, ut ſibi conſtet.*

Videbat certè, *occluſo Hydriæ oſculo aquam non effluere, amoto autem digito ut aer ſupernè ingrediatur per omnia fundi foramina, rurſusq; applicito digito, ſimul & ſubito ſiſti* eam omnem. Ecce obſervantis (pueri opinor olim) diligentiam.

Hinc

Hinc ita philoſophatur, *Ingrediente aëre ſupernè effluit aqua, & aëre non ingrediente non effluit*, Ergo *impoſſibile eſt* (ipſius verba ſunt) *ut aere non ingrediente effluat. Ideoq; ut ſit vacuum aliquod, eſt impoſſibile.* Ecce ingenium Philoſophantis!

Dicimus aeris ingreſſum nonniſi ad modum accidentis aquæ effluxum comitari; verùm phænomenon ex aeris adverſus aquam reſiſtentiâ omnino regulari, nimirum Hydriæ oſculo occluſo reſiſtit Aquæ Aer ad extremum uſque Atmoſpheræ; atque ille quidem in hâc inſtantiâ aquæ præponderat, ſive reſiſtentiam objicit aquæ gravitate majorem; remoto autem digito, reſiſtit aquæ non columna aeris ad Atmoſphæram, verùm ad Hydriæ oſculum ſolummodo extenſi; unde aquam prægravare dicimus, ideoque effluere.

Hactenus ingenii & diligentiæ ſpecimina exhibuimus. Habebis & judicii in adverſariis ſternendis: Sunt iſti vel veteres, vel novi, quorum illi rationibus agunt, hi experimentis. Argumenta petuntur ex Lucretio, & ſunt illa quatuor.

1. Vacuum niſi detur, nihil (inquit ille) moveri incipiet, non lapis in aere, non piſcis in aqua.

Nam quò ſquammigeri poterunt procedere tandem
Ni ſpatium dederint latices? Concedere porrò
Quò poterunt undæ, cum piſces ire nequibunt?
Aut igitur motu privandum'ſt corpora quaq;,
Aut eſſe admiſtum dicendum in rebus inane,
Unde initum *primum capiat* res quæque *movendi.*

Nimirum hæc argumenti vis eſt; piſcis in aqua nequit moveri. niſi ſpatium det aqua; iſta autem ſpatium dare non poteſt ſi omnia ſint plena, neque enim

enim habet quo ſe recipiat. Nempe quo inſtante piſcis verſus plagam aliquam movetur, & aquam eò propellit, niſi vacua ſint ſpatia quæ motam aquam admittant, erit vel corporum ſubingreſſio, ſeu penetratio, vel motus neceſſariò in infinitum verſus plagam eandem continuatus, quæ duo implicant: Quare niſi vacuum detur, non incipiet Piſcis (exempli gratiâ) moveri. Quid ad hæc Thomas?

Nempe (inquit Sect. 3.) *hoc argumento concludi poteſt, niſi fuiſſe motum mobili coæternum, vel coævum, quorum neutrum conſiſtit cum doctrinâ Epicuri, qui & mundo & motui initium abſtulit. Nondum ergo vacui neceſſitas demonſtratur.*

Præclarè omnino & Hobbianiter! Neque enim aliud occurrit vocabulum, quod hujus hominis ſive ingenium ſive judicium ſive diligentiam & attentionem exprimat.

Diſputat de initio motus rei *cujuſq;* Lucretius. Reſpondet Hobbius de initio motûs in univerſo, conceditque motum in univerſo niſi ſimul cum corpore univerſi incipere nullo modo potuiſſe: eſſe nimirum motum corpori vel coæternum, ſi edixerit Magiſtratus mundum fuiſſe æternum; vel coævum, ſi ſtatuerit mundum cæpiſſe. Nempe motum corpori neceſſariò coævum eſſe ait hoc argumento evinci. Ipſe verò illud neque hoc argumento neque ullo ingenio Hobbiano evinci poſſe exiſtimo. Ponatur mundi corpus factum fuiſſe, ſive initium habuiſſe, quod ex principiis Hobbianis jam ſupra intulimus; quæ cauſa eſſe poteſt, ut motus non fuerit corpori jam facto ſuperinductus? Si *Deus ſit cauſa mundi*, uti ſtatuit ipſe alicubi (C.cap. 15. Sectione 13.) idemque ſit *primus motor*; quidni potuit corpus primum creare, deinde

de motum ei communicare?

> *—Dic Quintiliane colorem,*
> *Dic aliquem.—*

Verùm quid hæc omnia ad argumentum Lucretii? hic certè locum habet illud quod dici ſolet. *Ego tibi de Alliis loquor, tu reſpondes de Cæpis*; diſputat *Lucretius* de Piſce, habet ipſe interim (quod aiunt) nihil ad Rhombum; de Piſce in liquido movente, de quo Thomas eſt omnino mutus.

2. Quin pergamus illicò ad ſecundam Lucretii argumentum, quod ſumptum eſt à pondere & continetur (ut ait) in his verſibus.

> *Corporis officium eſt quoniam premere omnia deorſum;*
> *Contra autem natura manet ſine corpore inanis;*
> *Ergo quod magnum eſt æquè, leviuſq; videtur,*
> *Nimirum plus eſſe ſibi declarat inanis.*

In ea ſententia eſt *Lucretius* (&, ut opinor, omnes ſaniores) gravitatem atque denſitatem, quinetiam levitatem & raritatem ſe mutuò conſequi; quin & ſtat denſi corporis affectionem vel σύμπτωμα perpetuum in ſphæra obſervationis noſtræ eſſe deſcenſum (inter leviora) atque ad terram vergentiam; ſic igitur argumentum Lucretii inſtituimus.

Sunt ex æquè magnis, corpora alia aliis leviora, (id eſt ſenſu noſtro rariora) quod abſque vacuis interſtitiis eſſe non poteſt, quare concedendum eſt eſſe in natura vacuum. Atque hoc quidem argumentum (quod de Hydria dixit ipſe ex adverſo) mihi videtur validiſſimum & graviſſimum. Attende, obſecro, ad illius reſponſum. Nempe tria hic reponit.

1. Deor-

1. Deorſum *nihil negotii habere cum natura rerum, ſed eſſe figmentum noſtrum.*

2. *Si omnia* (inquit) *ad unum infimum tenderent, aut nihil coaleſceret, aut omnia in unum locum cogerentur.*

3. *Quin tollitur vis argumenti, quia idem facit atomis intermixtus Aer, quantum efficere exiſtimat ille intermixtum vacuum.*

At certè illud *deorſum* uti nihil habet negotii in natura rerum, ita nihil habet virium in argumento Lucretiano; ſi vim aliquam habuiſſet, omiſiſſet illud pro more ſuo noſter Philoſophus.

Nihil aliud voluit Lucretius quam corpora, (in certâ menſurâ ſumpta) habere corporeitatem, denſitatem, gravitatem, ſibi invicem proportionalia: Cùm ſit autem Gravitas in orbe hoc noſtro nonniſi Symptoma denſitatis, fruſtra ex relativa Symptomatis natura, & ſophiſticè eludere vult ipſe argumentum ab ipſa corporis natura vim habens. Quare reſponſa iſta petita à figmento *τῦ deorſum* & *à tendentiâ ad unum infimum*, levitatem potius Sophiſticam olent, quàm hominis Philoſophi & verum quærentis, gravitatem. Ubi autem ait factum eſſe idem hoc loco, intermiſtum aerem, atque intermiſtum vacuum, facit ut illum fidenter aſſerere non verear, nullibi eum ſolere vel ſua vel aliena intelligere. Sumantur duo corpora ejuſdem (ut loqui ſolemus) magnitudinis, diverſæ autem denſitatis, nempe pes cubicus Terræ qui ſit A & pes cubicus vaporis alicujus B. Eſt (inquit Lucretius) corpus A gravius, id eſt, denſius, ergo plus habens corporis quàm B; vel contrà, B levius eſt, id eſt rarius A; ergo minus habet corporis in ſpatio æquali, ergo plus habet vacui.

Reſpondet Hobbius B levius eſſe quàm A, non

quia

quia vacuum habet immiſtum, ſed aerem; vel igitur aer iſte immiſtus tantum habet corporis quantum habet pars Terræ ſibi mole æqualis, vel non; Si non habet, conceditur vacuum in aere; ſin habet, ergo utrinque tum in Terrâ, tum in vapore (id eſt, tum in A, tum in B,) erunt Corporeitas, Denſitas, Gravitas æqualis.

Nempe hoc eſt quod ipſe initio monui, quamvis per corporum rariorum ingreſſum poſſit Rarefactio in infinitum fieri intelligi: non tamen eſſe mihi (credo certè nec alteri cuivis) intelligibilem notionem raritatis abſque vacui imaginatione. Cernis interim leve eſſe & nullius momenti reſponſum Hobbianum ad argumentum illud de Pondere.

3. *Argumentum* (inquit) *tertium ab eo ſumitur quod Fulmen, Sonus, Calor, Frigus, Corpora (exceptis ipſis Atomis) etiam ſolidiſſima penetrare viſa ſunt.*

Argumentum nempe hoc ita poteſt inſtitui:

Aut datur vacuum, aut corporum penetratio; iſta non datur neque dari poteſt; concedendum ergo eſt illud; in diſjunctione cùm omnis dubitatio conſiſtat, probat eam legitimam hoc argumento Lucretius; admittitur intimè à corporibus ſolidiſſimis Fulmen, &c. quæ ipſa ſunt corpora; aut igitur ſubeunt ipſa corpora, eaque penetrant, aut in ſpatiola vacua recipiuntur; non illud, à quo communis hominum (Philoſophorum) ſenſus abhorret; hoc igitur ſtatuendum. Quid ad iſta Malmesburienſis? Nempe

Sed hæc (inquit) *ratio, niſi quis prius demonſtrârit ea omnia fieri non poſſe excluſo vacuo, per motûs perpetuam generationem, invalida eſt.*

Eſt (ut noſti) V. D. vir quidam Nobilis inter noſtros non immeritò celebris, qui itineris in partes Orientales à ſe peracti rationarium ſcribens, illud notavit,

tavit, differre à nobis Turcas non moribus ſolummodo quibuſdam & inſtitutis, verùm ipſâ ratione primiſque judiciis de rebus. Fieri poteſt ut origine Turcicâ ſit Philoſophus hic noſter (illud ſententia de fatali rerum omnium neceſſitate, illud ſublata in rebus civilibus omnis libertas, ſummaque in regimine affectata ab ipſo Tyrannis ſuaderet) hoc certè habet cum ipſis commune, differre à noſtrâ, omniumque quibuſcum verſamur eruditorum hominum ratione, ipſius rationem; adeò omnia noſtris contraria habet ratiocinia.

Probat ab ingreſſu fulminis in corpora ſolidiſſima, vacuum, Lucretius; reſpondet non valere argumentum, niſi *prius* demonſtraverit abſque vacuo fieri hoc non poſſe; annon ſatis eſt jam nunc hoc ipſo argumento illud evinci?

At(inquit)*hæc ratio invalida eſt, niſi demonſtrârit, fieri non poſſe Fulmen, Sonum, Calorem, Frigus*, per motûs *perpetuam Generationem.*


Multa certè habeo hoc loco, quæ poſſem referre. Separanda eſſe nimirum *Fulmen, Calorem, Frigus*, à *Sono*. Et cum ſonus motu ſolo phantaſma excitante creetur, aliter interim de Fulmine, Calore, Frigore(eo ſaltem quod congelationis cauſa eſt)eſſe ſtatuendum; nempe non motu ſolo elementorum vulgò ſic dictorum, ſed motu in corpore modo ſibi peculiari conſtituto ea fieri, Fulmen vapore ſulphureo, calorem igne, frigus particulis nitroſis e. g. fieri, atq; hæc corpora ſolidiſſima ſubire: quare concedendum adhuc eſſe vel vacuum, vel penetrationem. Verùm non eò neceſſe habet Lucretius ut fugiat; Nempe hoc illud eſt quod ſibi concedendum optat Hobbius, motûs perpetuâ generatione hæc omnia fieri; at prius oſtendit Lucretius Thomâ nequicquam reclamante abſque vacuo neque motum, horum phænomnωn

Cauſam, incipere potuiſſe, nec eſſe.

4. Poſtremò (inquit) *Argumentum quartum ab eodem Lucretio proponitur his Verſiculis.*

—Duo de concurſu corpora lata
Si citò diſſiliant, nempe Aer omne neceſſe eſt
Inter corpora quod fuerat, poſſidat inane.
Is porro quamvis circum celerantibus auris
Confluat, haud poterit tamen uno tempore totum
Compleri ſpatium, nam primùm quemq́ neceſſe eſt
Occupet ille locum, deinde omnia poſſideantur.

Vis argumenti patet; ſint duo corpora quædam plana a c & a γ quæ juncta primùm concipiantur ſuperficiebus, deinde ſeparentur ita ut angulum conſtituant c a γ vel b a β. Facta hac corporum ſeparatione ingredietur aer, & ſpatium c a γ implebit: ſupponatur aer ingredi incipere ab extremitatibus planorũ c, γ, & ad a tendere; cùm igitur amotus in inſtanti fieri nullo modo poſſit, priùs perveniet ad puncta b & β quam ad a, ideoque aliquo temporis ſpatio vacuus erit locus inter a, b, β interceptus.



Hic (inquam) eſt ſenſus argumenti Lucretiani; videamus nunc quomodo argumentum hoc tollere conetur Philoſophus hic noſter.

Reſpondet, pugnare iſta cum ſententia Epicuri; *imò aliquanto plus pugnare, quàm ſententiam eorum qui vacuum eſſe negant.*

Verùm quid nobis eſt negotii hoc loco cum Epicuro? Quæritur de vacuo, an detur in natura: dari probat Lucretius, argumento jam ſupra explicato; Reſ-

Reſpondet Hobbius deſerere Lucretium magiſtrum ſuum Epicurum. Clamandum denuò eſſe cernis — *Aſt ego falces quærebam.*

Sed & illud videamus, an neglectus fuerit Epicurus, & quomodo illud evincat Hobbius. Supponit Epicurus ex Atomis omnia conſtare quæ ſunt in rerum natura(i. e.)ex corpuſculis (non ratione & intellectu hominum, verùm) naturaliter inſecabilibus; ex atomorum iſtarum conjunctione res oriri, ex earundem ſeparatione diſſolvi; quin eſſe in corporibus quibuſcunque miſtis,ſpatiola quædam vacua, ubique ferè interſperſa: hæc eſt quidē generalis Epicuri Hypotheſis. Quomodo nunc eam labefactavit Lucretius? *Non valet*(inquit Hobbius) *argumentum Lucretii, niſi oſtenderit corpora aliqua eſſe infinitè dura: ſed ſi ſupponamus Atomos (ut Epicurus) inſecabiles, habentes tamen ſuas ſuperficieculas, ſi componerentur duo corpora ſecundum plures vel unam tantùm utriuſq; ſuperficieculam, argumentum hoc Lucretii firmiſſima demonſtratio erit, corpora nulla quæ ex atomis concreta ſunt, ulla unquam vi diffringi poſſe; id quod quotidianæ repugnat experientiæ.*

Sententia reſponſionis hæc eſt, ſi corpora infinitè dura ſuperficiebus junguntur (ſive majora ſint corpora, ſive ipſa atomorum corpuſcula) nulla unquam fieri poterit eorum ſeparatio. Cur ita? quæſumus. Nempe ſi fiat ſeparatio,vel erit *motus inſtantaneus*, vel erit *vacuum* concedendum.Atque hoc quidem concedit,imò ſupponit Philoſophia omnis tum Epicuri tum Lucretii, hoc eſt quod in gratiam Epicuri contendit argumento jam nunc propoſito Lucretius; illud autem Epicurus, Lucretius, & ſanæ mentis omnes (imò ipſe H.) rejiciunt. Et quænam eſt ea pugna Lucretii cum Epicuro? Mihi quidem videtur Lucretius etiam

Epicuri *rem* ſtrenuè curâſſe.

—alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amicè.

Somniat interim hic noſter neſcio quas pugnas & prælia,

—bella, horrida bella
Et Tybrim multo ſpumantem ſanguine cernit.

Certè contentioſum eum eſſe oportet, cui ubique, atque in locis tam ſerenis occurrunt rixarum & pugnarum phantaſmata. Quod ad rem ipſam in qua verſamur attinet, illud habent tum Epicurus tum Lucretius, quod nullo modo experientiæ aut rationi repugnat, nempe ſeparari poſſe, corpora ſuperficiebus conjuncta, ſive Atomi fuerint, ſive ex Atomis compoſita: hoc autem (cum motus in inſtanti fieri non poſſit) abſque vacui conceſſione evenire non poſſe. Duobus igitur iſtis, *Experientiæ* & *rationi* innititur eorum ratiocinatio, qui vacuum à naturâ rerum non eſſe excludendum judicant, neque in contrarium attulit rationis vel umbram Hobbius, ut poſſit iſtam evertere ſententiam; quinimò poſtquam principium petiverit, dixit.

Hactenus ingenii Hobbiani ſpecimina dederunt reſponſiones ad argumenta Lucretii: tranſit ad experimenta quæ à vacui aſſertoribus ſolent allegari. Tria ipſe adducit, nos quia primum cum tertio coincidit (utriſque ab aeris compreſſione & dilatatione ductis) ad duo ea reducemus, vel primum potiùs integrum tranſiliemus.

§. 4. 2. *Experimentum* (inquit) *ſecundum eſt, quod ſi Cylindrus concavus (videndi experimenti cauſa) vitreus, ſatis longus, ex altera parte apertus, ex altera clauſus, impleatur argento vivo, deinde parte unde apertus*

tus erat, digito obturata, in vas quodlibet in quo item ſit argentum vivum, unà cum digito immergatur, erectusq́; ſtatuatur, videbimus ſublato digito (ut liber argento vivo fiat deſcenſus) deſcendere ipſum in ſubjectum vas, eousq́; ut pars quæ in Cylindro reſtat, occupet circa 26 *pedis uncias, quicunq́; is ſit Cylindrus, modo dictis unciis* 26 *non ſit minor; ſpatium ergo* (inquit) *aiunt Cylindri reliquum, vacuum eſſe.*

Nobiliſſimum eſt hoc quidem experimentum & admodum luciferum (ut Inclytiſſimi Verulamii verbo utar) quod ab ingenioſiſſimo Torricellio primò ſumptum, deinde ab aliis excultum, phantaſmata innumera (in cauſis rerum enarrandis) abegit, ita ut cum hoc ipſo autore certare poſſe non immeritò videatur. Nempe diuturnum in Scholis imperium obtinuerat axioma de *Fugâ Vacui*. Solebantque illud Sophiſtæ ab uſque Ariſtotelis temporibus, quaſi carmen aliquod legitimum ubique recitare. Ad machinarum ferè omnium (Hydraulicarum aliarumq; ejuſmodi) phænomena explicanda, hanc unam machinam adhibebant, imò iſtius Philoſophiæ naturalis quæ experimentis minimè dubiis nititur, principium ferè unicum eſt illud habitum, *Naturam ſc. à vacuo abhorrere*; hinc aquam in fonte Heronis elevari, eamq; ſectorem in Antliis ſequi; hinc vinum ex cadis plenis ſupernè clauſis inferiùs perforatis minimè effluere, hinc aerem in reſpiratione pulmones ingredi, hinc infinita peragi, quæ vel quotidianæ ſint neceſſitatis, vel uſus, vel obſervationis. At certè diſplicuit iſta philoſophandi ratio, iis qui cauſas rerum *efficientes* quærebant, à *finalibus* contenti abſtinere: & quidem à Clariſſimi Verulamii temporibus deſpicatui planè fuit illa ipſa cauſarum aſſignatio: diſplicuit ipſi nimirum rem ita ſe habere dicere, *ob fugam vacui*, & poſt eum aliis ferè univerſis qui rerum na-

naturam profundiùs ſpeculati ſunt. Et quidem de formula iſta vel phraſi, aliquandiu eſt, ex quo inter Philoſophantes convenit, delendam eam eſſe ex numero cauſarum in natura; verum de re ipſa an natura vacuum admittat, an hoc impoſſibile ſit in natura, nondum litigare deſierunt homines, cum feliciter (meo judicio) emerſit iſtud experimentum, cujus occaſione poſſint homines, velut *inſtantiâ* quadam *crucis*, in veritatis naturæ apprehenſionem dirigi.

Quanquam etenim viri præclariſſimi nonnulli in ea fuerint ſententia *vacuum* neque eſſe, neque eſſe poſſe hac ratione, quia contradictionem iſtud involvat, & quia corpore aliquo annihilato, nihiloque in locum ejus ſuccedenti, corpora illud prius ambientia, ſunt eo ipſo ſimul, & contigua, abſque motu etiam aliquo. Credo tamen iſtiuſmodi judicia excidere nunquam à magnis viris potuiſſe, niſi phænomena quamplurima eorum videntes, quæ ob fugam vacui contingere ſunt exiſtimata, ex præſumpta quaſi vacui veluti impoſſibilis ſuppoſitione, in cauſarum meditationes ſe ſtatim conjeciſſent, ubi nullam rei exiſtentis cauſam à natura invenientes, atque rem mentis ſuæ (præjudicio occupatæ, à ſenſu primiſque intelligentiæ principiis recedentis) arbitrio quaſi relinquentes, in ea inciderunt quæ à ratione liberâ minimèque præoccupatâ (mihi ſaltem) videntur abhorrere.

Ipſe certè nihil unquam incommodi ex vacui admiſſione cernere potui, imò neque motum neque raritatem abſque vacuo concipere unquam potui pauló hebetior. Mirabar tamen quo motus principio ea omnia fierent, quæ ob fugam vacui accidere antiquiores magiſtri ſtatuebant, donec ingenti Philoſophiæ emolumento prodiit experimentum hoc, quod in hac re lumen accendit, fecitque ut poſſint ex ſtaticis principiis

&

& mechanicis omnia clariſſimè explicari.

Noſti (V. Cl.) etiamnum inter eruditiſſimos viros diſputari de vacuo ex experimenti iſtius occaſione, atque in eo diſſenſum eſſe ingentem, an exinde vacuum ſequatur. De qua re ego ſic ſentio. Non ſequi immediatè, abſolutè vacuum eſſe Tubi jam ſupra expoſiti partem relictam, nempe locum illic eſſe ſubtili alicui materiæ, qualis eſt luminis vel effluviorum terreſtrium. Ideoque reſolvi mihi ultimò, hoc argumentum in illud quod initio innueram de Raritate. Verùm cùm manifeſtè hoc argumento excludatur commune illud Aeris ſuccedaneum, quod occaſionem certè miniſtravit ſententiæ de fugâ vacui, cùm poſſint omnia meliùs hâc hypotheſi & intelligibiliùs explicari, cùm conciliatus ſit hoc experimento ſenſus rationi, plurimaque naturæ phænomena clariſſimè poſſint hoc modo intelligi; invalituram eſſe apud omnes impenſiùs liberiuſquè Philoſophiæ operam navantes ſententiam quæ vacuum admittit: nullus ego dubito, quin & ſeculo ſequente portentoſum æquè fore, ſi quis vel *ſanguinis* in animalibus *circulationem*, vel *Terræ motum*, vel *vacuum* negaverit.

Sed vereor ne ingrata ſit tibi iſta digreſſiuncula; ad Hobbium redeo, ejuſque reſponſum ad argumentum ab experimento adductо.

Duæ res ſunt in experimento, quarum rationes ab ipſo expectamus.

1. Quid impleat locum Tubi à Mercurio relictum.

2. Quid faciat ut 26 unciæ in Tubo maneant.

Ad primam reſpondet, *nullam ſe neceſſitatem vacui videre*. Quare autem? *Quia cum deſcendit Argentum vivum, implet vas* ſubjectum, *& ſummovet tantum Aeris ambientis, quanta eſt moles argenti vivi quod deſcenderit.*

Præclarè admodum! nos ita planè conſtituimus; ſed quid tum poſteà?

Si quaratur quo abiit ille aer ſummotus, quid aliud dicendum eſt, quàm aërem illum tantundem abigere è loco proximo, & hunc alium & ſic deinceps (in infinitum credo) *donec redeatur unde propulſio prima incepit? Ibi autem quâ vi aer primus pulſus eſt, eâdem vi aer ultimò pulſus premet argentum vivum in vaſe, & ſi quidem vis quâ argentum vivum deſcendit deorſum ſatis magna ſit, faciet ut aer ipſum argentum vivum, quod in vaſe eſt, penetret, adeoq; aſcendat ad implendum locum illum quem illi Vacuum arbitrabantur.*

Præclarum factum! Verùm annon videt adhuc vacui neceſſitatem? Certè luſcum eum eſſe oportet. Ego verò ex ipſius ſententia vacuum neceſſariò concedendum eſſe cerno.

Nempe poſt argenti vivi deſcenſum in Tubo, priuſquam repleatur ſpatium relictum, impletur vas, movetur aer (in infinitum vel) completur circulus, pulſatur argentum vivum in vaſe, deſcenditur, (*deorſum* ne quis ſurſum aliquid deſcendere exiſtimet) aſcenditur. Cùm autem non poſſint agi in inſtanti Choreæ tam præclaræ, hoc ſaltem concedere neceſſe habet, in ſpatio temporis medio vacuam eſſe partem illam Tubi ab Hydragyro relictam. Certè multa ſunt quæ contra figmentum de aere in locum Tubi ſummum ſubeunte dici poſſunt, neque ex omni eorum numero qui vacuum negantes experimenti hujus cauſam reddere conati ſunt, aliquis unquam tam craſsè atque inconditè de eo locutus eſt. Deſcendente Hydrargyro nullo modo oſtendere poſſit quomodo moveri queat aer, vicinumque premat, niſi ipſi recipiendo locus ſit; hoc autem abſq;

abſque vel vacuò vel penetratione corporum concipi non poteſt. Neque neceſſe eſt, ut quâ vi aer ab Hydrargyro primò pulſus eſt, eâdem ipſe denuò Hydrargyrum premat, diffluente nimirum pulsûs vi in aeris expanſum. Imò à quo demum principio fiet reflexionis initium? Verùm quid opus eſt multis? Cùm ipsâ experientiâ conſtet, Tubi ſummum poſt argenti vivi deſcenſum non eſſe aere repletum. Nempe hoc indicat veſicula piſcis alicujus, quæ ſi expreſſo omni aere Tubo implendo injiciatur, poſt argenti vivi deſcenſum, in loco (nobis) vacuo ſupereminens, ſeſe expandet illico (vim ſuam ſortientibus partium ejus elateribus) quod ipſo in aere non faciet. Imò verò ſi Tubus in experimentum ſumptus non ſit omnino argento vivo repletus, ſed deficiat aliquâ parte, ita ut antequam digito clauſus immergatur vel aeris uncia in Tubo quatuor pedum ſuperſit, deinde omnia fiant ad normam deſcriptionis Hobbianæ, non jam manebit argentum vivum ad 26 unciarum altitudinem, verùm magno ſatis intervallo ab ipsâ deficiet; Si contingat, facto aliquo (poſt Hydrargyri deſcenſum) in ſummo tubi foraminulo, ut aer supernè ingrediatur, effluet ſtatim argentum vivum omne quod in tubo remanſerat. Hæc omnia, aliaque ejuſmodi quia Tibi V. D. notiſſima ſunt (aliiſque plurimis, qui vel experimentum hoc ipſi ceperunt, vel Pecqueti libellum viderunt) breviſſimè regerenda cenſui: ea ſunt tamen quæ commentum hoc Thomæ inconcinnum funditùs evertunt.

Miror ego quidem, cur aeri partes haſce tribuat, ut in Tubi ſupremas partes poſt multos exantlatos labores ſe furtim recipiant, annon præſtitiſſet illas Mercurio delegâſſe?

Callido,

Callido, quicquid placuit, jocoſo
Condere furto?

Verum & aliud eſt cujus rationem pollicetur, nempe cur ad 26 uncias in Tubo maneat Mercurius?

Atque ipſi quidem neque hoc in loco deeſt Reſponſio, nempe Minervam ſibi æquiſſimam habet, ſibi pariter omni tempore propitiam, unde contigiſſe ipſi autumo, ut de omnibus æquali ferè felicitate vel diſputet, vel reſpondeat.

Quoniam (inquit) *vis argenti vivi, non in omni altitudine, ſatis fortis eſt ad cogendam hanc penetrationem neceſſe eſt ut deſcendens ſiſtat alicubi, ubi nimirum æquilibrium fit, inter conatum ipſius deorſum, & reſiſtentiam ejusdem, contra aëris penetrationem; quod æquilibrium eſſe in altitudine 26 unciarum (circiter) ex hoc experimento manifeſtum eſt.*

Ego certè hominem hunc quotidie magis magiſq; admiror multis de cauſis, nunc autem quòd neglectâ omnino experimentorum (quæ & ſatis obvia ſunt & ab aliis ſæpiùs repetita) obſervatione hujuſmodi commentis potuerit indulgere.

Nempe fieri poteſt, ut in pari prorſus deſcenſu, argentum vivum, in tubo altero, altiùs; altero, inferiùs, ſubſiſtat. Nempe ſumatur Tubus trium pedum, atq; iſte ita impleatur, ut uncia una ſit aere repleta (nempe tantùm à plenitudine deficiat) deinde ſumatur Tubus alter, qui unciâ à longitudine prioris deficiat, hic autem penitus impleatur, digitis occludantur, ſimulque (ſecundum artem) immergantur. In poſteriore hoc tubo erit argentum vivum ad 26 uſque digitorum altitudinem, in priore multo minor erit manentis argenti vivi altitudo. Quare phænomeni hujus ratio

ratio non eſt, *Quòd vis argenti vivi non in omni altitudine ſatis fortis eſt &c.* Nempe cæteris eodem modo ad Hobbii mentem habentibus phænomena variis ſe habent modis; quare cauſam hujus rei veram & naturalem non aſſignavit. Quin tranſeamus ad alterum experimentum.

Experimentum (inquit) *tertium eſt, quod in vas ſolo aëre repletum, tantum tamen impelli poteſt aqua, quantum capit ejuſdem vaſis quaſi dodrans.*

Quomodo autem fieri poſſit experimentum, docet (p. p. 242.243.) ope nimirum vaſis illic deſcripti, (Cujus conſtructionem & alii tradiderunt.) Ut Regius in Philoſophia naturali lib. 4. c. 12. Illuc igitur remittendi ſunt lectores, tu enim ejuſmodi vas præparatum habens, rem integram ſatis intelligis, quam nos ſimul ſæpiſſimè experti ſumus.

Argumentum ita inſtituit, cæteris pro deſcripto à ſe modo præparatis, datâque portâ, aqua omnis ejicitur, *cujus cauſa nulla aſſignari poſſe videtur præter aeris ſeipſum à compreſſione liberantis impetum, ex quo ſequitur aut fuiſſe aliquid ſpatii vacui, aut plura corpora in eodem eſſe poſſe loco, quorum poſterius abſurdum eſt, prius ergo verum.*

Ad hæc ea reſpondet, quæ ſolent (uti tu ſatis noſti) à legentibus quos novimus omnibus admirationem conciliare, nempe ex partibus conſtat tribus ejus reſponſio, quæ ſingulæ faciunt, ut nihil tale quicquam à quovis eorum qui Philoſophiæ nomina ſua dederunt, excidiſſe unquam exiſtimemus.

Nempe pro ea qua pollet eruditione, duplicem imputat argumento infirmitatem, deinde de phænomeni cauſis eruditiſſimas quaſdam quæſtiones movet & objectiones adverſus eos qui vacuum eſſe ſtatuunt. Ipſe interim de phænomeni hujus explicatione profun-

fundiſſimè ſilet atq; eruditiſſimè. Dupliciter (inquit) infirmum eſt argumentum. *1. Aſſumitur non concedendum. 2. Adducitur experimentum vacuo repugnans.*

Quid eſt autem illud non concedendum? *Aſſumitur* (inquit) *aerem per Fiſtulam, exire non poſſe, cùm tamen aerem quotidiè videamus, à fundo ad ſuperficiē fluminis, aſcendere. Quis furor O Thoma! quæ tanta licentia linguæ?* quis unquam aerem per fiſtulā exire, aut per flumen aſcendere, negavit? Non hoc ab iis qui vacuū ex hoc experimento concludūt aſſeritur; verùm illud, exire non poſſe per fiſtulam ſive Epiſtomio ſive Siphone adæquatè clauſā, neq; per aquam viam facere, niſi locum ipſi cedat; fieri enim non poſſe, ut ſimul & ſemel per eaſdem planè lineas aqua deſcendente, aſcendat aer, ne duo corpora eundem locum occupent.

Verùm quid opus eſt verbis? dicimus aerē non exiiſſe, dū injiceretur aqua, atq; hoc manifeſtū eſſe, quoniā nō aliter aqua deinceps (locū dante Epiſtomio) ejiceretur. Atq; hic quidē locus eſt, ubi nos manēt ſubtiles iſtæ & profūdæ Philoſophi hujus quæſtiones, atq; objectiōes.

Quærit primò, *poſito vacuo, quo principio motûs ejectio fiat?* dicimus ab aere vaſi incluſo; nempe hoc eſt quod voluit; Ecce etenim paratiſſimum ipſi triumphum. *Aeris* (inquit) *motus ab imo incipit, ad ſummum tendit; motus autem quo aqua ejicitur à ſummo incipit, atq; ad imū tendit, atq; quid hic dici poſſit, niſi quis aerē ut aquam expellat, deſcendere ultrò dicat*, non intelligit.

Nempe legerat ipſe olim in Magiro, quatuor planè eſſe elementa, quorū duo ſint gravia, duo leviora, inter levia aerem eſſe, ſolere autē levia aſcendere, quare ut aer aquam detruſurus deſcendat in phiala, abſurdum eſſe, atq; ita *pugnare vacui aſſertionem, cum ipſo quod ad vacuum aſſerendum adducitur experimento.*

Cernis quam ſtrenuè evictum ſit aerem non poſſe in hoc experimento aquā exprimere, quid, quæſo, dicam,

aut non dicam? quibus nominibus ejuſmodi diſcurſus inſigniam? mihi certè nauſeam iſta movent, ſtuporem animo injiciũt, calamumq; obtundunt. Dicimus aerem (corpus tenue) interſperſa ſpatiola vacua, corporis interim ex quo cõſtat partes, elaterem ubiq; manifeſtũ, habere; ita, ut (lanæ, ſpongiarum, plumarũ, aliarumq; rerum viſu perceptibiliũ inſtar) reſtituere ſe compreſſæ poſſint, & ſoleant: hinc nunc in minorem locum, trudi poſſe eandem aeris quantitatem, nunc majorem occupare videri; habere autem terminos quoſdã, quos ultra citraq; ſive dilatari ſive compingi nequeant. Preſſum autem atq; ultra communem raritatis gradum, conſtrictum, plus minuſve conari eum elatere ſuo, ut in communem & quaſi nativum raritatis ſtatum reſtituatur. Conari autem in orbem (non ſolùm ſurſum) eaq; corpora repellere, quæ reſiſtunt huic ejuſdem expanſioni, & ſi qua detur porta, ejicere: hinc nempe globulos plumbeos in ſclopeto vẽtaneo vi ingenti explodi, hinc aquam in experimento propoſito ſuperiora domûs (jucundâ admodum ſpectatu violentiâ) petere.

Hæc certè eſt hujus phænomeni explicatio ex vacui ſuppoſitione facilis, aperta, naturæ atque experimentis innumeris conſentiens: videamus nunc quâ ratione ex principiis ſuis illud ipſe exponat, magni enim illius intererit accuratè hanc rem curâſſe, cui (ut antehac notavi) *huic uni principio omnis Philoſophia incumbit.*

Videamus, inquam? at videre non licet; neque enim aliquid adjecit quod lumen in loco tam obſcuro accendat; certè aliquid in cauſa eſſe oportet, ut taceat oraculum hoc noſtrum philoſophicum, cui nunquã verba dare fuit moleſtum. An exiſtimas illum qui in experimento de Hydrargyro jam ſupra propoſito, facere potuit ut aer aſcenderet, deſcendenſque denuò argentum vivum in vaſe atque in inferioribus Tubi exiſtens (ingenti quidem zelo, ne daretur vacuum)

penetraret, ut in Tubi ſummitatem perveniret; an inquam) exiſtimas eum nihil hoc loco invenire potuiſſe, quod poſt aëris egreſſum, in phialam ſe clanculùm reciperet, aquam effunderet? abſit ut iſta cogitemus. Quin potiùs ſæculum hoc noſtrum indignum tanto beneficio judicans rem iſtam reticuit, vel forſan ad finem phyſicæ jam nuper inceptæ properans, adeoq; politicus jam ſtatim evaſurus, prudentiam exercere voluit dicti illius memor.

—nulli tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum.

Verùm & multa alia afferri ſolere phænomena, ad vacuum probandum aſſerit, ut *Thermometra, Æolipilas, Sclopetum ventaneum; quæ quidem, ſi aeri pervia aqua non eſt, ſine loci inanis admiſſione difficillimè ſalvari poſſent.*

Miraris quid aquæ penetratio, ad Sclopetum ventaneum, cui cum aqua nihil eſt commercii? dicam igitur, nempe hoc loco autori noſtro aqua hæſit, unde expedire ſe cum nullo modo potuerit, indulgendam ipſi ſentio hanc importunitatem.

Hactenus in quæſtione de vacuo verſati ſumus paulò liberiùs, quā in re ſi tibi aliiſve ſatisfecerit, benè eſt; mihi nuſquam in aliquo mortalium tale aliquid qualis eſt omnis ejus ratiocinatio, occurriſſe viſum eſt. Hoc certè obtinuiſſe me autumo, aut vacuum evictum eſſe argumentis à nobis ſuprà vindicatis, aut non eſſe vacuum nullo modo demonſtratum eſſe, quorum illud omnia ea quæ ſequuntur ſemel tollit funditus, hoc autem quatit admodùm, facitque ut de legitima phænomenωn demonſtratione locutus etſi non fuerit forſan *ſceleratus*, in cæteris cum *vindice* conveniat. Verùm hæc hactenus: dejectis hoc modo fundamentis Philoſophiæ illius generalibus, in cæteris

ris brevior & facilior erit diſquiſitio.

Tranſit ad Phyſicam ſyderεam, hujus phænomena ad motum referenda, *motus* ſupponit *corpora mobilia*, eorum itaque genera præmittit.

Corpora mobilia ſunt (inquit) vel *fluida* vel *conſiſtentia*, vel ex his *miſta*. Hæc itaque definit, *fluida* ſunt *quorum partes facile ſeparari poſſunt, conſiſtentia ad quorum diremptionem vis adhibenda major.*

At hoc non eſt, *fluiditatem* aut *conſiſtentiam* definire, verùm ſymptoma quoddam ejuſmodi corporum indicare. Ego quidem vehementer ab ipſo (plenum aſſerente, omniaque adeo corpora ſuperficiebus immediatè juncta ſupponente) Fluiditatis cauſam rationemque expeterem. En igitur eam! *Fluidum eſt ſemper diviſibile in aquè fluida: ego enim* (inquit) *fluorem intelligo à natura factum in omni ſimul Fluidi parte, ita ut videtur diffluere aqua in partes perpetuò fluidas.*

Nempe fluor eſt à natura factus fluor, & fluidum in partes fluidas dividitur, ut aqua,

—ſub illis
Montibus (inquit) erant, & erant ſub montibus illis.

Quid eſt (quæſo) niſi hoc fuerit ταὐτολογεῖν, quis hoc modo fluoris naturam intelligere poſſit? imò ſi fluida ea ſunt quorum partes leviſſimo conatu ſeparantur, Fluida non minùs erunt corpora ſicciſſima quam ipſa eſt aqua. Certè ſi pulverem Alabaſtri ſubtiliſſimum igni ſuperpoſitum, phænomena omnia lactis ebullientis vidiſſet exhibentem, non tam fuiſſet alienus ab ea ſententia, quæ fluorem partium (in motu exiſtentium) ſubtilitati attribuit.

Sed hoc (inquit) *intellecto, venio ad Hypotheſes.*

Nempe

Nempe eas quibus Phyſica Syderea erit demonſtranda.

Atque hîc quidem nonnulla habet(quæ ab aliis etiam innumeris peti poſſunt)in quibus ipſi penitus conſentio; nempe hypotheſin Copernicano-Ellipticam. Ideoque expectandum non eſt, ut adverſus ſententiam mihi in animo profundiùs inſitam, ullo modo inſurgam; imò ſiquid hoc in loco clariſſimorum virorum Copernici, Kepleri, Galilæi, Bullialdi, laboribus adjecerit, ego eum ſummoperè laudandum prædicarem.

Nôſti tu ſatis, imò & alii ferè omnes quibus iſta ſcribuntur, quænam ſit iſta Hypotheſis Copernicana, quid ipſa præſtet, quomodo Sole in mundi centro, ſeu potius Planetarum omnium (Syſtematis noſtri) primariorum, nodo communi, conſtituto, Terrâque in Planetarum ordinem (loco ipſi inter Martem & Venerem aſſignato) vindicatâ, eique triplici motu, *Diurno*, *Annuo*, & *Directionis*, attributo, exhiberi ſolebant phænomena cæleſtia; Noſti Epicyclos omnes, quos ante eum admiſerant Copernicani, à Keplero ex Planetarum Theoriis amotos, inductis Ellipſibus Planetarum orbitis naturalibus: Noſti ex Bullialdi principiis demonſtratum à nobis eſſe (in inquiſitione in Iſ. B. A. P. F.) eam eſſe motûs Elliptici Planetarum legem, ut dum Phyſicum motus inæqualis principium à Sole mutuentur, in altero Ellipſis umbilico exiſtente; ſuper alterum interim æqualiter ferantur (id eſt, æqualibus temporibus æquales angulos abſolvant) hanc eſſe primariorum Planetarum hypotheſin generalem, cujus veluti naturalis, perficiendæ methodum accuratam & Geometricam, in *Aſtronomia noſtra Geometrica*, tradidimus. Noſti quinetiam meditari me tabulas Aſtronomicas principiiſque illic traditis ex-

tructum

ſtructum opus (ſupremo numine juvante) integrum Aſtronomiæ abſolutæ. Licebit, ſi tanti fuerit, illic, Hobbiana, quæ hoc loco habet, accuratiſſimè excutere. Interea quantum abſque diagrammatis (à quibus abſtinendum eſſe judicavi) fieri poſſit in generalem ipſius ab aliis diſſentienti hypotheſin, generaliter inquiram.

Commune cum reliquis habet Solem circa axem ſuum volvi, eumque eſſe cauſam motûs Planetarum in orbitis ſuis, quin Terram habere motum ſuper Axem ſuum, motum Centri in orbitâ Eclipticâ, motumque axis directivum; unde non ſolum omnia phænomena Solaria Diurna & Annua, verùm & Æſtûs Marini pars magna explicantur.

Verum à reliquis in eo diſſentit, quod Solem non modo ſuper axem ſuum moveri (in nodo Planetarum immotum quoad centrum manentem) verùm & in Epicyclo quodam (uti vocat) motu circulari ſimplici, volvi ſtatuit.

Nempe movere non poſſe illam Planetas in orbitis ſuis, niſi motu hoc moveatur Sol; hoc autem ſi concedatur, eodem modo tum Solem (& proinde Lunam) tum etiam reliquôs Planetas moveri.

Hoc igitur imprimis quærendum eſt, an illud admittendum ſit, moveri Solem in Epicyclo, circa Planetarum nodum immobilem, imaginarium; an vero *δινήσει* ſola circa axem ſuum Sol moveatur: de hac re diſſerit capitis hujus §. 7. ibique primùm argumenta ſua proponit, alienis reſpondet, concluſionem infert, alienis denuò reſpondet, mantiſſam adjicit, remque omnem abſolvit præclarè & methodicè.

1. Argumentum ſic habet. *Planetarum omnium periodi circa Solem intra Zodiacum deſcribuntur. Ergo Sol movetur in Epicyclo.* Ego verò neq; Solē omnino moveri

veri exinde conſequi perſpicio, poſſunt etenim Sole ſtante periodos ſibi datas abſolvere, vel Solem potiùs moveri ſuper axem concedo(quæ eſt ſententia rationi atque obſervationi macularum Solarium congruens) fieri hoc motu ut placidè in Ellipſibus Planetæ periodos abſolvant, non tamen in Epicyclo moveri.

2. *At nullum aliud corpus hujus phænomeni cauſa eſt.* Ergo *Sol movetur in Epicyclo.* Vellem ut hinc etiam cætera omnia,quibus opus habet,velit concludere.

Non eſt neceſſe,ut corpus aliquod à corpore moto diverſum, ſit cauſa motus iſtius, qui corpori ſupponitur (§. 5. 3.) coævus, quinimò abſolvere eum perpetuò poteſt, & debet, donec irruente extraneo ab orbita dejiciatur.

Verùm ut omnia Hobbio largiamur; ſi ſit corpus aliquod cauſa hujus phænomeni, nullumque aliud præter Solem, erit igitur Sol hujus phænomeni cauſa; verùm ut per motum in Epicyclo hoc faciat nullo modo poterit evinci.

3. *At*(inquit)*in animum inducere non potui, ut motus Planetarum nullam haberent alius ab alio derivationem.* Ergo *Sol movetur in Epicyclo.*

Ego certè ſtatuo Planetas à Sole moveri; Sole in nodo communi circa Axem voluto, centro immoto, (non autem alium Planetam ab alio, motum derivare) motumque hunc Solis eſſe cauſam motricem Planetarum.

Verùm hoc eſt quod ſecundo loco tollere vult, nobiſque quod manet defendendum, fieri poſſe, ut motus Planetarum ab iſtâ Solis converſione dependeat. En igitur eum hanc ſententiam evertentem.

Non idoneus ad hanc rem (inquit) *eſt hic motus, cùm enim quod ſic movetur nullum ad partes extra circulum poſitas*

poſitas conatum habeat, nullo modo ad corpora extra circulum poſita conatum propagabunt.

Verùm enimverò falſum eſt non poſſe corpus circa axem celerrimè motum, & quoad centrum in loco ſuo manens, motum corporibus extraneis communicare; cernimus Turbines puerorum celeriter rotatos ea quæ ambitum tetigerint in Tangentibus(verſus motus ſui plagam)perpetuò movere; nempe hoc eſt quod ipſe (cap. 21. §. 7.) ſupponit, hoc eſt quod omnis ratio ſuadet, omniſque experientia mille exemplis confirmat. Quare ſi Sol (præcipuè ſuperficie inæquali exiſtens) Axi circumrotetur per infinitas lineas tangentes (hoc eſt undecunque) corpora quæ in ipſum impegerint movebit, id eſt, in orbem movebit univerſum Planetarum ſyſtema. Neque opus eſt figmento hoc motûs in Epicyclo ad illud phænomenon explicandum;quod etiam faciliùs erit ad intelligendum, ſi Sol ejuſmodi corpus ſtatuatur, quale illud ſupponit Nobiliſſimus Carteſius, qui & hypotheſin hanc noſtram, quatenus ab Hobbio diſſentit, clariſſimè demonſtravit.

At progreditur, ut eos evertat, qui per vim magneticam iſta fieri contendunt, *eoſq; cauſam Phyſicam non ſupponere* ait; quid ita? *quia vis magnetica, quando erit cognita, invenietur eſſe motus corporis.* Eſt igitur Vis magnetica cauſa Phyſica, ſibique ipſe contradicit.

Rebus hoc modo ſtrenuè (uti opinatur) geſtis, concludit.

Reſtat ergo, ut Planetæ primarii, ſi à Sole circumferantur, & Luna ſi à Terra; circumlationis cauſas habeant, Solis & Terræ motus circulares ſimplices.

Imò quidem hoc reſtat, ſed probandum; neque enim hactenus vim ullam vel momentum alicùjus argumenti percepimus.

Quod ſi concluſionem illam legitimè elicuerit, quid eſt quod denuo ad quæſtionem redit? novamq; ſententiam priùs neglectam proponit? Hanc nempe, eorum qui aſſerunt Planetam unumquemque ſuum habere motum corpori coævum. Sententiam intelligit eorum, qui motum hunc à mundi Creatore Planetis inditum ſupponunt, eum autem Planetas retinere (per legem immutabilitatis naturæ) donec è viâ ſuâ dejiciantur.

Quid habet ad iſtam ſententiam evertendam?

Nempe (inquit) cauſam motuum horum *Phyſicam nullam tunc futuram.*

Verùm annon ipſe ſupponit (Sectione 5. 3.) non modo Soli, ſed etiam Terræ & Planetis ineſſe hunc motum ipſorum naturis coævum? Imò rem ipſam ad ultima proſequamur, & videamus quomodo vel hoc in loco ſe expediat. *Movetur* (inquit) *Luna motu circulari ſimplici propter motum circularem ſimplicem Terræ.* Benè habet; cauſam phænomeni aſſignavit intelligibilem. Cur Terra movetur motu circulari ſimplici? Quia nimirum Sol circa alterum Ellipſeos Terreſtris umbilicum movetur motu circulari ſimplici. Quare denuò cauſam Phyſicam aſſignavit? Euge Thoma! laudabiles conatus! Reſponde ſemel, unde fiat, ut Phæbus ipſe motu hoc circulari moveatur, & eris mihi magnus Apollo.

Dices *æternum eſſe* hunc motum; *ergo cauſam nullam habet*; *vel corpori concreatum*, *ergo cauſam habet ſupernaturalem*. Quocunque certè ſe verterit, nihil afferet, quod non poterit Planetis omnibus convenire.

Quin

Quin igitur (ut Analyticè rem iſtam proſequamur) ſupponamus Solem pro Sententiâ Hobbianâ, non ſolùm ſuper axem volvi, verùm etiam in Epicyclo, motu circulari ſimplici moveri; vel igitur in plano ſemper eodem movebitur, vel plana mutabit; ſi mutaverit, confundentur illico Planetarum omnium motus, ipſiusq; Syſtematis noſtri fundamenta erunt laxata; ſi planum idem ſervaverit, eritne illud planum Eclipticæ? vel alterius alicujus Planetæ? vel demùm nullius?

Supponit ipſe nimirum, Solem eodem modo Planetas omnes reſpicere, quin & illud ſupponit nobilior omnis Aſtronomia: hoc igitur libenter ab ipſo peterem, ut planum ejuſmodi Solis motui aſſignaret, unde motum poſſit & vigorem omnibus ex æquo Planetis impertire, quod cum ipſi impoſſibile eſſe judicem, ad alia properamus.

Certè innumera ſunt ea incommoda quæ vel in natura, vel in Aſtronomia commentum hoc otioſum atque illepidum conſequuntur. Nempe tollitur hoc modo ſemel, omnis Aſtronomia, obſervationum omnium uſus, Calculorum fundamenta, ſublatâ nimirum hypotheſi Geometricâ atque intelligibili, ductâque in Aſtronomiam linearum Spiralium contemplatione, eaque hypotheſi quam prudentes Aſtronomi omnes hactenus rejecerunt veluti falſam, inutilem, humano intellectui minimè expoſitam.

Dato ſcilicet motu hoc ſimplici circulari, ſimulque circa Axem revolutione, non jam ſive circulos, ſive Ellipſes, ſive ſimplicē aliquam figuram, in ſeſe redeuntē, deſcribent centra Planetarū; verùm ſpiram quandam

contortam, eamque plenam, ſi in orbitæ plano (promoto ſemper Planetæ centro) motus ille ſimplex peragatur; vel ſolidam atque annularem, ſi planum in quo motus ſimplex ſupponitur, orbitæ Planetariæ planum quocunque modo ſecuerit.

Hypotheſi Copernicano-Ellipticæ breviſſimè ſuprà explicatæ ſuffragantur omnia Planetarum phænomena(uti ſi Deo viſum fuerit, aliquando evincam) at fieri illud nullo modo poterit, conſtitutâ hâc motuum in Epicyclo hypotheſi; nempe differentia ut ſit inſignis neceſſe eſt obſervationum ex centro quaſi immoto factarum, corporum eodem modo ſe habentium; atque obſervationum ex variis circuli alicujus partibus, corporum etiam in circulis (modo ignoto) motorum. Priori hypotheſi cum omnia phænomena reſpondeant,non poſſunt eadem hanc poſteriorem admittere.

Sentio V. D. pronum me eſſe nimiùm, ut hoc loco (lectoribus moleſto futuro) excurrat oratio; contraham eam igitur. Certè ultra vires Hobbianas illud eſſe exiſtimo, ut generale hoc commentum ita explicet, ut omnia in motibus Planetarum non perturbentur, atque ut Planetæ non detrudantur ab orbitis, Nempe vim habebunt Planetæ ſinguli, in ſingulos, fierique nullo modo poterit, ut variis eorum Syzygiis exiſtentibus, alii ab aliis non propellantur, nempe liquido plenoque exiſtente omni Planetarum ſyſtemate. Certè plurima habeo argumenta, quæ ſententiam evertant Hobbianam; verùm á ſchematis omnino in hoc opere abſtinere decrevi, ſine quibus iſta non poſſunt intelligi, imò non opus eſt multis, ubi unum hoc omnibus obvium ſufficiet.

Nempe ſi motus Solis (in Epicyclo) circularis ſimplex ſit cauſa motûs omnium Planetarum, erunt Planetarum

netarum periodi in eadem ratione cum diſtantiis eorumdem à Sole.

Nimirum hoc eſt quod demonſtrâſſe ſe dicit (cap. 21. §. 4. *Partes ambientis liquidi, à ſuperficie moventis remotiores, circulos ſuos abſolvere in temporibus, quæ ſunt in ea ratione, quam habent inter ſe ipſarum à movente diſtantiæ.*)

Verùm hoc falſum, imò falſiſſimum eſſe in Planetis clamat omnis Aſtronomia, uti pueris notum.

Falſum eſt igitur & impoſſibile commentum Hobbianum de Sole in Epicyclo movente.

Atque hoc quidem motûs Solis in Epicyclo commentum, illud eſt in quo ſeipſum magnopere jactare eum audio; cætera autem quæ in hoc capite ſequuntur, ejuſmodi ſunt, ut omnibus ſe ſtatim prodant, eumq; ſummæ arguant ſupinitatis.

Promittit in capitis titulo §. 9. cauſas motûs non ſolùm Annui & Diurni, verùm & Apparẽtis directionis, Stationis, & Retrogradationis Planetarum. Verum de iis omnibus in articulo illic indicato, ὐδὲ γρῦ.

——amphora cæpit
Inſtitui, currente rotâ cur urceus exit?

In quæſtione de orbitæ terreſtris, ideoque & Planetarum reliquorum, figurâ, ſibi ipſi variis modis contradicit. Nempe ex Hypotheſi ſuâ motûs circularis ſimplicis cum vertigine ſuper axem, centríque εἰς ἑπόμενα promotione, ſequetur *ſimplicem aliquam lineam* ab iis non deſcribi, ſed *ſpiralem*. Cùm tamen §. 9. ſtatuat lineam *Ellipticam* eam eſſe, vel ferè Ellipticam. Imò §. 11. conſentit Keplero, viam hanc Ellipticam, ſtatuenti; quin etiam *biſecandam eſſe Excentricitatem* concedit ad mentem Kepleri, id eſt (ut alibi oſtendimus)

mus) motum inæqualem ſuper Solem, æqualem ſuper alterum Ellipſeos umbilicum peragi. Quâ quidem in hypotheſi ex determinatâ poſitione axis tranſverſi in Ellipſi, deducenda eſt Excentricitas methodo à nobis in *Aſtronomiâ Geometricâ* deſcriptâ.

Ipſe tamen §. 8. de Excentricitate quærenda ſermonem inſtituens, viam Planetæ *circularem ſupponit*; quin *Excentricitatem minimè biſecandam*, ſed motum Planetæ vel Terræ medium, ſuper circuli centrum abſolvi, multiplici ſanè, atque in diſcurſu præ ſe ferente mathematicam ἀκρίβειαν, minimè ferendâ contradictione.

Quinimò Excentricitatis Terreſtris cauſam reddens principiis minimè demonſtratis utitur (plenum ſupponens, parteſque adeò Univerſi ſuperficiebus junctas; quo caſu ea quæ concreta ſunt nulla unquam vi diffringi poſſe aſſeruit, in reſponſione ad quartum Lucretii argumentum.

Quæ de æſtuum marinorum cauſis vera habet non ex affictо motu circulari ſimplici, verum ex Syſtemate Copernicano-Elliptico conſequuntur, & ab aliis, vel Galilæo, vel Carteſio, vel Varenio demonſtrantur.

Quod interim de cauſis præceſſionis Æquinoctiorum habet, fatetur ipſe (in Capitis concluſione) ſupponere æqualem eſſe motum punctorum ἀφηλιοτάτων, atque præceſſionis Æquinoctiorum, cui aſſertioni refragatur omnis Aſtronomia. Quare non eſt, ut iſta minutiùs proſequamur; cum hujuſmodi res digito breviſſimè indicâſſe pro noſtro ſaltem inſtituto ſufficiat.

Cap. 2.

De Luce, Calore, & Coloribus.

NOn ſum ipſe neſcius V. D. quàm ſit hominum, qui maximam in omnibus ſectantur ἀκρίβειαν, cenſuris expoſitum, abſolutum hoc capitis ſuperioris & ſequentium examen; diſplicebit iis nimirum negligentior iſta miniméque æqualis rerum tractatio, illîc nimium, hîc parcum; illîc ad nauſeam ferè apertum & planum, hîc paulò contractiorem me forſan, adeoque aliquantulum obſcurum judicabunt; iis omnibus illud unum me reponere juvat, nempe odio me habere eos, qui fuerint in erroribus alienis detegendis nimiùm diligentes: non iis me legibus obſtrinxiſſe unquam aut obſtricturum, ut libertate meâ non utar, ut meo ipſius ſive judicio, ſive inclinationi animi non obtemperem; neque tamen cauſas mihi aliquas defuiſſe earum rerum, quæ maximè illis diſplicuerint.

Placuit in eâ quæ de origine mundi ejuſque magnitudine habet paulò altiùs inquirere, quia rem magni (& in ſuâ naturâ & reſpectu noſtri) momenti eſſe judicabam, ut incommoda illa quæ mundi æternitatem conſequuntur Juvenes intelligant.

In inquiſitione de vacuo aliquantulùm morari placuit, non ſolùm ob animi ſententiam (quam unuſquiſque ſibi defendendam autumat) verùm eâ ratione, quod fundamentum hoc ſit præcipuum totius Philoſophiæ ſuæ, quo ruente, ea omnis collabitur. Quæ cauſa etiam erat, ut incommoda ex motu Solis &tamen Planetarum circulari ſimplici ſequentia indicarem, cætera autem in quibus à veritate

tate diſcedit, vel ſibi ipſi contradicit, vix attigerim. Nempe everſo poſitionis alicujus integro fundamento, ſufficiet deinceps illud toties regere, quoties opus eſſe fecerit, cauſæ (alicujus phænomeni) iſtius aſſignatio: non igitur illud expectandum eſt ab eo, qui bonas horas nolit malè collocare, ut omnia eâdem ubertate dicendi proſequatur, Rhetoribus illud curæ forſan eſſe debet, Philoſophis non item; prolixiores alibi eo fine fuimus, ut cætera breviùs abſolvere poſſimus, neque vacat in omnia Autoris hujus σφάλματα vel minimum animadvertere, ne turgeat in volumen immenſum epiſtola, nobiſque illud ſtatim objicias:
— *Quis leget hæc? nemo.*

Evertimus (meo judicio) jam ſupra ſententiam de fugâ vacui, & commentum de motu Solis & Planetarum circulari ſimplici. Imò figmentum de motu circulari ſimplici, *plena omnia* ſupponit, uti ipſe agnoſcit, atque ex everſa ſententia ſua de Vacuo ruit penitùs. Quare ubicunque vel fuga iſta vacui, vel motus circularis in phænomeni alicujus cauſam pro hypotheſi trahuntur ad rei iſtius naturam explicandam, hypotheſin planè falſam ab Hobbio adductam eſſe judicandum eſt.

Ecce autem in hoc capite quod de Luce, Calore, & Coloribus inſcribitur, omnia ferè *ad motum Solis circularem ſimplicem* relata; quod primùm indicâſſe, deinde in quædam incommodè dicta inquiſiviſſe ſufficiet ad hujus capitis animadverſiones explendas.

Poſtquam igitur de Dei potentia quædam non malè, ſed tamen Rhetoricè, ſibíque alibi contradicendo, locutus eſt, ad cauſarum dictiones ſe componens ad hanc machinam ſtatim ſe recipit. Si quis etenim quæ cauſa ſit *lucis Solaris*, inquirat, reſpondet §. 2. *Motum Solis circularem ſimplicem*. Si quis, unde fiat ut

inca-

incaleſcamus? reſpondet §. 3. *ob motum Solis circularem ſimplicem.*

Numquid ſcire deſideras quid ſit ignis, cujus ope omnia ferè, ſive in naturâ ſive in arte, perficiuntur? non illum ambages ſectantem invenies, non metaphoris ſententiam involventem, non dicit, *ignis eſt Magiſter Artium*. Sed, *ignis eſt motus materiæ ſiimplex*. §. 4.

Nihil eſt in naturâ universâ, ſive ad uſum frequentius, ſive ad ſcientiam plenam atque perfectam difficilius, quàm eſt *Fermentatio*; hâc Lapides, Metalla, Plantæ, Animalia generantur, hâc nutriuntur; hæc morbos contrahit, hæc ſanat; hâc vivimus, morimur; hæc varios atque inſignes in operibus artis & apparatus habet, & uſus, ſine quibus neque victus neque medicina poſſit conſtare. Ut autem nihil ubique ſe magis ingerit quàm iſta Fermentatio,quoad τὸ ὅτι, ita nihil eſt in universâ naturâ, cujus ratio ultima & ſpecifica (ut loquuntur)magis eſt abſcondita & deſiderata: annon igitur placeret tibi arcanum hoc intelligere? quin igitur ad Thomam accede, & myſterium hoc accipe (§. 3. cap. 21. §. 5.) *Fermentatio eſt motus circularis ſimplex.*

Neque ad iſta majora ſolummodo inſervit hæc machina, verùm & ad officia minora, pro re nata præſtanda; ſive quis enim quærat cur noctu micant *Cicindelæ*? ſive cur *fœnum madidum*, ignem intùs concipiat; ſive quâ ratione fiat, ut nubibus in altum evectis cernamus aliquando atque audiamus (attoniti) tonitrua mugire, fulgura præmicare. Ad omnia hæc reſponſum hoc unum adhibet. *Fieri ea omnia motu hoc circulari ſimplici.*

Felices gentes illas prædicavit olim Poeta, quibus Numina in hortis creſcunt. Ego illum feliciorem exiſtimarem,cui in promptu eſt adeò ad omnia reſponſum,

ſum. Qui nactus eſt machinam ad omnia (æquè) ſufficientem, lapidem Philoſophorum, Catholicon Medicorum, vel potiùs Mechanicorum, Motum perpetuum, Motum circularem ſimplicem.

. Erunt tamen (ſatis ego ſcio) qui phænomenon ejuſmodi explicationem motui *vertiginis* adſcribent; meâ certè illud non intereſt; alia me vocant, nempe præclara ejus dicta nonnulla & Philoſophemata, de quibus erit breviſſimè agendum.

Quod felix fauſtumque ſit; gratulor imprimis tibi (V. D.) piiſque omnibus, hymnum potentiæ divinæ initio hujus Capitis 27 cantatum, *ubi Conditorem Univerſi omnipotentem* (Sect. 1.) *in quantum nos rem quamlibet diviſibilem intelligimus, in tantum partes ejus actu avellere poſſe affirmat.* Quin igitur poteſt Deus ea quæ non facit, neque forſan facturus eſt, neque idem erit Philoſopho huic noſtro *poſſibile* & *neceſſarium.* At illud capite de Actu & Potentia, itemque de Cauſa & Cauſato in parte hujus operis prima, affirmavit; quin igitur redeuntem in veritatis viam amplexemur.

Quod *de majeſtate divina in parvis & magnis æquè elucente habet, nobis mirum in modum placet;* utinam autem mentem explicâſſet, ubi *in actionibus primas aggreſſiones, in temporibus prima momenta, non minùs credibilia aſſerit, quàm ea quæ nunc creduntur de diſtantiis fixârum.* Certè difficilis eſt mihi periodi iſtius ſenſus: num credibile eſſe vult, ut actiones incipiant? &c. hoc certè jejunius eſt, quàm ut tantum deceat Philoſophum. Num ab abſolutè minimis initia iſta fieri; adeoque ex minimis continua conſtare? evertit hoc certè Philoſophiæ ſuæ fundamenta & Geometriæ, quæ continuum in infinitum eſſe

diviſi-

diviſibile ſupponunt; hoc ſolum igitur cupio, ut in proximâ libelli hujus editione ſeipſum velit explicare.

Benè habet, quod *quantulacunq; demùm corpora eſſe poſſint, ipſe tamen minora iſta non ſupponet, quàm eorum poſtulent Phænomena.* O quàm feliciter rem peregiſſet, ſi illîc ſubſtitiſſet, illudque ad omnium Phænomenωn quæſtiones oppoſuiſſet unicum; *Nempe Quantitatem, Figuram, Motum, Poſitionem, ubiq; ſuppone ejuſmodi qualia phænomenon requiret, & habebis quæſita rei, cauſam ſatis manifeſtam.*

Nempe recipe Catholici hujus (noſtri) q. ſ. & omnis ignorantia ſanabitur.

At ne me forſan ipſi illudere exiſtimes, en eum de Luce *Solis* (§. 2.) ita differentem.

Quoniam (inquit) *corpus Solare motu circulari ſimplici æthera movet, æther corpora remotiora, neceſſe eſt ut oculi tandem prematur pars anterior, ut motus feratur ad cor, ut à cordis reagentis motu oriatur conatus deſinens in conatu tunicæ Retinæ, qui conatus eſt phantaſma lucidi.*

Non illud nunc regeram, ſublatam eſſe à nobis ſententiam de plenitudine Univerſi, & de motu Solis ſimplici; ego potiùs probabo, ex Hobbii principiis, non magis à Sole quàm à corpore quocunque opaco, lumen derivari debere, quin poſſe nos ad tempus quodlibet, (rem aliquam brachiis circumagendo, *veluti qui molunt,* vel *cribrant* (Capite 21. Coroll. ad 2.) lumen concitare. *Valete lampades & laternæ.*

Nempe quoniam corpus quodlibet, in liquido aere, *motu circulari ſimplici Aera movet, Aer autem corpora remotiora, neceſſe eſt ut oculi tandem prematur pars* anterior, atque ita deinceps, donec

tan-

tandem perveniatur ad *conatum* in *Retina*, qui quidem *conatus* eſt *phantaſma lucidi*, ex mente Hobbiana.

Quanti intereſt ſcire Philoſophiam! aiunt Thaletem, ut pretium Philoſophiæ conciliaret, olivarum fructus univerſos vili pretio emiſſe, magno olim vendidiſſe; ſi noſter hic Philoſophus vixiſſet, certè oleum omne perdidiſſet. Quippe ipſe Philoſophiæ ubique paratum lumen accendit, non oleo, non ſebo veſcens aut vivens, verum aurâ æthereâ. Imò verò erutis ipſis oculis, manente ſolâ tunicâ Retinâ in fundo, habebimus proculdubiò conatum in Retina deſinentem, qui eſt (aſſerente Thomâ) *phantaſma lucidi*.

Sed tempus eſt ut à lumine ad calorem me conferam. Hic autem §. 3. bellam, uti mihi videtur, & lepidam priùs inſtituit quæſtionem, deinde de cauſis caloris bellatulè conſtituit. Quærit nimirum *an omnia quæ calefaciunt caleant ipſa?* (id eſt an calorem ſentiant.) Miraris tu forſan quæſtionem ipſam, ridiculam eam judicans; quis etenim omnia ſentire unquam opinatus eſt? Quis omnes res, phantaſmata concipere? imò (inquit cap. 29. §. 5.) *Scio fuiſſe Philoſophos quoſdam, eoſq; doctos viros, qui corpora omnia ſenſu prædita eſſe ſuſtinuerant.* Quinam fuerint docti illi viri etiamſi mihi non occurrat, ſupponam impræſentiarum omnino futilem non eſſe quæſtionem; videamus autem quânam felicitate eam ſolvat.

Dicit igitur non eſſe neceſſarium, ut res illæ caleant quæcunque calefaciunt: attende (obſecro) ejus ratiocinationi.

Quòd quidem (inquit) *animalia dum calefaciunt, calent, ex ſimilitudine noſtri ratiocinando inferimus, ſed non neceſſariò.* Quid ita? obſecro.

Nam (inquit) etſi rectè dicatur, *Animal calefacit, ergo*

ergo calet, non tamen rectè dicitur, ignis calefacit, ergo calet. Rectè (inquit) *dicitur, Animal calefacit, ergo calet;* infertur igitur illud neceſſariò, quoniam (ex ſententia ipſius) in propoſitionibus hypotheticis idem eſt eſſe verum & eſſe neceſſarium, quinimò ſui ipſius ſensûſque omnis oblitus, quod ſuſceperat probandum negligit, illudque concludit de quo nunquam in præmiſſis eſt locutus. Sed hæc obiter.

Dicendum eſt quâ ratione calor in nobis generatur, ope nimirum hoc fit fermentationis, ſeu motus Solis circularis ſimplicis. Ut igitur hujus rei

Hiſtoriam, primâ repetens ab origine, pandam.

Principio, Sol ipſe movetur motu circulari ſimplici.

Motus iſte Solis aerem movet, corpus animalis circumambientem.

Quare neceſſe eſt, ut partes animalis medio contiguæ, in recedentis aeris, ſeu diremptarum partium intervalla, conentur ingredi.

Pulchrè! quid ita? *quoniam alias daretur vacuum. Partes maximè fluidæ primum egrediuntur, deinde aliæ, cæteræ ita moventur, ut loca omnia impleantur (ne ſcilicet detur vacuum.)*

Aer itaq; à tota mole comprimitur, ideoq; tota corporis moles intumeſcit. Habes itaq; cauſam caloris.

Hæc certè eſt iſta præclara Philoſophia Hobbiana; cernis denuò opus non eſſe ut ad præmiſſam à nobis Fugæ Vacui, atque motûs Solis circularis ſimplicis ſublationem confugiamus. Primum etenim Sol, inquit, æthera pulſat, æther aërem, aër corpus humanum. Ecce pulſationem perpetuam, tractionem nullam! quid eſt quod corporis Spiritus vel partes volatiles elicit?

Dicit

Dicit ſe oſtendiſſe quâ ratione fermentatione fieri poſſit iſtiuſmodi attractio, (unde & Terræ Excentricitas ipſi orta eſt.) Verùm in Univerſo pleno, impoſſibile hoc eſſe, cuivis conſideranti manifeſtum eſt; niſi forſan hoc valeat Phæbus Apollo (quod de Satyro dictum eſt) ut ſorbere ſimul poſſit & flare, nempe Sol motus pellit, premitque, non autem trahit. Nolo iſta perſequi: ait ob fugam vacui hæc omnia contingere, nolo quicquam eorum repetere quibus hanc ſupra fugam fugavimus. Imò ut ſemel dicam, rationi omni atque experientiæ repugnant iſta.

Nempe hâc ratione omnia ſemper incaleſcerent, Sole ubicunque locorum conſtituto, nam pulſus aer à duriſſimis corporibus recedit, & cætera ob fugam vacui ſequuntur, imò frigeſcenti cuivis remedium foret optimum incluſum in Camera aerem exſugere, exinde n. fieret ob fugam vacui, ut corpus intumeſceret, atque ut evaporatis partibus aliquibus, *reliquæ motu ſuo efficerent* (miris modis) *ut omnia locorum ſpatia impleantur.*

Ait (Sect. 4.) *ignem non eſſe corpus à materia combuſtibili diſtinctum, ſed ipſam materiam tunc quando ſplendet.*

At innumera ſunt argumenta, quæ evincant ignem corpus eſſe, nempe ſubtilem iſtam materiam, quam τὸ θερμὸν antiquiſſimi Philoſophi vocârunt (quam etiam præclarè explicant Cl. VV. Carteſius, Gaſſendus, aliique) neque eam à lumine (ſi materiam ſpectemus) ferè quidquam differre. Nempe corpus eſſe illum evincunt ſymptomata ea, quæ cum corporibus habet communia, motus ſc. ejus reflexio, & refractio, coitio & corroboratio radiorum, unde ignis lumine accenditur; tum ex adverſo eorundem diſgregatio, & diſperſio, unde vis ejus attenuatur, quin ejuſmodi corporis

Digitized by Google

poris applicatione variâ, phænomena omnia explicari poſſe conſtat, abſque eo non item. Nempe hoc eſt in quo deficit Hobbius, quod Carteſio, Gaſſendo, Digbeio, aliiſque præclariſſimis viris animum non ſatis advorterit, ut poſſet ea quæ ab iis benè poſita ſunt, & invicem conſequenter, intelligere: hinc enim evenit, neglectâ hâc materiâ ſubtili, eâque ex hypotheſi excluſâ, ut neque luminis, neque caloris, neque ignis generandi cauſas explicare poterit, nempe non valet ad iſta motus aeris, quem tamen ſolum ad omnia hæc adhibet.

Concedimus in figura 1. rationem refractionis radiorum generalem non malè explicari; modo à ſe illic explicato (quem & alii innumeri tradiderunt.) fieri ut unitis, prope P, vel potiùs O, radiis iis omnibus, qui inter EA ; & GC, παραλλήλως inciderint, corpora illic poſita igneſcant.

Verùm cùm ipſe materiam ſubtilem iſtam in auxilium non advocet; quin *radios* nil aliud quàm *vias* motuum ſtatuat, motus nonniſi aeris, vel medii motum; conſtat ipſum nihil ad ignis à Sole generandi rationem intelligendam, hoc loco attuliſſe.

Quod habet §. §. 5.& 7. de luce ex colliſione Silicum, & mari remis percuſſo, eorum potiùs ſententiæ favet, qui lumen, imò & ignem, concipi & accendi ſtatuunt, ex pulsâ celerrimè materia ſubtili, de qua jam pauca locuti ſumus, motumq; vertiginis in Sole aptum eſſe ad phænomenon illud producendum.

Nempe partes Silicis concepta *vertigine oculos* movēt (id eſt, materiam ſubtilem pulſant, faciantq; ut oculos moveant) quod & idem faciunt particulæ ſalis marini in *vertiginem acta*. Quin & hac ratione Cicendelæ, & ligni putris in Sole diu jacentis ſplendor, explicari poteſt ; non autem motu aeris ſolius,

Verùm ipſe §. 8. coactus eſt, ut ignem eſſe corpus à materia combuſtibili diverſum concedat, nempe ad flammam producendam partes æthereas evolantes ſupponit, quod eſt materiam ſubtilem in igne agnoſcere. Hoc idem in rebus fundendis, in fœno madido accendendo, in fulgurum cauſis aſſignandis, utcunque adhibet, quorum omnium cauſas etiamſi craſſiſſimè maximéque negligenter tradiderit, hoc tamen neſcio annon laudare debeam, quod (adigente eum ad materiæ ſubtilis agnitionem, Neceſſitate) ſibi ipſi toties hoc capite contradicere non erubuerit.

Quod de generatione ignis habet ex attritu duorum corporum (§. 11.) ſententiæ noſtræ de ignis natura ſuffragatur, ſuæ ipſius repugnat: ait enim materiam fluidam (id eſt ſubtilem noſtram) attritu moveri, quin erumpere atque corpora diſſolvere; differt igitur iſta materia à combuſtibili, niſi forſan ignis ignem comburat.

Quod de coloribus habet in priſmate vitreo Triangulari φαινομένοις, ex Carteſio ferè hauſtum eſt integrum.

Quod Albedinem eſſe lucem affirmat, & Nigredinem lucis privationem (§. §. 15. 16.) nullo modo fieri poteſt; quin potiùs bullularum infinitarum congeriem, quæ lumen reflectant, illam ſuperficiei diſpoſitionem efficere ſi dixiſſet, quæ facit, incidente in eam lumine indeque reflexo, ut albedinem concipiamus, eum Philoſophicè dicturum fuiſſe exiſtimarem. Hæc autem quoniam à præclariſſimis viris ſæpiùs à me laudatis, ita explicata ſunt, ut metus non ſit, ne in errorem quenquam trahat ſupina Philoſophi hujus eorundem tractatio, ad alia me ſtatim conferam.

Cap. 3.

Examen Cap. 28.
De Frigore, Vento, Duro, Glacie, Flexorum reſtitutione, Fulgure, & Tonitru.

NIſi perſpecta mihi fuiſſent jam ſatis Autoris hujus ingenium & mores, niſi cognitus philoſophandi modus, certè ingens me cepiſſet admiratio, Capitulum hoc 28. legentem, ubi magna ſuſcipientem eum invenies, neque tamen hilum præſtantem. Magna ſunt certè ea naturæ phænomena, quorum Capitis iſtius titulus nomina complectitur, neque aliud aliquid occurrit uſquam (opinor) cujus ſcientiam majore ſtudio homines ferè omnes proſequuntur; nempe ſenſus iſta vehementer feriunt, faciúntque ut iſta volentes vel nolentes homines obſervent, obſervatio admirationem parit, admiratio facit ut in cauſas phænomenωn curioſè inquiratur. Nempe hoc eſt quod apud antiquiores occurrit ἀξίωμα. *Admiratio peperit Philoſophiam.*

Et ſanè ut verum tibi dicam V. D. contigit mihi hoc loco ſententiæ iſtius contrarium, nempe *Philoſophia*(Hobbiana)*peperit admirationem.* An quia de congelatione hic agitur & degelatione (ut loquitur) voluit, ut rediret etiam, quod de ipſis aqua & glacie dici ſolet ænigmaticè *—mater me genuit?* & quæ ſequuntur? Certè ſiquis unquam fuerit, qui res grandes & ſublimes tenuiter & abjectè, qui graves leviter tractaverit, vereor ne hoc in loco illud feciſſe Hobbius noſter videatur.

Incipit à contemplatione Frigoris §. 1. ne te autem ſuſpenſum teneam, Frigoris cauſam univerſi in ven-

ventum rejicit, venti cauſam, in motum Solis circularem ſimplicem. Sententiæ fundamentum ſtatuit in experimento cuivis obvio. *Nemo*, inquit, *ferè neſcit, quod halitus oris cum violentia efflatus, id eſt, ore non nimium aperto emiſſus, manum objectam refrigerat; quodq; idem halitus, ore hiante, id eſt, molliter emiſſus eandem calefacit.*

Habes phænomenon, oro ut attendas ſolutioni ejuſdem, quia multum hoc conferet ad ea quæ ſequuntur intelligenda; quid eſt quod facit ut idem halitus nunc calefaciat manũ, nunc frigefaciat? Præſtat utrumq; hoc motus. Mirum certè motum, tum calefacere, tum etiam frigefacere, quare ſubtiliter res hæc perpendenda; nempe halitus iſte duos habet motus, alterum *directum*, alterum *circularem ſimplicem*, quorum ille frigefacit manum, hic verò calefacit, & prout prævalet motus motui, fit ipſe vel calorificus, vel frigorificus. In ore hiante, prævalet motus ſimplex; in compreſſo, directus: quare illic calorem, hîc frigus ſentimus, motus n. directus aeris ventus eſt, ventus omnis frigefacit.

Atque hoc quidem fundamentum eſt eorum plurimorum quæ ſequuntur (nempe quod ventus omnis frigefacit) quod quidem Hobbianum ἀξίωμα iſti uni experimento innititur.

Nos quid ad iſta dicemus? quidni hic utar dicendi libertate, dicamq; falſa eſſe hæc omnia vel futilia, nempe falſum eſt illud *Ventum omnem eſſe frigorificum*, multiplicique adverſatur experientiæ; nôrunt ruſtici ventos eſſe calidos alios, frigidos alios, quin caloris gradus atque frigoris non ventorum vim & vehementiam, ſed plagam conſequi.

Ne tædio ſit prolixior oratio, in hac re ſic planè ſtatuo: calorem & frigus, ſi abſolutè ſumantur (ſine calidum

dum & frigidum abſolutè ſumpta) nonniſi corpuſculorum quorundam ratione res habere, quorum corpuſculorum ſymptomata iſta ſunt, ut alia ad motum partium minimarum, alia ad quietem corpora ea majora quæ ingrediuntur, diſponant: quin eſſe aerem naturâ quaſi mediâ conſtitutum, eumq; ad calorem aut frigus quaſi indifferenter ſe habere. Quin eodem modo Ventum (qui eſt aer motus) ſe etiam habere, nempe non eſſe naturâ calidum aut frigidum, abſolutè calorificum aut frigorificum, verùm contingere ut calefaciat vel frigefaciat pro ratione particularū vel corpuſculorum calidorum vel frigidorū quæ ſecum attulerit.

Nempe res in ſtatu vel gradu Calidi vel Frigidi poſitas, tum calefieri ab aere vel vento, quando ambiens eos aer eſt ipſis calidior; frigefieri, quando frigidior. ideoque aerem vel ventum Calefactivum vel Frigefactivum abſolutè dici non poſſe vel debere: fieri enim poſſe ut ventus idem vel aer idem hunc Calefaciat, illum Frigefaciat, quare ex manus Calefactione vel Frigefactione malè cæptam eſſe Frigoris eorumq; phænomenωn quæ illud conſequuntur, contemplationem. Quin igitur comminùs hanc rem experiamur.

Ait §. 2. *Frigefacere omnem ventum non modo magnum, ſed & ventilationem quamlibet, quare ventum eſſe cauſam Frigoris.* At dicimus nos quædam frigefacere, quædam calefacere ventum, eundem nempe frigidiora calefacere, calidiora frigefacere, ideoque non magis Frigoris cauſam quàm Caloris ſtatuendum eſſe ventum; imò corpora nonnulla frigefacere, alia ſtatu ſuo relinquere flatus eoſdem. Ita nimirum ſiquis calidus exiſtens aerem adverſus ſeipſum ventilet, frigidum ſentiet, ſi tamen eundem flabro eodem eademque vi pellat in Thermometram nunquam efficiet, ut in ea aſcendat aqua, quod

frigoris indicium eſſe ſolet: imò verò non ſolum experientiæ, ſed & rationi omni contraria eſt iſta aſſertio, motum nimirum aeris eſſe per ſe Frigoris cauſam, cùm calor in motu & diſgregatione partium, frigus in quiete & congregatione earundem conſiſtat.

Verùm non (inquit) omnis motus aeris eſt cauſa frigoris, *verum cum duos motus habeat*, alterum cauſam Caloris, alterum Frigoris eſſe.

At quæ cauſa eſt, quòd motus directus ſit cauſa Frigoris, circularis ſimplex Caloris, potiùs quam ut res ſe habeat è contrario? in illa re certè rigidus non eſt, aut ſeverus; duo phænomena ſunt *Caloris* & *Frigoris*, & duo motus, *directus* & *circularis*, modò duo hi motus duobus iſtis phænomenis inſerviant, perinde eſt utrum utri eligeris.

At dicis, forſan, injurium me eſſe Philoſopho huic noſtro, nempe experimento initio adducto probatum eſſe, non eſſe liberè gratíſque dictum, frigorificum eſſe motum aeris directum; Nempe exeunte ex ore compreſſo halitu (motu directo) manus frigeſiet. Frigoris ergo cauſa eſt aer *directè* motus ſive ventus.

Quinimò amotâ manu, flatu quoad omnia eodem modo ſe habente (carbone accenſo interjecto) focus flammam concipiet, ligniſque ſuper foco largè nimis repoſitis, crepabit, ruetque domus integra: Quare aër directè motus, ſive ventus eſt cauſa Caloris. Cernis flatu eodem, pro objectæ materiæ diverſitate & ſtatu, contraria phænomena excitari; quare cauſam Frigoris à vento turpiſſimè petitam eſſe conſtat.

Verùm quid igitur ad inſtantiam de flatu ex ore compreſſo vel hiante? Nempe omnia ex noſtra de calido & frigido hypotheſi manifeſtiſſimâ ratione explicantur, ex Hobbianâ non omnino.

Nempe ore hiante effunditur aer (ferè immediatè)

ex

ex pulmonibus in manum, aer iſte in pulmonibus calefactus, & ad manum perveniens calidior eſt cute, cutem igitur calefacit.

Ore compreſſo efflatur aer (poſtquam in ore aliquantulùm ad latera (pulmonibus frigidiora) propulſus, friguerit) manúque ad diſtantiam poſitâ, pellitur in eam aer cuticulâ frigidior, ideoque frigus hoc caſu percipitur.

Dices me etiam frigoris cauſam gratis ſumpſiſſe, fruſtráque me aſſerere aeris cute frigidioris impulſu, non autem motu ejuſdem directo hoc fieri. Quin igitur ad ipſum experimentum tibi placeat attendere. Scilicet ſi ob motum aeris vel halitus directum (addo etiam & vehementem) hoc fieret, contingeret, ut quò propiùs ori efflanti manus admoveretur, eò eſſet flatus frigidior; verùm non illud, at contrarium prorſus accidit. Nempe ſi ori ipſi efflanti manus penè imponatur, nunquam (flatu utcunque vehementi exiſtente) hoc modo frigeſcet, imò calefiet manifeſtò; verùm amotâ ipsâ ab ore paulatim, frigus magis magiſque pro ratione receſsûs invalebit.

Quòd autem calefactio ab ore hiante, ſit à calore etiam aeris à pulmonibus ſtatim ad manum pertingentis, non autem à motu *circulari*, exinde conſtat, quòd recedente ab ore manu, diſpergatur ſtatim in aerem ambientem, Calor à pulmonibus ingeſtus, evaneſcensque faciat ut manus (etiam pedis unius diſtantiâ) hoc modo minimè incaleſcat.

Quid interim ad iſta Eruditiſſimus Hobbius?

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?

Certè nihil habet omnino, præter hoc unum, motum aeris *directum, Frigoris; circularem ſimplicem, Caloris*

loris, *cauſam* eſſe; quid ita, quæſo? Nempe *circularis ſimplex* removens à corporibus comprehenſis aerem, facit ob fugam vacui, ut intumeſcant, & recipientibus ſe partibus ad exteriora, calefiant; *motus directus* partes introrſùm premit, facitque ut frigeſcant.

Hoc eſt quod pallet? cur quis non prandeat hoc eſt?

Quid ſi probarem ex ſuis etiam principiis motum *circularem* ſimplicem, *Frigus*; *directum*, *Calorem* efficere debere? imò utrumque utriuſque cauſam eſſe?

Nimirum plena ut ſint omnia, dum è ſiniſtra corporis parte aer avellitur (ob fugam, inquit, vacui) tumeſcit hæc pars, quoniam inſequitur fugientem aerem pars corporis; quin igitur in eâdem lineâ neceſſe eſt, ut ſit partium totius corporis motus, nempe à dextrâ ad ſiniſtram; quare partes à centro ad ſiniſtram ad extra tendent, à dextrâ ad centrum tendent ad intra, quorum illud eſt calefieri hoc frigefieri.

Quin eodem modo motus directus intùs pellens partem ſiniſtram, facienſque ut rigeſcat, eodem planè motu facit, ut extrorſùm pellantur partes à centro ad dextram uſque, atque ita ut corpus intumeſcat. Annon hoc eſt bellè admodùm philoſophari? quid igitur de Thomâ noſtro poſſis judicare cernis. Interim vides nullo modo evictum eſſe ventum frigus per ſe & abſolutè efficere (etiamſi nos aëre calidiores exiſtentes plerúmque frigefaciat) quod unum univerſa ferè quæ ſequuntur hujus capitis evertit.

Quoniam autem ipſe in ea opinione eſt (ad cauſas frigoris reddendas) utilem ſibi fore hunc ventum, ejus primùm rationes ſuſcipit explicandas. En igitur venti cauſam rotundè prolatam (Sectione 2.) *Nimirum Sol efficit motu ſuo in Epicyclo, ut humida particulas ſuorum corporum exhalent* (nempe premendo nimi-

nimiùm, facit rebelles, atque ſibi in faciem ut involent) *partes haſce ſequitur aer* (*nè detur Vacuum*) *atq; ita fit aeris motus*, id eſt, *Ventus*. Atque hæc eſt cauſa ventorum ex vaporibus.

At eſt & alia cauſa ventorum, quam tradit §. 3. nempe *utroq; Telluris motu* (tum vertiginis, tum circulari ſimplici in Epicyclo, prioris quadruplo) *in aërem incurritur; hâc igitur cauſa ſentietur Ventus*.

Tu (credo) iſta judicas in fumos ſtatim abitura eſſe ſibi relicta, facilliméque in leves ventos diſſipanda, miror ipſum ad cauſas ventorum ferendas rationes à rebus tam longo intervallo diſtantibus petere; annon ſatis fuiſſet à rebus uſu familiaribus petiiſſe? Exempli gratiâ, flabellis fœminarum & ventilabris, fit aeris motus, aer motus eſt ventus, atque ita fit Ventus à ventilabris. Vel ſi à Ventre potiùs ſit ventus ducendus, eſt ubi ab hac etiam cauſa fit, ut aer moveatur.

Verùm ne forſan ipſe labra inveniat lactucis ſuis non indigna, eos nimirum qui ipſum ſatis eleganter Ventorum cauſas hoc loco aſſignâſſe judicent, velim ut advertant ipſum ſibi in omni ferè ſententia contradicere.

Nempe illud habet hypotheſis ipſius generalis (quod etiam everſum eſt) Solis motum ſimplicem facere, ut Æther atque Aer eodem motu ſimplici ferantur, atque ab iis ut motus hic Terræ communicetur. Quare motus Terræ univerſus ab aere pendebit, ideóque non poterit Terra in aerem incurrere, atque ita ventum ſentire. Imò certè miſerum aerem eſſe oportet, præſertim ſecluſo vacuo, ſi non habeat quo ſe recipiat; dum ex hâc parte Solem, ex alterâ Terram motu circulari ſimplici utrimque ſe prementem ſentiat.

Ye-

Verùm hoc modo origine Ventorum explicatâ, tranſit ad Frigoris rationes pulcherrimè reddendas. Primùm verſus polos terræ, deinde in congelatione. Verùm quid opus eſt multis, cùm pauca ſufficiant, Ventus hic (quaſi ſpiritus eſſet) ipſi nunc omnia præſtabit..

Scilicet motu Solis ſimplici in Eclipticâ movetur aër intra Tropicos, atq; ita expanditur, & ad polos truditur & fit Ventus, ideoque ὅπερ ἔδει.

At exiſtimabam aeris motu directo Frigus fieri; atqui aeris motus directus, partes intra Tropicos comprehenſas pellit, atque illud perpendiculariter, cæteras ſemper obliquè, quare oportuit ut Zona nunc torrida frigida fuiſſet, & ex adverſo.

Sed videamus Congelationis cauſam: Ecce eam igitur miniſtrabit tibi ventus. Nempe *ventus aquas ſummas compellit, ſimulq; aliquantùm elevat, earum conatum ad centrum terræ impediens, à conatu autem ad centrum una cum venti conatu fit ſumma compreſſio, & conglobatio in grumos, unde ſumma aqua cuteſcit, dureſcitq;. Eodem modo paulò poſt dureſcit aqua proxima, &c donec fiat glacies craſſa.*

Quis illum craſſo in aere natum non juraret? craſſa eſt adeò omnis ejus Philoſophia.

Imò certè manifeſtum eſt corporum quorundam ingreſſu, eorumque quæ ad nitri naturam accedunt, congelationem fieri; ejuſmodi nempe corpus aliquod ſummè frigidum eſſe, uti ignis ſummè calidus eſt, cujus ingreſſu congelatio fit, motumque ſiſtitur partium in humido.

Nempe ingreſſum corporum eſſe oſtendit congelatorum omnium initio turgentia quædam, quæ facit ut vaſa ſæpe vitrea frangantur, atque ex vaſis parvo ore plenis ut effluat liquor perpetuò ſenſibili ſatis quantitate.

titate; aliaque experimenta innumera.

Nitroſa eſſe ejuſmodi corpora ex multis etiam innoteſcit: nempe nitri frigus intenſiſſimum, ejuſdem in aquam infuſi in pyramides glaciales deſinentis conſiſtentia; quinetiam congelatio artificialis ejus ope facta; plurimaque alia, quæ referri poſſent, ſi locus poſtularet, hoc inferunt.

Dico igitur flantibus quibuſdam ventis congelationem fieri, non quia flat ventus, verùm quia ejuſmodi corpora nitroſa ſecum fert (eo modo nimirum quo feruntur vento odores) ideóque conglaciari res non ſolùm ſub dio ventis expoſitas, verùm & intùs in ædibus exiſtentes: neque aliquis opinor abſque corporum ejuſmodi aliquorum ſuppoſitione poterit hoc phænomenon explicare.

Ipſe etenim, ſiquis unquam, à genuina hujus rei cauſa ferenda defecit. Nempe ait aquæ compreſſione hoc fieri; verùm aqua dilatatur potiùs in congelatione, quàm comprimitur: vel ſi compreſſione fiat, cur non malleo potiùs intra vas aliquod metallicum contuſa congeleſcat?

In vento ex naturâ ſuâ nihil eſſe frigoris oſtendi; neque frigidiſſimi ſunt venti maximè violenti. In inſtantia de congelatione artificiali omnia noſtris reſpondent; nempe motis particulis nitroſis, iiſque per vaſis latera in aquam truſis, motumque partium aquæ ſiſtentibus, fit iſta congelatio; ubi tamen flatus nullus ſentitur.

Congelari paludes à ſummo incipiunt, raſâ igitur atque elevatâ exteriore ſuperficie eaque congelatâ, quâ ratione elevari poſſint aquæ inferiores à ventis, atque ita cuteſcere & dureſcere, vehementer cupio, ut exponat.

Vereor ne tibi tædio ſit prolixa nimis oratio, & tamen

men ſi modo in ſingulis capitulis quàm multa ſint à nobis omiſſa memineris ſphalmata, quæ non ſine violentia tranſilimus, & quàm ſit abruptus ſæpe ſermo ne longus ſit, ſpero ad veniam mihi largiendam procliviorem fore.

Tranſeo quæ de duritie habet Sectionibus 8. 9. 10. 11. quanquam & alia ſint plura quæ memorentur, & illud intelligere nullo modo poſſim (§. 8.) nempe, *quomodo duo corpora, quæ ſecundum ſuperficiem communem ſe contingunt, poſſint tamen vi adbibitâ, etiam nullo dato vacuo, diſſilire* (contra Lucretium.) *Columna* (inquit) *marmorea ſatis longa ab altera baſe pendens, ſuo pondere diffringetur.* Concedimus; atq; exinde vacuum arguimus. *Non* (inquit) *ſequetur vacuum, quia ſolutio continuitatis fit ſucceſſivè.*

At certè niſi probaverit per indiviſibilia ſemper fieri fractionem (quod omnem etiam ejus evertit Philoſophiam) aer ingrediens partes prius exteriores fiſſuræ, dein interiores pervadet; adeóque pro aliquo temporis ſpatiolo *vacuum exiſtet.*

Quæ de Flexorum reſtitutione habet §. 12. cæteris reſpondent, *nempe partes flexi, conatum habere ad reſtitutionem, atq; exinde remoto impedimento, fieri reſtitutionem.* Miraris, opinor, fugam Vacui abeſſe, neque in hujus phænomeni ſolutionem trahi, certè fugam trahere non erat adeò nunc opportunum, neque opus eſt, cùm non defuerit ipſi inſtrumentum illud aliud, nempe *motus ſimplex.*

Siquis enim quærat de reſtitutione, reſpondet ob conatum iſtum contingere; ſi inſtiterit, & de conatu unde ſit, quærat, reſpondet fieri *ob motum ſimplicem*, quis ſit ille motus, unde fiat, quomodo conatum faciat, niſi forſan illudi velis, fuge quærere.

Quæ ſit noſtra de Fulmine, Fulgure, tonitru

nitru ſententia, tu V. D. opinor ſatis intelligis; nempe materiæ alicujus ſulphureæ inflammatione ſubitâ (uti in auro fulminante ferè contingit) ea omnia phænomena fieri. Nempe materiam aliquam ejuſmodi in fulmine ubique reperiri, argumento eſt, terrus quidam vapor qui in rebus fulmine tactis & diſſipatis ubique invenitur. Hujuſmodi itaque materiæ inflammatione quæ fit calore non magno, tum ſubtilis materiæ partes celerrimè pulſantur, unde Fulgur; tum aer ſubitò & violenter expanditur, unde Tonitru; cætera autem omnia non difficulter explicantur. Quid interea Malmesburienſis?

Ait hæc omnia contingere à nube glaciatâ, nempe *à fractâ glacie fit Fragor*. (ſcilicet Fragor dicitur à frangendo) *deinde erumpente aere, fit murmur; ſed ex Fragore primo & ſequente Murmure fit Tonitru.*

Deinde, Aer ex nube erumpens reliquum uſq; ad oculum percutit, unde Fulgur.

Cauſas ergo Tonitrus & Fulguris reddidimus, inquit.

Et fortaſſe (οἷοι νῦν βροτοί εἰσι) credidiſſet hæc aliquis, niſi contingerent Tonitrua & Fulgura tempeſtate ſemper anni calidiſſimâ, hyeme autem (ubi glaciari nubes poſſunt, & forſan ſolent) rariſſimè.

Atque hactenus quidem ipſum habuimus ſecreta naturæ pro more ſuo reſerantem; Nunc autem, proh dolor! una res eſt quam Poſteris intactam relinquet. (§. 17.) *Nempe diſquiſitio de cauſa Cometarum, quam glaciem fuiſſe exiſtimâſſet, niſi prohibuiſſet ſtella in Caſſiopea.*

Quin igitur lugete Poſteri!

Non

Nonſecus ac liquidâ ſi quando nocte Cometæ
Sanguinei lugubrè rubent.

Hoc ſcilicet portenti Cometa nuperus (libellum hunc ſub prælo jam tum laborantem torvè intuens) præſignificabat. Solent nimirum principibus eſſe inimici Cometæ; verùm ut in principem Philoſophorum virus ſuum effunderet

—Quis talia fando
Temperet à lacrymis?—

Sed ferendum hoc, quicquid eſt, nec ipſi vel ſcientiæ vel morum vitio vertendum.

Nempe, hanc ne poſſet naturæ accedere partem,
Frigidus obſtabat circum præcordia ſanguis.

Cap. 4.

De Sono, Odore, Sapore, Tactili.

SCilicet frigeſcere invenies deinceps ipſi omnem ferè orationem, jejunâmque fieri; hactenus motu circulari ſimplici agitatum caput, occubuit aliquantulùm, figmentíſque tumuit; nova certè plurima tulit hactenus, eaque ſatis portentoſa, quæ legentium oculos ad ſpectandum utcunque allicerent: contentus eſt hoc capite ea quæ ab aliis ſæpiſſimè dicta ſunt recitare, eoque ſolo nomine ſua facere. Noli exiſtimare (V. D.) me ipſi hoc vitio vertere, quòd aliundè quicquam (etiamſi autores reticendo) transferat; imò utinam plura tranſtuliſſet. Philoſophi non minùs eſſe exiſtimo (certè viri ingenui) ea quæ ab aliis benè dicta

cta ſunt candidè ſumere, atque in ſyſtema accipere, quàm eorum loco, quæ malè miniméque ad humanum dicta ſunt intellectum, nova invenire, iiſque remotis ſubſtituere. Verùm ipſum ita rem gerentem hactenus habuimus, ut maluiſſe videatur omnia falsò, confusè, contradicenter præſtare, quàm iis uti, quæ ad naturæ explicationem neceſſaria, aliorum hominum nobiliſſimorum invenerat induſtria; neque tamen hoc ipſo in capitulo mos iſte eum planè deſeruit: quanquam etenim ea omnia quæ de ſono habet, ſint à Gaſſendo, Merſenno aliiſque tradita; in reliquis tamen, ut Odore aliiſque, nihil habet præter hoc unum, ut benè poſitis contradicat.

Rebus hoc modo ſe habentibus in eis quæ de ſonis habet, nullus ego inquiram, in cæteris breviſſimus futurus. Nempe ex iis quæ Sectionis hujus capitulo ſecundo protulimus, manifeſtum eſſe arbitror, differentiam inter lumen & ſonum malè ab ipſo §. 1. conſtitui, cùm utrumque phænomenon aeris motu explicare nititur: nempe ex iis quæ dicta ſunt, manifeſtum eſt eſſe in lumine materiam quandam aere longè ſubtiliorem, cujus celerrimus à Sole motus efficit, ut illud oculi fundum percutiens ſentiamus.

Neque alicujus eſt momenti quod habet de conſervatione Soni per tubum facti. Placuiſſet admodùm ſi docere voluiſſet qua ratione motus aeris à loquente excitatus, vel crebris in tubo replicationibus non confundatur, vel extra tubum in aere aperto, libertate nimiâ & expanſione, minimè diffluat, & evaneſcat.

Quod de nubium glaciatarum fragore habet, tonitruſque cauſa exinde deducta (§. 59.) facit ut hominem aliquantulùm admirer: neque etenim inter omnia quæ protulit magis inficetum quidquam mihi viſum eſt: non igitur expectabam, ut iſta importuniùs repeten-

repetentem invenirem. Sed non eſt eorum qui cælibatum colunt de Parentum affectibus judicare: meminiſti quod de Ovidio narratur, ſubduxiſſe illum ſpongiæ iſtum verſiculum quem maximè culpandum, atque à reliquorum familia ſubmovendum exiſtimaret Ariſtarchus.

Quod cauſam *reſilitionis* in Bombardis exploſis, eſſe dicat, *Quòd cùm in exploſione, à vi ignis tumefacta Bombarda, ſe poſtea reſtituat, naſcatur conatus undequaq; verſus cavitatem, & proinde etiam in partibus circa fundum*; ferri poſſet, niſi phænomena contradicerent, nempe cuivis manifeſtum eſt reſilire Bombardas etiam affabrè factas quoties ſive à rubigine ſive à fuligine minimè purgata impediatur pulveris accenſi (ut & plumbi) motus directus, nempe ex crebris reflexionibus parviſque pulveris conatui factis reſiſtentiis illud fieri phænomenon, non autem ex conatu reſtitutionis verſus omnes partes, adeóque non magis reſilitionis, quam exſilitionis cauſa futuro.

Quod habet §. 9. de cauſis, *cur ventus ſonum vel promoveat vel impediat, lumen non item*, intelligere niſi tu forſan adjuveris, nullo modo poſſum: nempe lumen eſt ipſi aer motus, hoc idem eſt ſonus, imò & ventus tandem eſt aer motus. Qua ratione motus motui vel obſiſtat, vel adjuvando ſuccurrat, exiſtimo me ſatis intelligere; cur autem ventus ſi aeri moto obſtare poteſt, non poſſit aeri cuivis (ſibi ex adverſo) moto obſtare? quin igitur attende ad ipſius ſubtilitatem.

Ait *ventum ſono obſtare, quia perceptibiliter movetur illic aer, lumini non obſtare, quoniam movetur illic aer imperceptibiliter.*

Nempe hoc eſt quod me ringit. Quoniam intelligere nequeo fieri poſſe, ut ventus aeri perceptibiliter moto reſiſtat, imperceptibiliter interim moto non reſiſtat;

reſiſtat. Verum tu forſan iſta intelligis.

Certè lumini non obſtat, quia ſubtilior longè eſt luminis quàm aeris materia, eumq; liberrimè penetrat!

Verùm demiſſis iis quæ de Sonorum habet differentiis, earumque cauſis, ad ea quæ de Odoribus habet, quorum cum ſaporibus communia pleraque ſunt ſymptomata, accedamus. Nôſti ſententiam iſtam à nobis receptam eſſe, (uti veritati ſatis evidentèr conſentaneam) quæ ſtatuit particularum quarundam è corporibus effluvio odorem fieri; quinetiam hoc modo fieri ſaporem; pro variâ autem particularum effluentium conſiſtentiâ & motu, Odorum (addo & Saporum) differentias evenire.

Atque iſta quidem rationi conſona eſſe faciunt omnium odoratorum obſervationes. Effluunt manifeſtè è floribus particulæ ſubſtantiæ ſuæ, & odorem dum emittunt ſimul etiam deflorefcunt; quin & Aromata univerſa odorem ſimul & ſubſtantiam perdunt, uti omnis ubique teſtatur experientia.

Quinimò ſi à plantis ad Animalia tranſire velis, norunt ii omnes qui venatu nemorum aſſueti ſunt, ſolere donec ferarum ſuffecerint effluvia, vegetos eſſe atq; abundantes relictos odores, adeô ut Canes ipſos ultrò ferè ſollicitare videantur; tunc poſtquam evaporato humido membra rigere inceperint, deficere ſtatim unà odores, Canumque ferè ſagaciſſimorum nares deſtituere.

Verùm infinitæ hujus rei inſtantiæ adduci poſſunt, quibus effluvio quodam corpuſculorum, odores (pro parte eorum materiali) gigni, poſſet evinci. Quænam eſt interim, Philoſophi hujus noſtri de Odoribus ſententia?

Nempe incredibile hoc ipſi faciunt tria argumenta, quæ ſunt omnia nobis (jam ſatis otioſis) ordine conſideranda.

1. Primò inquit, §. 13. *Unguenta quædam odorem emittunt, non modò per ſpatia loci, ſed & temporis longiſſima, adeo ut partes effluxæ implere debent ſpatium millies majus ipſo corpore, quod eſt impoſſibile.*

Concedimus impoſſibile eſſe, ut corpuſcula evaporata locum majorem occupent, quàm priùs in corpore odorato obtinebant. Videamus igitur quonam argumento illud in poſitione effluviorum ſit ſecuturum. *Quia* (inquit) *Odores in omni puncto medii odorati ſentiri poſſunt.*

Benè habet, quòd mentem ejus ſaltem intelligimus. Sentimus fumo exiguo odorem concipere aerem univerſum camerâ ſatis amplâ incluſum, hoc idem guttulâ unâ aut alterâ aquæ vel Spiritus alicujus odorati, carboni vivo injectâ contingere. Cernimus quantum liquoris, quantillum corpuſculorum nonnullorum colore aliquo tingat, atque in omni ferè rerum genere infinita ſuppetunt ejuſmodi experimenta. Ubi quoad ſenſum parva magnis ita commiſta ſunt, ut videantur ſenſui quaſi iis coextendi. Verùm longè aliud eſt rationis (Philoſophiâ inſtructæ) atque ſenſûs, de rebus iſtis judicium.

Cum pulveris exigui jactu vel fumo exiguo, vel aqua, ſive igne evaporata, vel per dentium intervalla (ut in Hiſpania ſolet) filis tenuiſſimis ejecta, odorem ita concipiunt ſpatia ampla, ut ubique ſentiri poſſint. Quæro à Thoma quid fiat? Effluvio manifeſto fiunt odores iſti; quid igitur? num partes corporum in fumos vel vapores abeuntes loca ipſis millies majora occupant? nihil minus. Certè neque ſuo judicio neq; noſtro. Quinimò longè plura ſunt medii ſpatia corpuſculis odoratis vacua, quàm ſunt repleta, quanquam hoc ſenſus non aſſequatur; atque iſta cùm ſint aperta cuivis & ſatis obvia, (cætera κατ' ἀναλογίαν in-

lligendo) ſufficient ad argumentum iſtud de loco
iſſe.

2. Secundum argumentum adverſus effluvia hoc
. *Si* (inquit) *effluxus fiat, ſive motu recto, ſive cur-*
ſi totidem effluxerint ex alio quolibet odorato eodem
tu, ſequeretur omnia odorata ſimilem habere odo
n.

ediit certè Thomæ Spiritus Philoſophicus; nonnul-
de Sonis habuimus aliena, hæc autem genuina eſſe
rare poſſit unuſquiſque ratiociniis Hobbianis aſ-
etus.

Incommodum illud quod ex effluviorum ſuppoſiti-
ne infertur, illud eſt, ſequi hac ratione *omnia* odora-
a eundem *odorem habitura*. Quomodo hoc infert?

Si (inquit) eodem numero & motu particulæ efflu-
rent, hoc contingeret.

Quid? ſi in *aliquibus* hoc modo fieret *effluxus*, num
equeretur, *omnia* eundem odorem emiſſura? hoc ille
ult, verùm ex iſtâ effluviorum poſitione nihil omni-
no ſequitur eorum quæ habet, neque enim ſequitur,
unquam partes effluere eodem numero motuque in di-
verſis odoratis, neque ſi illud concedatur (ſemper &
in omnibus, eundem eſſe partium evaporatarum nu-
merum & motum,) ſequetur eundem omnia odorem
emiſſura, cùm præter Motum & Numerum ad odo-
rum varietatem conferat plurimùm Figurarum etiam
diverſitas. Quare manifeſtum eſt ratiocinationem
iſtam fuiſſe verè Hobbianam. Quod ſuſcepimus &c.

Quin 3. inquit, *Si iſtiuſmodi effluviis, fieret odora-*
tus, ſequeretur eorum ſolo motu fieri olfactionem; ſed iſta
non fit, niſi halitum per nares attrahamus.

Eodem certè modo dicimus effluvia iſta eſſe cau-
ſas vel inſtrumentum odoris, quo aer eſt inſtrumen-
tum Reſpirationis; neque ſolet, opinor, inſtrumentum

abſque applicatione opus ſuum integrum perficere: ut igitur abſque Pulmonum motu non perficit aer vel aeris motus (ſive ventus) reſpirationem, ita neque ſine hauſtu aliquo vel pulſu ſive flatu in interiora naſi, fiet odoratus: dicimus, ut Odoratus ſive perficiatur, ſive intelligatur, non ſolùm effluvio, verùm & cerebro opus eſſe, illudque in argumento iſto deſiderari.

Quin igitur ſententiam, quæ per effluvia fieri odoratum ſtatuit, nondum Thomas evertit; maneat ea igitur. Nos autem ad ea quæ de *Saporibus* habet, tranſeamus.

Hic autem vereor admodùm, ne (magno Solæciſmo) inſipidus atque jejunus videatur. Ubi nihil omnino ad Saporum naturam explicandam attulit, præter iſta (neque multa neque profundiſſima) Sect. 17. *Nempe linguæ & palati Cuticulas & nervos eſſe organum guſtûs primum.* Ne quis putaret ſe digitis vel auriculis guſtare poſſe. Deinde *Sapores ventriculum movere, & cerebrum:* ne quis Ebrietatis eum ſymptomata neſcire autumet. Et tandem *potuiſſe ſe ex diverſitate figurarum in Atomis, Saporum cauſas veriſimiles excogitâſſe, ſi voluiſſet à Philoſophia ad Divinationem transfugere.*

Hæc ea ſunt quæ de Saporibus habet, quæ neſcio quid tibi ſapere videantur; mihi certè hoc indicant, eum ſale (quouſque vixerit animamque traxerit) non eſſe cariturum.

Verùm quæ cauſa eſt quod ad divinationem tranſire noluit? Certè oblectâſſet Lectorē, ſi divinare aliquantulùm voluiſſet. Quin igitur liceat mihi (obſecro V.D.) divinum hunc hominem aut ſacrum potiùs pauliſper alloqui.

His vatem aggrediar dictis, ac talia quæram.
Tu Thoma! interpres divûm, qui numina Phœbi,

Qui

Qui Tripodas, Clarii lauros, & Sydera ſentis,
Et volucrum linguas, & prapetis omina pennæ:
Fare, age—dic, triſtes ſuccos, tardumve ſaporem
Quid faciat, mali infelicis, & utilis herba,
Pocula ſi quando ſævæ infecere noverca.

Quid eſt quæſo quod hoc loco profundum eſt adeò altumque ſilentium? *Transfugere* (inquit) *nolo à Philoſophia ad Divinationem.*

An quia odioſum eſt nomen *Transfugæ*? at multos unaquæque fert ætas. An quia diſplicet ipſi totum *divinationis* opus? at placuit illud *Stoicis* omnibus, (teſte Cicerone) uno forſan excepto Panætio. An quia præ inſigni in Mathematicis ſcientiâ *magus* jam antehac eſt habitus (quamvis illud iniquiſſimo judicio) nolitque ejuſmodi rumores fovere? an tandem quia Atomi iſtæ ſint res admodum exiguæ, & *non vacat exiguis rebus adeſſe*? imò ſatis eſt eam hactenùs divinâſſe cauſaſque rerum non naturales & veras ſed poſſibiles (quod certè eſt de rerum natura divinare) vel potiùs impoſſibiles protuliſſe. Imò quia hactenùs in divinatione totus fuit, transfugere non potuit ad divinationem. *Qui jacet in terra, non habet, ùnde cadat.*

De Tactu nihil habet, quod ſit conſideratione dignum, quare ad alia properamus

---

Cap. 5.

De Gravitate.

SCilicet ad finem partis hujus Phyſicæ properamus,

—poſt tot diſcrimina rerum:

Quanquam etenim multæ, imò quam plurimæ

ſint Univerſi partes, quarum conſiderationem omnino prætermiſit hic noſter Philoſophus; vidiſti tamen V. D. multas eſſe de quibus pro more ſuo philoſophatus eſt. Nempe (ne multus ſim) quod ipſe habet (Cap. 27. §.7.) de motu ſimplici, illud non ſolùm Phyſicam Sydeream, ſed reliquam etiam univerſam reſpicere intelligendum eſt. *Hanc* (inquit) *hypotheſin viſum eſt retinere, & quorum phænomenon cauſas ab illa derivare poſſim, eas derivare; cætera quæ inde deducere non poſſim, non attingere.* Nempe, non omnia poſſumus omnes; ultra poſſe non datur eſſe. Innumeræ ſunt ſententiæ tum elegantiores antiquorum, tum barbaræ Scholaſticorum quibus ſe poſſit defendere: vel forſan potuit, ſed noluit; hoc etiam nobile: ita potuit ipſe *in novum orbem navigâſſe, & proportiones rectæ lineæ ad hyperbolem & Ellipſin, atq; inter extremas duas, medias quaſcunq; proportionales inveniſſe, niſi properaſſet.* Et certè ego in ea ſententia planè ſum potuiſſe eum omnia eâdem mentis & rationis vi æqualiter attingere, imò quidvis ex quocunque principio, ſi voluiſſet, deducere; quæ magna certè eſt putanda hominis felicitas. At ſentio me pronum ad garrulitatem. Ea quæ in hoc etiam capite habet, nos leviter tangamus.

Noſti difficilem eſſe quæſtionem de Gravitate, & multâ nube obductam: videamus quid luminis hic ferat.

Incipit à conſideratione denſi & rari; cujus rationes nobis (tibi mihíque) non aliter intelligibiles ſunt, niſi ſtatuatur, denſum illud eſſe, ubi plus corporis, rarum, ubi minus corporis in ſpatio æquali continetur, ita tamen ut rarum illud (ſi homogeneum fuerit) omnes ſpatii partes eodem modo (id eſt vacuis ſpatiolis ſimiliter ubique interſperſis) occupet. Videamus quid

de

de hac re ſentiat hic noſter.

Ait igitur (§. 1.) *vulgarem Denſi & Rari* (vocabulorum) *ſignificationem veram eſſe.* Quænam eſt iſta? hæc ſcilicet, *Nomina iſta eſſe collectiva, id eſt, nomina multitudinis, Denſum, quod dati ſpatii multas partes occupat; Rarum, quod ejuſdem vel æqualis ſpatii partes, ejuſdem magnitudinis, continet pauciores. Nempe Denſum idem quod frequens, Rarum idem quod infrequens.*

Benè habet. Quin igitur gratulandum eſt nobis ipſis contigiſſe tandem, ut huic tanto Philoſopho tam ſuavis nobiſcum ſit concordia. Nemo certè ſententiam noſtram clariùs, nemo pleniùs, nemo elegantiùs, aut explicare potuit, aut aſſerere.

At eheu! quid video? hoc ſcilicet, breves eſſe & fallaces hominum voluptates; neque nimiùm eſſe quorumvis hominum verbis credendum. Annon *veram* eſſe dixit iſtam *denſi* & *rari* ſignificationem? imo. *Sed non ut ſit in loco quolibet plus materiæ quam in alio loco æquali, ſed plus certi alicujus corporis nominati. Nempe, in acie denſa non eſt plus corporis, ſed plus militum.* Ita ſolebat olim Proteus, aut ita Sphinx olim. Aſt ego ſum Davus; *verum* eſt, denſum eſſe quod dati ſpatii multas partes occupat. *Denſum,* id eſt, *denſum corpus.* Non, inquit, ſed corpus tale, *ut denſa acies ubi plus militum.* Benè habet, denſum corpus tale eſt, ubi eſt plus corporis talis; ergo eadem ratione, denſum corpus, eſt ubi eſt plus corporis. Mihi certè iſta ſequi videntur, nempe notionem ipſam denſitatis illud habere, ut plus corporis, id eſt, plus materiæ includat, neque ipſe aliter (uti videtur) ſentit, ſed placuit ipſi ſemperque placebit iſtiuſmodi myſteria proferre, quæ ſolent alii aut ἐνάντια vocare, aut ἐναντιοφανῆ.

Verùm ipſius (ut videtur) non multùm intereſt, neq; magni

magni ad Philoſophiam momenti videtur, ut Denſitas, & Raritas, Condenſatio, & Rarefactio intelligatur; in quibus naturæ atque Philoſophiæ univerſæ clavem contineri, ſaniores arbitrantur.

Sed ad Gravitatem explicandam ſe accingit (§.2.) dicitque *ex principio externo gravia moveri*; conſentio, cauſas audire geſtio.

Nullum (inquit) *corpus ſeipſum movere poteſt; Corpori creato tribuere potentiam ſeipſum movendi, quid aliud eſt quàm dicere creaturas eſſe, quæ à Creatore non dependent?*

Benè habet, quanquam iſta vix quicquam conferant ad Gravitatis cauſas explicandas, illud obiter mihi quærere liceat, quæ nempe cauſa ſit motûs Solis circularis ſimplicis? & à quonam tandem corpore moveatur? nempe Sol ipſe (motûs corporum in univerſo fons & origo) movetur, ex mente Hobbiana, motu locali; aut igitur ab alio corpore movetur, aut à ſeipſo, ſi à ſeipſo, creatura non eſt, Deus eſt, uti magi (Perſæ nimirùm) ante Hobbium crediderunt. Si ab alio corpore, non erit Sol principium motûs. Velim ut iſta explicare poſthac dignetur, ne ruat hoc etiam argumento columna iſta altera Philoſophiæ ſuæ de motu Solis circulari ſimplici; verùm hæc obiter.

Sed propiùs ad rem ipſam accedamus. Ait § . 3. *Atomos eſſe aeri interſperſas, conſiſtentiâ, figurâ, motu, magnitudine differentes, unde fiat ut aliæ aliis, majore impetu in terram (& Planetas alios) ferantur. Hoc autem majore impetu ferri, eſt eſſe grave.* Pulchrè! ergo cauſa Gravitatis in conſiſtentiam, figuram, &c. motumq; Solis ſimplicem, eſt referenda. Cauſa (inquam) generalis Gravitatis, atque in particulari (ut loquuntur) quærendum ſolummodò reſtat, quid conferat ad hanc rem unaquæque cauſarum memoratarum.

Ita

Ita nempe ego mentem ejus intelligebam, ſed eum inveni Paragraphe ſequente ea omnia deſerentem, novamq; planæ gravitatis hypotheſin molientem, eamque figuris (ut Geometricis rationibus ſtabilita imperitis videatur) ornantem atque explicantem.

Scilicet in fine §. 3. duas iſtas quæſtiones proponit in ſequentibus conſiderandas.

1. *Unde fiat ut corpora ſint alia aliis graviora?*

2. *Quomodo corpus terræ inſidens à terrâ ipſâ in ſublime efferri poſſit?*

Expectas igitur (opinor) ut iſta in ſequentibus oſtendat. Imò licet hoc tibi expectare, neq; n. te prohibuit.

Aſt ipſe ſuſceptæ quaſi immemor provinciæ, iſtis planè omiſſis, illud in ſequentibus oſtendere conatur; *unde fiat, ut corpus aliquod in plano Æquatoris in ſublime evectum, deſcendere incipiat:* præclarum hoc quidem, ſed ἀπροσδιόνυσον. Neque enim hoc eſt oſtendere *vel unde fiat*, &c, vel *quomodo corpus* &c.

Quin igitur myſterium illud explicatum videamus de corpore in plano Æquatoris. Nolo vel teipſum vel Lectorem ad figuras Geometricas hâc occaſione referre, neque enim eſt opus.

Supponatur corpus in plano Æquatoris ſublimi quieſcens. (puta ſaxum) Quoniam igitur Terra motu diurno (ſuper polos Æquatoris) aerem *excutit ultra lapidem, neceſſe eſt ut deſcendat aer ſupra lapidem* (ne detur vacuum) *& lapidem ſecum ferat.* Nempe hic ſenſus eſt integer eorum omnium quæ tanto ipſe figurarum explicat apparatu.

Atque ipſe quidem dolere ferè incipio ereptam jam antehac atque everſam hypotheſin de *fugâ vacui*, & de *motu Solis ſimplici*, quæ omnibus naturæ phænomenis tam feliciter inſerviunt. Cernis utcunque non inanem fuiſſe operam iis inſumptam.

Atq;

Atque ut verum fatear, multa ſunt à Thoma noſtro hoc loco quærenda, quæ fuſiùs erunt (ſi valeat modò) explicanda. Primùm quomodo Terra motu ſuo diurno aerem excutere poſſit, ſi omnia ſunt plena; quo quæſo excutiet? vel ſi excutiat, quomodo fieri poſſit (cum ſit motus excuſſivus perpetuus) ut decidat aliquis. Nempe, cum corporis Terreſtris moles integra, ſuper Æquinoctialis axem, diurno motu revolvitur, eſtque motus is cauſa excuſſionis eodem jure, quo in plano Æquinoctialis (licet non eadem vi) aer excutitur, excutietur in planis omnibus Æquatori parallelis nempe in planis infinitis (illudque non ad ſuperficiem Telluris, ſed ad axem Æquinoctialis perpendiculariter) id eſt, aer omnis Telluri contiguus excutietur, & conſequenter etiam aer univerſus, intra Telluris polos ipſi quoviſmodo incumbens, atque illud perpetuò, quia motus Telluris eſt perpetuus.

Niſi detur vacuum, intelligi non poteſt iſta excuſſio; ſi excutiatur, intelligi non poteſt, unde ſit principium reditùs.

Sed 2. dicit *aerem ultra lapidem excuti*; hoc eſt quod nullo modo poſſum, aut intelligere, aut concedere. Annon quæ graviora & denſiora ſunt longiùs excutiuntur? lapides aere? provoco ad rationem atque experientiam.

Vel ſi excutitur aer, annon & aer cui incumbit lapis, in plano Æquatoris excutietur, eumque altiùs evehet?

An tandem cùm fiat itus reditúſque in planis, Æquatoris plano parallelis, annon oportet lapides deſcendere ubique, non ad *ſuperficiem* Telluris, (quod tamen faciunt) ſed ad *Axem* motus diurni, perpendiculariter? ut taceam objectiones, quas ipſe fert, nempe eò tardiùs gravia deſcendere, quò fuerint à plano Æquato-

quatoris remotiora, poliſque imminentia minimè deſcenſura. Quare non eſt, ut invideamus ipſi hanc ſuam hypotheſin de fugâ vacui. *Non equidem invideo, miror magis* fugæ iſtius vim, mirorque eum de cauſis majoris minoríſve gravitatis loqui inſtituentem, ad iſta tam aliena deflexiſſe.

Amphora cæpit
Inſtitui, currente rotâ cur urceus exit?

§. 5. Contra Gravitatis cauſam jam ſupra aſſignatam objicit, *quod Grave in fundo collocatum, alicujus tubi ferrei vel adamantini inverſo fundo, non deſcenderet, quia fieri non poſſit, ut aer ſuperior ipſum depellat.* Atque ipſe miror cur illud non conceſſerit in tubo adamantino ſatis longo (puta unius milliaris) atque erecto perpendiculariter, eventurum; quis etenim eum experientiâ refellere potuiſſet. Quidni hoc eodem jure ſtatuerit quo prius, non eſſe gravia ſuper polum terræ deſcenſura? potuiſſet (inquam) hoc modo objectionis vim evaſiſſe, ſed noluit; neque ipſum adjuvare nunc poſſumus. Ait, *inniti terræ ejuſmodi tubum debere, quo facto, fundus tubi aerem excutiet, facietq; ut aer ſummus, Grave in ſummo tubo poſitum, (modo ſuprà explicato) expellat.* Ut illud potiùs putares, excuti (juxta illius mentem) debere omnem aerem, ideoque debere illum verſus tubi ſummum excuſſum, lapidem premere, magiſque à deſcenſu prohibere; utcunq; ſi tubi ſupremam baſin lapis tangat, quomodo eo altiùs, excuti poſſit aer, mihi non occurrit.

Sectione 7. propoſitionem continet ab omnibus tractatum; qui de inſidentibus aquæ, ſermonem inſtituerunt, [iſtam nempe, *ſi corpus quodlibet aquæ innatet, pondus ejus ponderi æquale eſt molis aquæ tantæ,*

quan-

quantam capit locus, quem occupat natantis corporis pars, aquæ immerſa. Propoſitionem ſanam & utilem, ita ut mireris unde factum ſit ut locum apud ipſum invenerit: ſed deſine, obſecro (V. D.) mirari, neque enim ſui ipſius gratiâ hoc contigit, quin potiùs conſectarii cujuſdam admirandi, quod exhibet articulus immediatè ſequens, viz. §. 8.

Sequitur (inquit) *hinc, fieri poſſe, ut corpus quantævis magnitudinis, modo ex materia conſtet minùs gravi quàm eſt aqua, aquæ tamen innatet quantulacúnque.*

Ego quidem quanquam multis nominibus hominem hunc admirari ſoleo, nuſquàm tamen ſobrietatis limites eouſque admirando excedere & tranſire conſuevi, ac ſi quando contingat, ut eum corollaria deducentem inveniam (quod quidem eſt, ſi non rationis at judicii ſaltem opus ferè integrum & adæquatum) nempe hoc eſt quod alicubi admiratus eſt magnus Carteſius, nuſquam eum, ſive vera ſive falſa poſuerit, rectè aliquid ex ſuppoſitionibus ratiocinando inferre; imò verò concluſiones ſuas præmiſſis contradictorias omnino ſæpè eſſe, eáſque ſe mutuò evertere invenies: attende nunc, quæſo.

Ex propoſitione (§. 7.) illud ſequitur; nempe, ſi quod corpus aquæ innatet, occupare illud, partem aquæ cui innataverit, id eſt, locum in aquâ occupare.

Sequitur deinde ex eâdem propoſitione aquã, quæ locum iſtum partis immerſæ implere poſſit, eſſe pondere æqualem toti corpori innatanti.

Niſi igitur ſtatuatur minimam partem aquæ eſſe pondere æqualem navi onuſtæ vel corpori cuivis, quod mari Atlantico poſſit innatare, impoſſibile eſt, ut corpus *quantævis magnitudinis, modo ex materia conſtet &c. aquæ tamen innatet quantulacunque.* Illud

autem

autem cuivis, cui læſa non fuerint principia, relinquo judicandum. Quare non opus eſt, ut ad ſchemata provocem te, quæ in hoc opere ferè univerſo nullius ſunt uſûs niſi ad diſtrahendos & ſtupore quodam occupandos eorum animos, qui ſunt ſpeculationibus figuriſque Mathematicis minimè aſſueti. Imò verò ex propoſitione aſſumptâ ſequitur illud manifeſtè, non eſſe corpus minimum aquæ innataturum, cujus moles ſit maxima, niſi tantæ ſit profunditatis, ut admittere euſque corpus poterit, donec occupaverit locum aquæ ſibi pondere æqualis: hoc rationi convenit, hoc experientiæ, illa verò ſomniis febricitantium.

Propoſuerat (uti meminiſſe potes) ſupra (c.26.§.4.) ad probandum vacuum adduci ſolitum experimentum aquæ vaſi incluſæ, quæ dato supernè exitu ſurſùm ejicitur, pulſa ab aere: quin & aliorum mentionem fecit §. ſequente. (ut ſclopeti pneumatici &c.) expectavimus ut eorum rationes ſuâ ex hypotheſi tunc redderet, ubi methodus & Logicæ rationes omnes illud poſtulabant; verùm eum (aliàs loquacem ſatis) illîc ſilentem penitùs habuimus. Quare ſopitam rem iſtam exiſtimavimus, neque expectabam, ut quod locum ſibi proprium deſeruiſſet, alienum importuniùs invaderet. Quid iſtis experimentis cum Gravitate? At ecce eum hoc loco iſta inferentem! quid dicam V.D? quid? niſi magnam eſſe aliquando conſcientiæ vim, eamq; legibus dialecticis minimè ſubjectam. Viderat quàm eſſet illud turpe & indecorum, intacta ea (quæ tanti ad hypotheſin ſuam ſtabiliendam momenti fuiſſent) reliquiſſe, neq; ferre potuit hoc dedecus generoſum pectus; quare calamum arripuit, voluitque, ut daret hic locus autoritatis ſuæ ſpecimen aut certè libertatis,

Dum variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum ſilvis appingit, fluctibus aprum.

Quin igitur eum ut ſequamur neceſſe eſt, & in ea quæ habet inquiramus.

Noſti ſententiam noſtram de cauſâ phænomeni, in fonte artificiali, ſive in aquâ vaſi incluſa, illuc tandem recidere, compreſſum aerem in vaſis parte ſuperiore, ultraque ſtatum naturalem condenſatum, elatere ſuo ſeipſum (aquæ portâ datâ) expandere atque liberare, fierique hoc aeris motu ut aqua ejiciatur. Atque hæc quidem eſt ſententia (eaque plana & intelligibilis) eorum qui abſque vacui ſuppoſitione phænomenon naturæ cauſas intelligere ſe non poſſe profitentur. Nunc autem quænam eſt Thomæ phænomeni hujus ſolutio?

Dicit (§. 9.) non eſſe aeris compreſſionem & dilatationem hujus phænomeni cauſam, verùm corpuſculorum quorundam in aere: non hoc facit aer, ſed aliquid in aere, ita ut aer purus hoc non faciat, ſed atomi in aere volitantes, quæ cum aere egrediente aquamque injectam penetrante ſimul egredi non potuerunt.

Cernis V. D. niſi pudor ipſum prohibuiſſet, eum ad noſtram ſententiam acceſſurùm fuiſſe. Quid ille ſit aer purus, fateor me non noſſe, cui eſt Atmoſphæra univerſa ex variis multiformibusque corpuſculis concreta, iiſque variis (pro dato ſtimulo) motibus agitatis.

Quomodo exire poterit aer, atomis iſtis, quarum motus eſt vegetior, quarum conſiſtentia ſolidior, aquam non ſimul penetrantibus, nemo poterit (opinor) oſtendere.

Quæ

Quæ cauſa ſit ut aerem non eſſe dicamus quod eſt in vaſis ſummo relictum, nullus video.

Quin aerem omnem non ſolùm vi injectum, ſed & gravitate ſuâ locum quemvis occupantem, elaterem habere, docet experimentum de hydrargyro in tubo ad certam altititudinis menſuram deſcendente: ubi ſi tubus ante inverſionem & immerſionem, non integer impleatur, ſed unciâ defecerit, deſcendet hydrargyrum, non ad altitudinem ſolummodò 26 unciarum, ſed longè inferiùs; docetque hoc idem Thermoſcopium. Aſt ego ridiculus ſum adverſus umbram hanc (nihil ſolidi habentem) pugnando: meminiſti ſalſiſſimè apud Ciceronem deriſum Epicureum (in L. de Nat. D.) qui argumentis preſſus, Deos non *corpus* habere dixit, ſed *quaſi* corpus, neque *ſanguinem* ſed *quaſi* ſanguinem; certè redeunt hic joci omnes ſaleſque Ciceroniani, ubi dicitur, non eſſe *aërem* hujus phænomeni cauſam, ſed *aliquid in aere*, vel *quaſi aerem.*

Quin iiſdem tricis implicatur §§. 10.& 11. ubi de pondere aeris veſicæ inflati, & de ſclopeto pneumatico philoſophatur. Notum eſt veſicæ inflato aere, pondus augeri aliquantulùm. Quæ cauſa eſt? dicimus phænomeni hujus cauſam eſſe aeris inflati, ſupra liberum & ambientem aerem, denſitatem.

Reſpondet ille hoc ita contingere *ob particulas iſtas in aere, non fluidas ſed ab aere diverſas*. Verùm quid iſta faciunt ad rem ſuam? manifeſtum eſt aerem in veſicâ, aere extra veſicam, graviorem eſſe. In aere exteriore non minùs atomorum eſt non fluidarum, quàm in aere inflato; fruſtrà igitur cauſa gravitationis inde petitur, ubi omnia (unâ exceptâ compreſſione ex inflationis vi) ſunt æqualia.

Ad ſclopetum pneumaticum accedens §. 11. (cujus etiam rationes ex aeris compreſſione & dilatatione

ne

ne præſuppoſitis, apertæ ſunt & obviæ) *Ait ſe crediturum hujus rei cauſam eſſe, quod idem aer in Canone, initio rarus, deinde incutiendo aerem externum denſatus, rurſus dato exitu rareſieret. Si modo cogitabile eſſet eundem locum ſemper plenum, modò plus, modò minus materia continere, id eſt, pleno pleniorem eſſe, vel ſi concipere poſſet plenitudinem ipſam cauſam motûs efficientem eſſe poſſe, quorum utrumque eſt impoſſibile.*

Nempe adducitur hoc experimentum (capite jam ſuprà laudato) ad vacuum in naturâ evincendum; neque hic quidem, ubi de gravitate agitur, locum ullum ſibi propriè atque immediatè vendicat: At vim reſponſi videamus.

Diſputant adverſarii, manifeſtam hîc eſſe aëris compreſſionem & ex compreſſione condenſationem, fieri illud non poſſe (adeoque ut idem aër nunc majorem nunc minorem locum occupet) ſi omnia ſint plena; niſi ſint vacuola aëri interſperſa.

Quin iſtum aëris compreſſi ad dilatationem niꝫum, eſſe cauſam phænomeni in ſclopeto pneumatico.

Reſpondet iſta ſe crediturum, ſi *locus pleno plenior eſſe poſſet*, quod eſt in argumento, præmiſſis minimè negatis, concluſionem (pro more ſuo Philoſophicè) negare.

At *non eſt* (inquit) *plenitudo principium motûs* (in ſclopeto explodendo) imò quis eſſe aſſeruit? dicimus aeris reſtituentis ſe elaterem (infinitis experimentis probatum) phænomeni hujus cauſam eſſe. Interea Thomam cernimus neſcio quas pugnas acerrimaſque luctas excitantem, inter aerem impulſum & egredientem, & ſe miſerrimè cruciantem, ut non per aerem, ſed quaſi aerem, vel per corpuſcula (eo ſolo fine) in aere volitantia, hoc ſolvat; fecit, opinor, ſclopeti mentio,

tio, ut bella iſta excogitaret.

Quin pergit ad experimentum de Thermoſcopio §. 12. cujus illic compoſitionem oſtendit, à mille aliis antehac explicatam, adeoque Philoſophis notiſſimam, neque à me hoc loco repetendam.

Noſti in Thermoſcopiis (vulgaribus, de quibus hîc loquitur) ſolere aerem frigidum facere, ut aqua in tubulo aſcendat, calidiorem ut deſcendat, horumque phænomenωn rationes ex noſtra hypotheſi (quæ ſpatiola in aere vacua aeriſque gravitationem ſupponit) facillimè reddi poſſe. Nempe frigore denſatum in ſupremâ cucurbitæ parte aerem, in locum minorem contrahi, ideoq; prævalere pondus aeris vaſculo incumbentis, & facere ut in tubum plus nunc aquæ aſcendat, non quidem eo fine ne daretur vacuum, ſed quia vacuum fuit ex condenſatione factum, unde facillimus eſt factus aquæ aſcenſus: è contrà, calore rarefactum aerem in ſummâ Thermoſcopii parte majorem ſibi locum poſtulare, & expanſionis vi efficere, ut ſubjecta ſibi aqua in tubulo deſcendat. Hæc (inquam) clara ſatiſq; intelligibilia. Quid interim Philoſophus? Ait *Corpora liquida frigidiora fieri propter aerem ſibi incumbentẽ, id eſt, propter conſtãtem ventum, ipſa comprimentẽ; quare premi aquã in vaſe, ſed quo preſſa recedat, locũ nullũ eſſe, niſi in cavo tubi, & proinde aquam illic aſcendere.*

Quid faciam. V.D. quid dicam? Admirationem ita excedunt hæc omnia, ita ſtuporem arguunt excitantq; heu! quantũ eſt quod neſcimus? heu! quot ſunt in Hobbio ſtupenda, quæ nullâ ingenii vi aſſequemur unquã. Neſciebam aeris incumbentiam perpetuam, eſſe ventum, imò aerem incumbere, id eſt, ponderare, ex mente ſua neſciebam, quo quæſo principio motus? num aer deſcendet ultrò? (vide c. 26. §. 3.)

Neſciebam intima tectorũ & conclavium, ventum in-

gredi, niſi illum cujus curam geſſiſſe Claudius dicitur, neſciebam, in cavo tubi locum eſſe aſcendenti aquæ relictum: annon *plenus* erat tubus? an eſt *pleno plenior* factus? certè myſteria ſunt iſta nobis minimè penetranda.

Legerat Ariſtotelem ita ſua olim edidiſſe, ut tamen edita non forent ἀκροάματα. Ænigma hoc quidem; verùm longè eum Hobbius (ut mihi videtur) antecellit, qui ſua ita compoſuit, ut aliis forſan profundiſſimam ſcientiam, aliis ſtupendiſſimam certè naturæ ignorantiam tenuiſſe eum ſignificent.

Atque hic quidem opportunum fore, ut in Phyſicam Hobbianam animadverſiones finirem, credebam, ubi ingenii ſui ſpecimen non vulgare exhibuit; ſed neſcio quâ vi me cogit, ut admirandam attractionis magneticæ cauſam non penitùs tranſiliam: vult enim attractionis cauſam eundem eſſe motum quo pulsâ lyræ chordâ, moveatur uniſona. (Nempe ex vibrationū coincidentia, propter quā eandem utraque chorda itque reditque viam) atque hanc quidem hypotheſin me ſtatim vehementer commoviſſe non diffiteor. Unde enim in mentem ipſi veniſſet, diu multùmque cogitando, invenire nullo modo potui. Quis unquam chordam vibratam, uniſo nam ſibi attrahentem conſpexerat? quis chordæ tenſionem & tremorem in magnete intelligere poteſt? quid aſino cum lyra? quid lyræ cum lapide? cogitabam. Atque iſta ſæpiùs volvendo inſanire potuiſſem, intelligere nunquam potuiſſem, *niſi me ſervâſſet Apollo.* Memini me talia legiſſe in codicillis Muſici cujuſdam fanatici Oxoniæ celebris, tibique ſatis noti, ejuſdem nempe qui follibus, ſive vēto, omnia ferè naturæ phænomena, qui Lunæ φάσεις, ſartagine inter Lunam & oculum interjectâ abſolvit, docuit ille à chordis ad lapides

tranſiri

tranſiri non incongruè poſſe. Imò poſſe chordarum motus Muſicos, lapidibus communicari aliunde didiceram. Nam

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa *movere* ſono teſtudinis, *& prece blandâ*
Ducere quò vellet.

In iſtis igitur, uti par erat, acquievi, neque enim expectandum judicabam, ut ipſe meliora ferret unquam ſententiæ tam admirabilis argumenta. Quin ſentio ingratam eſſe tibi prolixitatem noſtram; expectas ut de omni hâc parte *naturalis ſuæ Philoſophiæ* ſententiam feram? imò tu potiùs ex paucis à nobis animadverſis, infinitiſque (ne tædio forem) omiſſis de iis judicato. Ego ſic ſentio, nihil ejuſmodi à quovis ſanæ mentis homine excidiſſe unquam, ſanæ (inquam) mentis, quia æquum eſt ut Lucumonem ſuprà laudatum excipiam. Qui in una re forſan aut alia rationem exuiſſe videatur multos invenies, (imò nihil humanius eſt, quàm ut labamur aliquando & titubemus) verùm eos qui rebus ipſis libriſque omnibus eruditorum hominum neglectis, qui ipſa ratione atque humanitate excuſsâ aut perturbatâ, pro Philoſophiâ ſobriâ, integrâ, demonſtratâ, ægrorum ſomnia venditaverint, vix paucos invenies. Sed te nimiùm in iſtis V. D. detinuimus, ad alia nunc eaque majora progrediamur, methodumque initio propoſitam tenentes videamus, an

Servetur ad imum,
Qualis ab incæpto proceſſerit, & ſibi conſtet.

SECT. IV.

Cap. I.

De Senſu & Phantaſmate.

INſtituẽrim mihi V.D. ea quæ in Philoſophia Hobbiana ma[illegible]t, ad examen revocare, noſtramq; qualem quale de iis ſententiam referre, acerbior pauló cogitatio moleſtiam quandam animique curam ingratam infert. Nempe luſimus hactenùs (ſperamus innocui) in iis verſati, quæ etiamſi levia non fuerint, imó graviſſimorum hominum ſtudiis minimè indigna, ejuſmodi fuerunt tamen, ut abſque magno vitæ, ſive hujus ſive ſecuturæ diſpendio, vel neſciri potuerint, vel errorem pati; Neque etenim magni (ſi vitæ regimen ſpectetur) intereſſe exiſtimamus, ſive *Sol ipſe motu ſimplici circulari*, ſive Δινήσει ſola moveatur. Si *plena* ſint omnia, vel *vacua* admittat rerum compages aut *interſperſa* (ut loquuntur) aut coacervata; eademque eſt cæterarum ratio; nempe rem ſuam peraget natura, nobiſque naturæ leges ſive neſcientibus ſive maxima animorum anxietate quærentibus, deſtinatas olim ab auguſtiſſimo conditore periodos atque circulos perennes abſolvet; non facient mortalium curæ, ut novâ ſive tarditate ſive celeritate ferantur, ut novam ſive anomaliæ ſive regularitatis conditionem ſubeant opera ea, quæ naturalia ſunt, ab æterno mundi rectore profecta. Quare rem hactenùs ingenii ſolius atque ſtudii tractavimus, ubi licet unicuique abſque magno periculo, ſuo (quod aiunt) ſenſu abundare.

Verùm eorum quæ diſcutienda manent longè alia eſt ratio, ea enim ſunt, quæ ad vitam regendam moreſq;

reſque hominum effingendos ferè ſola vim habent, longè etenim diverſæ rationes ineundæ ſunt homini ſapienti, ſiquid illius morti ſuperſit, ſi mentem ſortitus fuerit perennem, quàm ſi ea (diſſolutâ hâc machinâ) in auras ſtatim evaneſcat, ſi

Nobis cum ſemel occidit brevis lux
Nox ſit perpetua una dormienda.

Vel ſi nox fortaſſe non perpetua ſed longa dormienda ſit, illudque ſubeat mens hominis quod βωλητφόεον minimè deceret.

Alia certè virum ſapientem habebit cura, ſi ſint omnia ἀδιάφορα, bonum & malum nonniſi ficta ſint ab hominibus in Tyrannorum uſum, atque ſi fuerint ea ab ipſa natura illis indicata, neque ex hominum libidine dependeant. Nempe de finibus ſapientum erit diſputandum, illudque primò omnium ſtatuendum, an hominis interſit *benè vivere*, an *latere*.

Imò magni ad vitam civilem intereſt, an ſint omnia in imperio, eo modo gerenda, qui civibus libertatem ingenuam relinquat, an fuerint cives ferarum inſtar ab imperatoribus tractandi. Quin tandem momenti maximi illud eſt, utrum Religionis omne negotium, ſit magiſtratui civili penitùs ſubjectum, an ſit a D. O. M. conſtitutum, atque *Reges in ipſos imperium ſit Jehovæ.* Atque hæc quidem ea ſunt, de quibus inſtituenda erit deinceps omnis diſputatio.

Quare me ſentio perturbatū aliquantulùm non aliter ac ſolent ipſi qui familiarem aliquandiu callem terentes, in loca tādem aut ignota aut inamœna, vel ſentibus obſita incidentes, de via ipſa omnique deinceps curſu inſtituendo dubitare incipiūt, atque deliberare.

Vidiſti quam fuerit hactenus levis & quaſi jocu-

laris omnis noſtra oratio, quid fuerit genio (ad triſtia & ſeveriora non admodum proclivi) hactenus indultum, at nunc in iſta quæ *ſacra* ſunt ingredienti pertimeſcere incipio, ne ſit inhoneſta & indecora futura omnis hilaritas, ne ſit (ſale abjecto, atque aceto) ferro deinceps atque igne medicina omnis pro *ægroto hoc vetere* inſtituenda.

Noſti V. D. quæ ſit virorum optimorum de Hobbianis ſententia, nempe ſcopum eorum (quæ ſequuntur) unicum eſſe, ut religionem omnem & pietatem evertat; ut levem corrumpat juventutem, ut jus faſque omne confundat, ſacra profanis commiſceat; ut finem hunc turpem aſſequatur, magiſtratum eum Deum facere, falſi & veri, ſancti & profani, boni malique dictatorem. Quare adverſus ipſum non oratione ludicrâ aut falsâ differendum, ſed intonandum eſſe potiùs, eumque cum ſuis omnibus in immane (unde profecta ſunt) barathrum relegandum.

Facit quidem hæc cogitatio, ut hærerem aliquantulùm, metuens ne amicis atque inimicis pariter diſplicerem, ne forſan quod his nimiùm, illis parùm videatur: Et mihi quidem de Hobbio omnique ejus familia, cura omnis jam antehac evanuit: novi ſatis hominem, ejuſque mores, quam ſit ipſi ſolenne voce unâ aut alterâ (ut puta *ſtulti*, *mendacis*, *ſcelerati*, *canis*) omnes adverſus ipſum objectiones eluere. Quam ſint hæc turpia, viriſque Philoſophiam profitentibus indecora, neſcire nequeunt, & tamen volunt nonnulli, ut eum, *impium*, *ſceleratum*, *ſtultum*, *Atheum*, ubique appellem, ut furore ſacro in ſacrum caput inſurgam. Cur non iidem monent ut beſtiæ calcitranti velim recalcitrare?

Nempe hoc eſt, quod jactant magiſtri hujus diſcipuli infelices, ſolere miniſtros adverſus dogmata

Hob-

obiana ingenti quidem calore è pulpitis tonare, gmata autem ipſa minimè intelligere, nedùm evere; faciuntque illi quidem rem ſuam, quorum eſt id curare, nequid detrimenti populus capiat, iiſq; i malè rem velint adminiſtrare, planè analyticè à ænomenis ad cauſas, à fructibus ad radicem erit ocedendum : concluduntque non ſine maxima rane falſam atque impiam eſſe eam Philoſophiam, æ dogmata pietati omni inimica ſe demonſtrare ofitetur.

Verùm nobis alio planè modo agendum eſt, ibiq; icipiendum,ubi deſinunt Theologi; retexenda nimium ſunt dogmata Hobbiana, atque à primis eorum & ſimpliciſſimis fundamentis diſcutienda, philoſohicis ſolummodo,ſive naturalibus principiis innitenlo; quà quidem in re non tam calori locus eſt,quàm irmæ ſtabiliſque rationi.

Atque hic quidem ſi ridicula ſint prorſùs portentoſæ ſententiæ fundamenta, atque ipſe forſan eum non *ſtultum*, non *impium*, non *Atheum* vocando, ſed hominem levem, jocularem, in ſacris ludentem, ſibique millies contradicentem inveniendo, pro dignitate ſuâ excepero, nemo virorum optimorum & graviſſimorum (ut ſpero)illud mihi vitio vertet,etiamſi forſan à triſtiori (ne dicam ſævâ) oratione abſtinuero. Vidimus certè autores adeò graves,ut non ſint ferendi: imò (ut extrema poſſim præoccupare) in eà planè ſententia ſum, quòd

—ridiculum acri
Fortiùs & meliùs magnas plerumq; ſecat res.

Quare quod initio ſuſcepimus, illud proſequemur, nempe in doctrinæ Hobbianæ de *Homine*, de *Cive*, de

religione fundamenta breviſſimè inquirendo; de homine autem iſta erunt ſermonis capitula. Nempe de

1. *Senſu.*
2. *Imaginatione.*
3. *Diſcurſu.*
4. *Comparatione Hominis & Bruti.*
5. *Animæ naturâ & ratione.*

De iſtis ea quæ occurrunt in libellis ejus, primò proponam, in ea deinde inquiram breviſſimè. De ſenſu autem agit in Corp. Cap. 25. L. Cap. 1. H. Cap. 2.

Incipit nempe Leviathanem à doctrina ſenſûs, unde omnis de *Homine*, de *Cive*, de *Cive Chriſtiano*, deinceps ſecutura ejus oratio depender, placetque ſibi adeò in iis quæ illic tradit, ut à triumpho in omnes totius orbis Chriſtiani Academias, abſtinere non potuerit. Hæc (inquit) eſt noſtra de ſenſu ſententia; *Verùm Philoſophiæ ſcholæ, per omnes totius orbis Chriſtiani Academias, aliam doctrinam docent; dicentes, viſionem fieri, quoties res viſa ſpeciem undiq; emittit viſibilem, cujus receptio in oculo Viſio eſt. Quod etiam de aliis ſenſibus, imò de ipſo intellectu docent &c.*

Quis non metuat immanem hanc belluam, Academias ſtatim omnes devoraturam? Quam tamen fuerit falſa & temeraria iſta aſſertio meminiſti tu *Vindicem Academiarum* alicubi oſtendiſſe, nempe receptam fuiſſe inter nos doctrinam illam, quæ ſenſûs non ſolùm ſed & univerſæ naturæ phænomena, per motum, reliquaque ea principia quæ ſunt intellectui cujuſvis obvia, exponit; adeoque fruſtra eum jactâſſe ſe inventorem illius doctrinæ quam diu ſatis ante operum ejus editionem, noſter Digbæus, Carteſius, Gaſſendus, Gilbertus, & in libello ἀνεκδότῳ Warnerus, forſan & alii complures, qui mihi non occurrunt,

runt, tradiderant. Sed nolo tibi (Vir Doctiſſime) refricare in memoriam, ea quæ paſſus eſt hac de cauſa & reportavit, iſte Vindex nempe Thomæ huic noſtro manent ea altâ mente repoſta. Hinc eſt quod fremit adhuc furítque.

Uritur infelix Thomas, totuſq; vagatur
Urbe furens: qualis conjectâ cerva ſagittâ.
—illa fugâ, ſylvas ſaltuſq; peragrat
Dictæos, hæret lateri lethalis arundo.

Nullum ex eo tempore libellum edidit, ubi eum (vindicem) ſtultum, ſceleratum, mendacem, aut non appellaverit, aut *Catulo* non comparaverit; nempe faciliora ſunt iſta, atque ingenio Hobbiano magis accommodata, quàm ut vindicem iſtum ratione aliqua (cujus neque umbram hactenus adverſus eum attulit) refelleret. Sed nolo importunam hâc occaſione inſtituere digreſſionem; non jam quæritur, an primus iſta Hobbius invenerit; verùm an rectè ea propoſuerit; neque illud agitur, quam *citò* iſta docuerit, ſed quàm *benè*. Ubi tamen in ejus ſententiam erit paulò accuratiùs inquirendum.

Nec ſatis eſt dixiſſe, ego mira poemata pango.

Noſti V. D. eos qui noſtris temporibus, Philoſophiam, ita ut intelligi poſſit, proponere ſtatuerunt, (nempe Mathematicè) iſtis verſiculis principia ſua comprehendere (ante Hobbium) ſolere. Nempe

Mens, menſura, quies, motus, poſitura, figura,
Sunt cum Materia, cunctarum exordia rerum.

Atq;

Atque ipſe quidem cæteris cum aſcenſum minimè deneget, in eo interim eſt totus, ut *mentem* eripiat, adeò ut quod de Ariſtotele abſente dicere ſolebat Plato, illud de omni Philoſophia Hobbiana non immeritò dici poſſit, ὁ νοῦς οὐκ ἦλθε. Nempe licebit illud ſemel huic omni de Homine diſquiſitioni (præſumendo) præfari, totum eum eſſe, ut mentem humanam nihil eſſe faciat à corpore diſtinctum, atque hinc eſſe quod

— verſat
Saxum ſudans nitendo, neq; proficit hilum.

Quæritur hoc loco, quid ſit *ſenſus*, quid item *phantaſma*, ſive illud τὸ φαίνεσθαι & quomodo noſti illud omnes per *ſenſus* vocabulum intelligere, *nempe perceptionem quandam intùs factam, talem de qua conſcii nos ſumus, perceptionem* (inquam) *cum conſcientia*, neq; etenim hanc rem meliùs verbo uno explicare poſſum. Quæritur quid ſit iſtiuſmodi perceptio, & unde, & quomodo fiat. Atque Hobbius quidem locis citatis hæc habet, L. c. 1. *Cauſa* (inquit) *Senſûs eſt, quod objectum (vel mediatè vel immediatè) organum premit, quæ quidem preſſura, nervis mediantibus, aliiſq; fibris & membranis, intùs ad cerebrum atq; cor continuatum, reactionem quandam efficit, ſeu cordis conatum ad ſeipſum liberandum, qui quidem conatus, quia extrorſum fit, videtur eſſe aliquod extrinſecum, atq; hoc quidem τὸ videri, ſive phantaſma, illud eſt quod Senſum homines appellant.*

Lib. de corp. c. 25. §. 2. *Senſio* (inquit) *in ſentiente, nihil aliud eſſe poteſt, præter motum partium aliquarum, intùs in ſentiente exiſtentium, quæ partes motæ, organorum quibus ſentimus partes ſunt.*

Articulo eodem. *Senſio* (inquit) *eſt, ab organi ſenſorii*

ſorii conatu ad extra, qui generatur à conatu ab objecto verſus interna, eoq; aliquandiu manente, per reactionem factum phantaſma.

Hæc quidem ea ſunt quæ fecerunt, ut in univerſi orbis Chriſtiani Academias triumpharet, quam fecerit hoc meritò, breviſſimè oſtendam.

Tria planè ſunt (præter objectum) quæ de ſenſione quæruntur, organum nempe, ſubjectum, & modus: nos primùm de ipſa ſenſione, deinde de objecto ſenſionis dicemus.

Per Organum intelligunt omnes corporis partem, ubi ſenſio perficitur, ubi igitur illud ex mente hujus Philoſophi? Vis igitur, ut reſpondeat tibi *Leviathan*, vel ut hoc faciat *corpus*? utrum horum mavis accipe. Dices perinde tibi eſſe, undecunque ſumatur reſponſum, cum ab eodem utrumque profluxerit parente, *corpus immane* nimirum & *orpuſculum.*

At falleris, vir eximie. Nam ſtatuit Leviathan phantaſma fieri (id eſt compleri ſenſionem) in *Corde* conante, ut ſeipſum liberare poſſit ab objecti prementis oppreſſione; adeoque ſtatuendum videtur organum ſenſionis & phantaſmatum unum eſſe, nempe cor ipſum, cujus reactione fit ſenſus omnis. At cavendũ eſt, ne quid in hac re temerè pronunciemus; nam libellus de corpore organa plura ſenſionis ponit, ea (opinor) quæ vulgò ſic appellantur, ſtatuitque ſenſionem in illis fieri: cernis immodicam organorum ejus diſſonantiam.

Tu forſan (pro candore tuo) dices hæc convenire poſſe, fieri ſcilicet poſſe, ut tum in corde tum etiam in organis cæteris perficiatur ſenſus. At inquit *corpuſculum* ſenſionem nihil aliud eſſe *poſſe* præter motum partium *organorum* quibus ſentimus. Fieri igitur non poteſt, ut in reactione cordis conſiſtat ſenſus. *Corpus*

pus planè rebelle & contumax, quod illud fieri poſſe negat, quod reipſa fieri ſtatuit ſuprema ipſius authoritas *Leviathanis*.

Multa certè ſunt, quæ faciunt adverſus utramque hanc ſententiam, atque evincunt eum nonniſi pro more ſuo feciſſe, cùm abſque *cerebro* de communi ſenſûs organo diſſeruerit. Nihil certè notius eſt iis, qui corporis fabricam contemplati ſunt, quàm convenire propè Glandulam Carteſii Pinealem organorum omnium nervos, quod nuſquàm in corde faciunt, quo quidem argumento cor hoc officio privatur.

Imó ex fallacia quadam ſenſûs, mentiſve præjudicio illud ſumitur, in *organis* ſenſionem perfici, quod multis probari facilè poſſet experimentis. Nôſti præclarum, ex eo ipſo cui præes Collegio, virum, cui non ita pridem præ ictu Chirurgi phlebotomiam infeliciter exercentis, brachium ipſum (dolore utriuſque noſtrûm ingenti) eſt amputatum, hunc (inquam) nôſti narrare ſolitum, ſe, brachio ferè integro privatum, ſenſiſſe tamen dolores digitorum ſingulorum, imò ſingulorum articulorum (tactis nimirùm ſingulorum nervis motivis) quod unum evincit, non eſſe in manibus, verùm in cerebro ſenſum eum, quem ſolemus deluſi illîc eſſe judicare.

Num igitur certant ſe mutuò deſtruere (batrachomyomachiâ quâdam) ſententiæ Hobbianæ, cernis utramq; aliũde facillimè everti poſſe. Imò ipſe utramque evertit §. 4. capitis jam laudati, ubi *organa ſentiendi* (ait) *& ſpiritus eſſe, & membranas à meninge ortas, imò ipſum cerebrum & arterias in cerebro.* Ubi mirandum eſt ipſum, ut Satyram impleret, quatuor etiam humores, imò cibum & potum fumumque Indicum non adjeciſſe. Sed nolumus morari.

Vehementer, nempe, ſcire cupio, quodnam ſit illud *ſub-*

ſubjectum (ultimum) ubi fiat ſenſio, ſeu perceptio, ejuſque *perceptionis modum.* Hunc unum ſi mihi nodum ſolverit, dicam eum eſſe hominem egregiè cordatum, (qualis fuit *Catus Ælius ſextus*) quin igitur attende (inquis) profundiſſimi hujus Philoſophi, eximiique Academiarum Reformatoris acroamatis.

Senſionis (inquit) *ſubjectum illud eſt, in quo inſunt phantaſmata.* Miraris (opinor) hominis ſubtilitatem; quin igitur tu quærere (quæſo) perge, neq; negligamus eam quam nacti nũc ſumus diſcendi opportunitatem.

Ego quidem, niſi illud moleſtum ſit, libenter quærerem, quid illud ſit, in quo ultimò inſunt phantaſmata. *Phantaſmata* (inquit) *inſunt in ſentiente.* Parum certè abeſt, ut clamem εὕρηκα. Ecce etenim myſterium paucis revelatum, *Subjectum* (inquit) *ſenſionis eſt ipſum ſentiens*, imò *ſenſio ultimò ineſt in ſentiente.* Quid clarius? quid manifeſtius? quid denique Philoſopho hoc noſtro dignius dici poteſt?

Quin dicat (obſecro) quodnam ſit illud ſentiens, & quomodo fiant ſenſio & phantaſmata, plauſuque debito ſtatim eum dimittam. Atque de modo quo fit ſenſio, habemus eum abundè ſatis diſſerentem: nempe ſenſio eſt mutatio, mutatio eſt motus in partibus mutati, breviſſimè. *Objectum premit organi partem extimam, illa proximam, & ita propagatur preſſio, ſive motus ille per partes organi omnes uſq; ad intimam.* §. 2. Nempe illud planè ſtatuit, ut cernis, *ſenſionem* nihil eſſe aliud, præter motum localem partium quarundam in corpore, atque ul[illegible]um illud ſentiens, de quo quæritur, eſſe *corpus ipſum*; nullo principii alicujus à corpore diverſi, adhibito adminiculo. De hac re poſtea: interea quæramus, quid ſit *phantaſma.*

Atq; magna certè eſt illa felicitas, ubi nihil opus eſt niſi quæſtiones proponere, quibus paratæ ſunt atque

in promptu habitæ reſponſiones.

Annon enim hoc ipſa ſenſionis definitio habet, ubi *ſenſio* per *phantaſma* definitur. Senſio igitur omnis cum ſit phantaſma, ut aliquod ſaltem phantaſma ſit ſenſio eſt neceſſe. *Eſt* igitur *phantaſma, motus partium aliquarum* (localis) *in ſentiente.*

Ecce omnia aperta; at nubem obducunt, ea quæ habet (corp. §. 3. cap. laudati) *Nempe quod phantaſma eſt ſentiendi actus, & differt à Senſione, non aliter quàm Fieri differt à Factum eſſe, quæ differentia in inſtantaneis nulla eſt, fit autem phantaſma in inſtanti.*

O cæcas hominum mentes! certè myſterio multiplici hæc mihi aciem obtundunt; & libentiſſimè, ſive à teipſo ſive à Thoma, diſcerem, eorum quæ nunc proferam, fallaciam.

Quod fit in inſtanti, illud motus non eſt; verùm phantaſma fit in inſtanti, ergo phantaſma motus non eſt.

Subſumo, ſed ſenſio motus eſt, (*nihilq; aliud eſſe poteſt præter motum*, ſupra) nullum igitur phantaſma eſt ſenſio, ſenſio igitur non eſt phantaſma.

Imò verò ſentiendi actus, eſt actus ſentiendi, actus ſentiendi eſt ſenſio, ſenſio eſt motus. Eſt igitur denuò phantaſma motûs ex mente Hobbiana. *Videtur* (ut cernis) *quod ſic.* At verò probatur quod non; nempe *differt phantaſma à ſenſione, ut Factum eſſe differt à Fieri.* At verò motus omnis in Fieri conſiſtit, non autem in Factum eſſe; *phantaſma* in Factum eſſe, non autem in Fieri; phantaſma igitur non eſt motus.

Nos quid ad iſta dicemus? vel qua ratione arietationes iſtas tollemus? nollem certè, ut tantus Philoſophus ſeipſum deſtrueret, ut idem ipſe aſſereret illud, quod in Fieri conſiſtit, idem eſſe cum eo quod in Fa-

ctum

Digitized by Google

ı eſſe; videntur hominis gravitate atque ætate, hæc gna. Quare (ſi ferri illud poſſet) dicerem ego Hobbium Hobbio, vel Thomam Thomæ, ſed ɔbium potiùs Thomæ contradicere. Sed nugis iſtis iſſis, in rem ipſam ſenſionis ſeriò aliquantulùm uiramus.

Nempe illuc noſtra omnis tendit oratio, ut videas, an ulla rationis ſpecie ſtatui poſſit, ab homine naturales ſerió, & ſobria mente conſiderante, ani non eſſe opus ad hominis naturam explicandam, imâ, inquam, à corpore ipſo, quæ ſit naturæ planè verſæ. Ubi illud non opus eſt tibi V. D. in mentem vocare, quod ſi *ſenſionem* & *τὸ φαίνεσθαι*, abſque eſmodi mente vel animâ explicare poſſemus, non taen exinde ſequi, opera omnia humana eodem modo :plicare poſſe, cum operationes edat innumeras ho.o(tum cogitando, tum ratiocinando, tum objecta uædam minimè ſenſibilia percipiendo) quæ ſenſiois hoc opus longo ſatis intervallo excedunt; verùm è contrario contingat, ut neque hoc ipſum *τὸ φαίνεσθαι* ex nuda corporis alicujus confirmatione, aut agiatione, aut quâcunque demùm tractatione, intelligi ɔoſſit, ut oriatur, tunc quidem à fortiori (quod aiunt) ecuturum, non humorum, non carnis, non ſanguinis, aut nervorum motu vel agitatione ſolâ, verùm fieri ex diviniori aliquo principio, operationes iſtas effluere quaſi & emanare.

Quare attendamus (obſecro) ad prima atque profundiſſima hujus [hominis] principia unde ea omnia quæ portentoſa ſunt adeò, in ſequentibus derivantur. Incipiamus autem ab *objecto*. Objectum (inquit) movet organum. Benè habet, quid tum poſtea?

Organum perpetuum propagat motum ad partes intimas. Benè hoc etiam; eſto ad cor. Cor ipſum quid facit?

Cor

Cor ipſum (motu quodam dilatationis, ut fit in ſyſtole, vel tenſione partium naturali, quæ eſt fibrarum omnium) repellit nervum, qui motum objecti tulit ad cor, atque ita fit motuum quædam circulatio. Atque hoc totum illud eſt quod uſquam eſt ab Hobbio poſitum, ad ſenſus & rationis phænomena ſolvenda.

Quærimus nunc, quid eſt τὸ φαίνεσθαι, & cui demum ſubjecto (ut loquuntur) formali, illud τὸ videri, contingat.

Num ſanguini, num carni, num ſpiritibus, num venis, arteriis, nervis, num cerebro ipſi, num cordi? Nempe ſunt hæc omnia inſenſilis planè naturæ, ſive ex atomis, ex ſententia Hobbiana & noſtra, ſive elementis vulgaribus, ex aliorum ſententia, conſtructa, quæ quidem ſive atomi ſive elementa nullam omninò ſenſionem habent; vel, ſi habuerint, oſtendi nullo modo poterit, quomodo corpuſcula ferè infinita diviſim ſentientia, in ſentiens unum coaleſcant.

Imò verò quid eſt illud τὸ φαίνεσθαι? Cernis nihil illum in omni ſenſationis circulo præter corpus (ex inſenſilibus compoſitum) & motum ad iſtud admirabiliſſimum phænomenon exhibuiſſe, nempe moventur nervi, cerebrum, cor ipſum, & ſi velis organa, *imò* & aer inde externus & omnia, verùm non jam de motu ipſo, ſed de motûs perceptione quæritur; atque ut nos ubique motu ſenſionem hanc minimè fieri, concedemus petenti; ſic motu locali ſolo fieri, nullo modo poſſumus largiri.

Nempe moventur partes corporis, atque motus iſte φαίνεται, *cui* demum φαίνεται? nam relativum eſt iſtud. Si corpori ipſi, motus partibus eo ipſo quod moventur; ergo phantaſmata motûsq; ſui concipiunt ea omnia quæ moventur.

Imò verò (inquit) phantaſmata concipient omnia

quæ

moventur, ſed ea quæ *organa* ad hanc rem apta ent duntaxat: verùm enimverò malè eum habere eſſe eſt, quod ab ipſo *organi* vocabulo omnino in negotio non abſtinuerit; nempe *organum* non-*inſtrumentum* eſt, & inſtrumentum eſt alicujus erioris agentis inſtrumentum: organa ſenſûs ſunt vi (& ſecundum eum ſpiritus) cerebrùm ipſum, & nèpe diſertis verbis, hæc omnia (præter oculos, au-ſenſuũmq; reliquorũ inſtrumenta) orgãa appellat; æto igitur cujus demùm ea ſunt organa? quinam ſit e tandem artifex? cujus iſta ſunt inſtrumenta? Dicat hi demùm cujus tandem (ultimò) reſpectu fiant ta τὸ φαίνεσθαι, nempe & *organum* eſſe. Num atomus tomi, humor humoris, elementum elementi, vel com-ages altera alterius, vel pars partis, eſt organum? um quotieſcunque fit motus cum reactione manente unt eorundem motuum phantaſmata? illudque ve-um eſt quod dicere eum ſæpiſſimè ſolitum audivi. Animalia eſſe & Campanas cùm pulſantur, & turbi-les puerorum cùm rotantur, nempe phantaſmata motuum ſuorum ea tum temporis percipere? ab iſtis ſe liberet objectionibus ſiquidem potuerit. *Siquid habens anima, ſiquid in arte valens.*

Summa hæc eſt, ex ſententia Hobbiana, iiſq; omnibus quæ ab ipſo tradita invenimus, *Animal eſſe debere, & ſentire vel phantaſma concipere, corpus quodcunq; cum reactione (ſaltem aliquandiu manente) motum.* Nerviq; in arcu atq; in animali, eundem prorſus uſum eſſe, idem officium. Imò verò quis iſta crediderit? quis iſtam phantaſticam non eſſe Philoſophiam affirmet, quæ rebus omnibus phantaſmata largitur ut concipiant.

Scio non defuturos ex diſcipulis ejus nonnullos, qui me ſententiã ipſi alienã impoſuiſſe atq; effinxiſſe exiſtimabũnt, quare oſtendant ipſum ad ſenſionis expli-

 cationem,

cationem, vel meliora, vel alia tuliſſe, quæ non ſint omnino obſcura atque inſenſata, atque ipſe eum pro dignitate ſuâ eveham. Quòd ſi hæc ea ſunt, (uti ſunt reverà) eaque omnia, quæ Philoſophus hic novus detexit, eaque quibus omnia quæ de Homine deinceps habet, innituntur; quis non miretur eum & Academias Chriſtiani orbis univerſi præ ſeipſo omnes deſpicatui habere, & inter homines qui Philoſophiæ nomina dederunt, diſcipulos eum invenire vel potiùs admiratores, qui eum in Philoſophia, neſcio quæ præclara, inveniſſe crepant. Quin igitur proferant ea in lucem, oſtendant quidnam illud ſit, quod in ullâ ſive Mathematicæ, ſive Philoſophiæ parte invenerit. Hæc quæ à nobis jam ſupra ſunt prolata, ea ipſa ſunt, quorum intuitu in ipſo Leviathanis veſtibulo, in omnes Chriſtiani orbis Academias (de Paganis reverentiùs forſan ſentiens) triumphandum eſſe judicavit.

Cernis V. D. fruſtra nos hactenus ſenſum in doctrina de ſenſione quæſiviſſe, quod quidem magnopere dolendum eſt.

Communi ſenſu planè caret, inquimus, eheu!

Nos interim videamus, an *flebile principium melior fortuna ſequatur.*

Cap. 2.

De Imaginatione, ubi de Memoria & de Somniis.

Quin igitur ad ea quæ de Imaginatione habet accedamus illico, quid ſit imaginatio diſcamus, quid Phantaſia, quid Memoria, quid Somnus & Somnia;

nia, *quales ſoleant volitare figuræ,*
Aut quæ ſopitos deludant ſomnia ſenſus.

De his quidem agit in Libelli de Corpore capite ſupra laudato, in L. Cap. 2. in H. Cap. 3.

Atque utinam hæc ab ipſo, abſque ferulæ metu, vel virgarum, diſcere poſſemus, utinam abſque inſultu in Scholas atque Academias. Sed ita ſe rem habere noluit, non patietur pro abſoluta poteſtate Lèviathan, ut diſciplinam innocuam ſcientiamque inermem ab ipſo accipiamus, fuit ea quidem aliis nonnullis mens, illud judicium, alliciendos eſſe auditores, eorumque quaſi capita mulcenda, ut Philoſophiæ ſeverioris haurire velint latices.

Id quoq; enim non ab nulla ratione videtur;
Nam veluti pueris, abſinthia tetra, medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoq; liquore:
Sic etiam quoniam hæc ratio plerumq; videtur
Triſtior eſſe quibus non eſt tractata.——
Debuit ipſe quidem rationem exponere mollem
Et quaſi muſeo dulci contingere melle.

At noluit tritam iſtam aliorum Philoſophorũ ſemitam ingredi. Non eſt ille Leviathanis Genius, ut homines alliciat, verùm ut cogat prorſus —*fremit æquore (toto Inſultans.*—

Præbetque ipſi capitulum de Imaginatione (L. 2.) duplicem in Scholas triumphum, quorum alterum capitis ferè initium, alterum finem ornare voluit.

Nempe *Scholæ ſtatuunt gravia deſcendere ex quietis appetitu, appetitum & boni ſcientiam rebus inanimatis abſurdè deſcribentes.* L. pag. 4. (Quam fuerit gravis, imò quàm levis, ipſius de gravitate ſententia, ſupra oſtendimus)

oſtendimus) *Scholarum officium illud eſſe debet, ſuperſtitioſum ſpirituum abolere, timorem, — &c. At ipſa neſcientes quid ſit imaginatio, quid ſenſus, quod acceperunt, docent — alii dicentes cogitationes bonas à Deo, malas à Diabolo, aut inſpiratas eſſe aut infuſas &c.* (p. 7, 8.) Atque de his poſtea.

Tu forſan expectabas, ut Leviathan iſte ab homine incipiens, deſineret in piſcem; imò uniformis eſt planè, à cõtemptu Academiarum incipit & deſinit in eundem. Vides ſtatim initio exerentem ſe Leviathanis iſtius genium, locumque cernis Apologiæ pro ſcholis paratiſſimum, apud eos ſaltem, qui *Deum* eſſe ſtatuunt & *Diabolum*. Sed non patiar, ut me nunc avocet, quippe infinitus eſſem, ſi pro datis ubiq; occaſionibus eum inſequerer, qui tamen pro eâ quâ eſt indole Academias ſe nuſquam læſiſſe profitetur. Sed ad res ipſas tranſeamus, atq; ab *ipſo* tandem *accipiamus*, quod *docere* tutò poſſimus, quæ ea ſint de quibus initio jam ſupra loqui propoſuimus.

Nempe {
1. Quid ſit Phantaſia.
2. Quid Memoria.
3. Quid Somnus.
4. Quid Inſomnium.
} & quomodo hæc fiant.

Quid ſit ſenſus, ex mente illius jam ſupra quæſivimus, hoc autem explicato, pro more Hobbiano, ſperandum eſt nos poſſe ab ipſo etiam doceri cætera.

Quin igitur attende, obſecro. Quid (putas) eſt Imaginatio? *Imaginatio eſt vox Latina, quæ quidem non adæquatè convenit Phantaſiæ Græcorum, quoniam non omnia phantaſmata imagines ſunt, eâ tamen jam ſatis intellectâ, pro phantaſia uſurus eſt.* C. §. 7. Benè habet! dedit tibi quid nominis, ne forſan hæreas in cortice, deditque quandam phantaſmatum diverſitatem, *quædam* etenim *phantaſmata* ſunt *imagines*, *quædam* non

non ſunt *imagines*; præclarè & diſtinctè! nunc ut dicere velit, primò *quid ſit imago*, deinde quænam ea ſunt phantaſmata quæ ſint, quænam autem ea, quæ non ſint, imagines.

At nollem te vanâ ſpe lactari, hoc eſſet res more Academicorum tractare, cernis intentum eum eſſe totum, ut ſuperſtitionem omnem tollere poſſit & profligare, fruſtra igitur ab ipſo imagines expectandas.

Si vis rem penitiùs (per omnia ejus opera quærendo) conſiderare, hoc ſolùm ab ipſo reportabis, *imaginem* eſſe *phantaſma*, *phantaſma* autem eſſe *ſenſionem* (id eſt motum *organi*) in *factum eſſe*; Quid ſit *motus in factum eſſe* (qui tamen omnis in *fieri* conſiſtit) fateor me minimè ſatis aſſequi poſſe, *motum* (opinor) vult *ſtantem* & *permanentem*; ſed ad ipſum potiùs attendamus.

Quid ſit Imago quærendum reliquit, at dicet nihilominùs quid ſit Imaginatio, & quomodo à ſenſu differat. *Nempe motus organi, præſente objecto, Senſio appellatur, remoto autem ſive prætervecto objecto, manente tamen phantaſmate, phantaſia, & Latinis Imaginatio appellatur.* (Corp. c. 2. 25. §. 7.) Id eſt φαντάζεσθαι eſt *motus organi*, manente phantaſmate, objecto autem prætervecto.

Tu forſan V. D. ad iſta ſubtilia non ſatis attendens, exiſtimare poſſis, futilia ea eſſe & reciprocantia, nempe φαντάζεσθαι illud eſſe ubi eſt phantaſma. At certè profundiora ſunt iſta, imò ut ſemel illud proferam, eſt ipſe reverà *Sphinx philoſophicus*. Nempe verba jam propoſita hoc ſonant, *Imaginatio eſt motus organi, abſente ſeu prætervectâ causâ motûs iſtius, manente motu organi, in factum eſſe, non autem in fieri.* Illuc nimirum redit hæc Imaginationis deſcriptio,

eam in principia ſua reſolvendo.

Imò verò (inquis) aliam planè habet Imaginationis definitionem Sectione eâdem, *Nempe Imaginatio nihil aliud eſt revera quàm (propter objecti remotionem) langueſcens vel debilitata ſenſio.*

Cujus definitionis etiam reſolutæ hic ſenſus eſt, *Imaginatio nihil eſt aliud reverà quàm langueſcens vel debilitatus motus organorum*; motus langueſcens motus eſt, & ſenſio eſt motus, ut eſt in *fieri*; quare *Imaginatio* eſt Hobbio *nihil aliud* revera *quàm motus organi in Fieri, non autem in Factum eſſe.*

Nôſti ridiculam quandam de duobus Collegii cujuſdam (ſemper celeberrimi) ſcholaribus ſive fabulā ſive hiſtoriolam; qui olim ad regem *Woodſtochii* agentem miſſi, ut licentiam ab ipſo impetrarent, pro portâ quâdam, in muro qui civitatem hanc noſtram cingit, facienda, de eo coram rege litigârunt, an portam peterent in *Fieri*, an verò potiùs in *Factum eſſe.*

Audivimus etiam quendam ex myſticis concionatoribus ſermonem ſuum ita nuper exorſum fuiſſe; *portas* nimirum eſſe *rerum imagines.* Utinam dicere vellet, utrum portam habere cupiat in Fieri, an in Factum eſſe? dices in utroque, nempe ſenex eſt, ſolentque ipſi aliquantulùm eſſe avari; neque ego parcus ſum admodum, illudque libenter ipſi largiri poſſem, niſi præcluſiſſet ipſe ſibi hanc portam. Si dixiſſet Imaginationem eſſe motum organorum, tum in Fieri, tum in Factum eſſe, de ſenſu verborum quærere poſſem, de ſententiarum conjunctione queri non poſſem: verùm cùm illud aſſeruerit, Imaginationem *nihil aliud eſſe reverà quàm motum in Fieri.* Neceſſe eſt ut ipſe ſeipſum curet, & ſibi ipſi providere velit, mihi etenim ad alia eſt properandum.

Quærendum eſt nempe ſecundo in loco, quid ſit

Thomæ

Thomæ noſtro *Memoria*, & quomodo contingat, ut *Reminiſcamur.*

Neque fieri poteſt; ut tu paratior ad quærendum accedas, quàm ipſe ad reſpondendum, habe igitur diſertè reſponſum.

Memoria (inquit L. c. 2.) *eſt ſenſus langueſcens, res ipſa eſt Imaginatio, ipſa autem elangueſcentia eſt memoria; nempe Imaginatio & Memoria, ſunt res una, nomina diverſa.*

Lib. de Corp. Cap. citato. *Non differunt* (inquit) φαντάζεσθαι *& memoria, niſi quod meminiſſe ſupponit tempus præteritum,* φαντάζεσθαι *non item, ita ut memoria ſit attrita phantaſia, & diſtinctio ſit non rerum ſed conſiderationum.*

Libello de Homine antehac edito c. 3. memoriæ proceſſum integrum hoc modo deſcribit, *Senſibus* (inquit §§. *6. 7.*) *objecta percipimus, quin & conceptus aliquo modo percipimus, & redeunte (poſt aliquod intervallum) conceptu, percipimus redire eum, quod eſt rem præteritam imaginari, hoc autem ſenſui eſt impoſſibile, eſt igitur memoria perceptio aliqua à ſenſu diverſa.*

Quin lib. de Corp. & de Homine, ait *memoriam eſſe notationem abſentiæ partium, quas expectamus ſucceſſuras; poſt totius (objecti) conceptum.*

Iſta legenti mihi & cùm aliis hujus Autoris conferenti, certè ſubit hominis ſive fortunam ſive fatum impenſiùs admirari, unde nimirum contingat eum nullo in loco, nullâ in ſententiâ, abſque contradictione ſibi ipſi factâ, unquam evadere.

Eſt (inquit) memoria *ſenſus* (nempe langueſcens) deſcriptione primâ, imò verò *non eſt memoria ſenſus*, verùm conſideratio rei præciſè, ut præteritæ, quod *ſenſui eſt impoſſibile*: hoc habet ſententia tertia.

Non differunt φαντάζεσθαι & recordari inquit ſenten-

Digitized by Google

tia ſecunda; φαντάζεσθαι eſt motus organi abſente objecto motivo; imò meminiſſe eſt rem, ut præteritam concipere, quod in phantaſiam non cadit ex ſententiâ tertiâ.

Quo teneam, vultus mutantem Protea, nodo?

Memoriâ (inquit) percipimus, nos rem antea percepiſſe, (atq; illud meo judicio non malè) at ipſa phantaſiæ elangueſcentia hoc non percipit, neque facit ut percipiamus, non eſt igitur memoria elangueſcētia. Imò eſt (inquit) ipſa Imaginationis elangueſcentia. Cernis V. D. lubrico in loco nos verſari in ejus ſententiam inquirentes, neque tamen opus eſſe, ut magno ſtudio aut labore ſententiam ejus evertamus, diruit, ædificat, diruitque denuò. Quid faciam, aut quo me vertam, planè neſcio; ſi Leviathanem transfodiam fugiet ad libellum de Homine, unde nonnullis neglectis, alia in Leviathanem tranſcripſit: ſi homunculum illum jugulavero, ad Leviathanem ſe recipiet.

Fateor equidem, nonnihil eſſe in quo conſentire videntur libri ejus omnes de memoria loquentes, at malo ſuo accidit, ut ſit illud maximè omnium exceptioni expoſitum, ait nimirum *Memoriam eſſe notationem abſentiæ quarundam partium, poſt totius conceptum objecti,* atque inſtantiam adhibet in civitate vel domo, aliquandiu poſt conſpectum ad memoriam revocatâ, quaſi memoria non eſſet niſi civitatum aut ejuſmodi corporum, quorum partes è memoria ſolent elabi; imò verò & nominum, & verborum, & figurarum Mathematicarum, eſt memoria frequentiſſima, in quibus non ſolemus vel imaginationis elangueſcentiam, vel partium abſentiam aliquam notare. Exiſtimare forſan (pro Candore tuo V. D.) potes, nonniſi, levem

eſſe

eſſe contradictionem, eorum quæ de memoria ex ipſius operibus jam ſupra protulimus; ego verò contendo, ejuſmodi eam eſſe ut fundamenta Philoſophiæ ejus attingat, eaque quorum maximè gratiâ diſquiſitionem in ipſius Philoſophiam inſtitui.

Nempe ſi ſit memoria ejuſmodi notatio aut perceptio, quam nullo modo poſſit ſenſus aſſequi, ſequetur principium ſuperius atq; divinius ad phænomena hominis explicanda adhibendum eſſe; illud nimirum quod mentem appellamus: ſin verò poſſit ſolo organorum motu (nempe carnis corporiſq; partium) phænomenon hoc admirandum exponi, ſi poſſit partis alicujus corporeæ motus efficere, ut objecti abſentia, vel reditio, notari poſſint, (quod nemo poterit mortalium intelliegre, nemo ſanus admittere) quærenda erunt alia argumenta ad principii iſtius neceſſitatem aſtruendam; atque ipſe quidem clariſſimè cernis, quid in hac quæſtione ſtatuendum ſit; illud ſolùm hâc occaſione datâ notari vellem, libellum de homine ſcribentem illum, *mentem* ad machinam *adhibuiſſe*; Leviathanem autem, ubi in Academias atque Scholas invehi ubique placuit, ſtatim amentem (quod tamen molliùs intelligendum eſſe volo) eum eſſe factum.

Atque hæc de memoria (quâ quidem eum minimè pollere conſtat, cum tamen memores eſſe ejuſmodi homines oporteat) dixiſſe ſufficiet, tranſeo ad ea quæ de Somno habet & ſomniis, quæ quoniam ejuſdem ferè ſunt naturæ & farinæ cum iis quæ de memoria habet, breviores & fuimus & futuri ſumus.

3. Primum aûtem de *Somno* ipſo agendum, deinde de *ſomniis*. De ſomno quomodo fiat, quærit & determinat, Corp. c. laudato §. 7. *Conſiderandum eſt* (inquit) *an cauſa aliqua inveniri poſſit, quâ ſuppoſitâ objectis ſenſuum externis, ad interiora organi aditus neceſſariò præcludatur.* Quin

Quin igitur erige (quæſo) teipſum V. D. mentemq; attentam adhibe, noſti etenim ſolere eum problematum ſolutiones minimè vulgares exhibere. Quare exiſtimas præcludi hunc aditum?

Scilicet. *Organum, diuturna objectorum actione laſſatur.*

Nolo de modo importuniùs urgere; organum nonniſi corpus eſt, & quâ ratione corpus *laſſari* (quod ſenſum indicat) poſſit, intelligere non poſſum; reddi quidem poteſt inſtrumentum ineptum ad operationes aliquas exequēdas, verùm ſi fuerit inſtrumentum, *Architecti* alicujus inſtrumentum erit, qui quidem hoc loco mens erit. Sed hæc obiter.

Organum laſſatur, quid tum poſtea? tum, inquit, *laxatis nervis ad fontem ſe recipiunt.*

Id eſt, nervis *laxatis*, *contrahunt* ſe organa; nempe ubi de ſomno agitur, non eſt ſenſus quærendus, cum noveris ſomnum eſſe ſenſuum omnium ligationem. Solent alii ex nervorum *contractione* organorum contractionem oriri intelligere. Sed nolumus ipſi nimiùm eſſe moleſti; dicat, otium aliquando nactus, quomodo laxatis nervis fiat hæc *retractio.*

Retrahunt (inquit) ſe organa ad *Fontem* ſuum; obiter, quinam eſt ille *fons* organórum? ut hoc ſaltem ab illo diſcamus; Reſpondet ille, *vel in cordis, vel in cerebri cavitate ponitur.* Vel in Cordis? vel in Cerebri? hoccine eſt hominis? hoc Philoſophi? hoc Thomæ? quin dicat (obſecro) utrum in Cerebro, an verò in Corde, fons ille ſitus ſit, eamque quæ diu Scholas exercuit quæſtionem atque controverſiam, ſemel autoritate ſuâ tollat. Sed non eſt, ut vel illud requiramus; in *cavitate* aliqua latet, neq; expectandum eſt ut in cuniculos recipientem ſeſe naturam ſectetur. Verùm à diverticulis iſtis ad phænomeni cauſam redeamus.

Organa

Organa (inquit) *laxatis nervis, ad fontem ſe recipiunt, & ante objectum fugiunt, unde objectum primò minus agit, deinde ſolutis paulatim nervis, nihil; quare ceſſat reactio, id eſt ſenſio.*

Nempe hic ſenſus eſt integer eorum quæ de cauſis ſomni habet loco citato, neque aliquid, quod notavi, alibi uſquam adjecit, ut eas concinniùs & meliùs explicaret. Num expectas ut in iſtiuſmodi nænias incurram? ut eum ſeriò excipiam? imò verò malè illud habet, quòd in fugam vertuntur nervi, quòd eo tempore cum laxantur; verum quæ cauſa eſt ut fugiant? *Objecta* ſunt iis amica planè, atque magnopere familiaria, mirumque eſt ea minimè clamare

Quid fugis hinc præceps— .
Mene fugis? per ego has lachrymas—
Si benè quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum, miſerere.

Imò quo fugerent? cum impoſſibile ſit planè, ut motum pulſumque evadant, nempe objecta carnem pulſabunt, quo facto neceſſe eſt (ne detur vacuùm, quod opinor magis fugiunt) ut proxima pulſentur, donec ad fontem illum ubicunque lateat, perveniatur; cùm autem fons ille perpetuò ebullire debeat, fiet reactio. Certè niſi ridiculum foret adverſus umbram hanc luctari, multus quà diſputando, quà Philoſophiam iſtam ridendo eſſe poſſem, *ſed fugit interea, fugit irreparabile tempus*, quare tranſeamus potiùs ad inſomnia.

Atque hic quidem licet alias phænomenon negligentior ubique fuerit, adeò ut nihil unquam attento & ſerio mentis òpere obſervâſſe videatur, videbis eum queſtionem quandam in Leviathane ſolventem, deinde

inde (in Corp. 25.) quædam phænomena priùs referentem, deinde cauſas eorum reddentem.

In Leviathanis Cap. 2. ait, *rem eſſe difficilem à multiſq; creditam impoſſibilem inter Senſum & Somnium diſcernere.* Noſti à Platonis uſque temporibus, imò ante ipſum agitatam fuiſſe hanc quæſtionem, neque opus eſt, ut cauſas dubitandi hoc loco referam. Videamus, quibus ipſe rationibus *ſentire* ſe, non autem *ſomniare*, velit evincere.

Cum (inquit) illud recolo, *ſomniantem me, non ſolere de iiſdem conſtanter perſonis, objectis, locis, actionibus, cogitare de quibus ſoleo vigilans. Cùm ſomnians tam longam cohærentium ſeriem cogitationum non recordari ſoleam, cùm vigilans abſurditatem ſomniorum obſervare ſoleam, neq; tamen unquam de vigilantis abſurditate cogitationum ſomniare. Plenè in eo acquieſco, vigilantem me, ſcire me non ſomniare, etiamſi ſomnians me vigilare cogitem.*

Pulchrè quidem hæc ea ſunt quæ levem juventutem, cui ſatis eſt vitrum vel lambere vel admirari, mirificè capiunt. Cùm ſint ea tamen nonniſi rhetorica & ab ἀκριβείᾳ philoſophiæ quàm maximè aliena.

Quæro, an libellos ſomnians ſcripſerit, an vigilans? dicet, ſcire ſe minimè ſomniantem iſta ſcripſiſſe; quare applicet (quæſo) rationes jam ſupra allatas. Somnians de aliis perſonis, actionibus &c. cogitare ſolebat, quomodo hoc erit manifeſtum? hoc eſt quod quæritur, neque ſufficit iſta ſimpliciter aſſerere.

Sed 2. vigilans ſolet cohærentium cogitationum, longam ſeriem recordari, quod ſomnians facere non ſolet. Certè hoc uſus criterio juraret aliquis, ſomniantem eum ſua ſcripſiſſe, ubi perturbata omnia atque incohærentia eſſe, oſtendimus & oſtendemus; neque hoc jocando dicimus, verùm (ut cernis) philoſophica fide aſſerimus

mus & monſtramus. Ut planè mirandum ſit, ſi modo verum fuerit, eum *de vigilantis abſurditate cogitationum nunquam ſomniare.* Vereor ne tibi levior hîc videar, at ejuſmodi ſunt ejus philoſophemata, ut leviter tangenda ſint, & leviter tacta in leves ſtatim ventos atque fumos evaneſcant.

In libello de corpore prius proponit ſomniorũ definitionem. *Sunt*(inquit)*Somnia dormientiũ phantaſmata.*

Deinde dicere inſtituit §.8. Cur ſint ſomnia, 1. Incohærentia atque inordinata. 2. Ficta à phantaſmatibus ſenſionis præteritæ. 3. Orta aliquando ab interruptione corruptorum phantaſmatum, quandoq; in medio ſomno. 4. Vigilantium Imaginationibus fortiora, ſenſionibus æquè clara. 5. Abſq; admiratione facta.

Definitio Somnii nihil habet, quod ejus naturam explicet, ſimiliſque eſt iis ubi qualitas definitur illud eſſe per quod res qualis appellatur; nolo illam inſectari, quod ad Somniorum attinet phænomena.

At 1. reſpondet, *cohærentiam, & ordinem, eſſe à conſilio & reſpectatione ad finem,* (benè & verè!) *atq; in Somno amitti cogitationem finis.*

Concedo mihi videri eum cauſam hujus phænomeni veram tuliſſe, ſed tamen dubia eum, ſive mea, ſive aliorum qui rerum cauſas ſcire deſiderant, minimè ſuſtuliſſe. Libenter ſcirem, *cur* ſit in ſomno ſublata reſpectatio ad *finem, cur* deficiat *conſilium;* & *quid* ſit illud *conſilium, unde* ſit notio *finis* (rei nempe futuræ & deſideratæ)*quid* ſit illud, cogitationes & phantaſmata in *ordinẽ* redigere, aliena rejicere, cõſentanea eligere lociſq; debitis delegare. Atq; hæc quidem tradidiſſe debuit, horumq; omnium rationem atq; modos explicâſſe; verùm cùm nihil aliud ad omnia phænomena humana at-

attulerit, præter organum motum & tremiſcens, oſtendere prius debuit, quâ poſſit ratione organum pulſatum, tremendo, iſta perficere:

Prius (inquam) quam iſtiuſmodi cauſas, phænomenis ſomniorum ſolvendis, attuliſſet. Sed tranſeo ad ſecundum.

Secundum, (inquit) *ex eo naſcitur, quod nova non fiunt phantaſmata, ideoq; finguntur ſomnia à præteritis;* finguntur, inquit. Verum ſcire libentiſſimè vellem, quid ſit *Fingens* illud, & quis ſit ſenſus hujus propoſitionis, quæ mentem ejus hoc loco enunciat, *Somnium eſt motus in factum eſſe, fictus à pluribus motibus quorum unuſquiſq;* (multis forſan annis) *antehac fuit in Factum eſſe.*

Ad tertii partem primam reſpondet his verbis; *Ad tertium* (inquit) *quare ſomnium, aliquando quaſi cum ſenſione continuatum, corruptis fiat phantaſmatibus, ut in ægrotantibus, ratio manifeſta eſt quod ſenſio per organa quidem alia manet, per alia deficit.*

Ego ingenuè fateor, me minimè intelligere, vel quæſtionis vim vel reſponſionis; obtundunt me aliquantulùm *corrupta iſta phantaſmata*, quoniam autem rem ſe claram feciſſe judicat, volui periodum totam exſcribere, ne quis fraudatum ſe eſſe tam profundâ ſententiâ queratur.

At inquit, *difficilius eſt dictu, quomodo reſuſcitentur phantaſmata in medio ſomno.* Imò ipſe ex eorum me eſſe numero fateor, qui judicant ex ſuâ ipſius hypotheſi non eſſe hoc *difficile* dicendum; quippe impoſſibile. Attende ad Hobbium.

Si (inquit) *ab interno motu Cordis, concutiatur* (*Cerebri*) *meninx, excitantur phantaſmata aliqua, ex iis quorum motus in cerebro adhuc durant, & qui motus cæteris prædominatur, ab eo motu oritur phantaſma.* Hic ſen-

ſenſus eſt eorum quæ habet.

Id eſt, ex motu cordis excitantur motus in cerebro, qui motus prius ibi fuerunt & manſerunt (nempe motus ſtantes) & qui motus cæteris prædominatur, ab eo motu oritur motus in Factum eſſe.

Cernis quomodo ſeipſum hoc etiam loco expediverit. Progrediamur ad quartum.

Cauſa (inquit) *quarti phænomeni in duobus conſiſtit. 1. quia ceſſante ſenſu, motus à quo phantaſma oritur, ut præſens dominatur. 2. Quod phantaſmatum partes, tempore detritæ, aliis partibus fictis reſarciuntur.*

De phantaſmatis, vel motûs dominio, quod primam hypotheſis partem ſuſtinet, nolo ipſe turbas movere, ſecunda me cruciat & vexat admodum, adeò aut ipſe inſanit, aut meipſum inſanire eſt neceſſe. Cauſa, inquit, cur *ſomnia* ſenſionibus, ſint æquè clara, eſt quod *phantaſmatum partes, tempore detritæ &c.*

Ad carceres redeamus, atque rem ipſam ſobriè & gravitate debitâ penſitemus, ſententia Hobbiana hæc habet.

Phantaſmata partes habere.

Partes iſtas tempore deteri.

Partes iſtas reſarciri poſſe,

Reſarciri poſſe aliis partibus fictis.

Id eſt, ſenſionem in factum eſſe, vel motum in factum eſſe, iſta omnia habere. Velim ut explicet quomodo motus in factum eſſe, aut *partes* habeat, aut *deterendas, reſarciendas, fingendas*, cùm ſint ea corporum, non motuum aut modorum ſymptomata; vel ſi iſta omnia poſſit explicare, quomodo hinc contingat ſomnia ſenſionibus æquè clara eſſe. dixit vel ipſe vel aliquis è ſuis, *Miniſtros* eſſe genus ſartorum ærariorum, iſte certè ipſum omnino ſuperat Vulcanum, qui novit phantaſmata detrita tempore, *reſarcire*. Fictis partibus

bus, *reſarcire*. 5. ad ultimum phænomenon reſpondet, *hoc ideò contingere, quia omnia ut præſentia in ſomno videntur.*

Verùm, annon ſolemus etiam præſentia admirari? imò inquiet, præſentia tunc admiramur, quando cernimus ea præteritis, & priùs obſervatis, non reſpondere, quod eſt opus memoriæ, vel abſque memoria minimè peragendum. Quare oſtendere debuit, unde fiat, ut memoriam in ſomno non exerceamus(ſi modò minimè exerceamus)hoc quia non explicuit, eundemque in reliquis tenorem obſervavit, neſcio quid aliis videatur, mihi certè admirabilis, nullique quotquot antehac fuerunt mortalium(niſi Muſico forſan noſtro mihi ſæpiùs laudando) in omni ejus Philoſophia conferendus videtur. Annon, quæſo, præſtitiſſet de ſomno & inſomniis loqui inſtituentem ad ea Poëtarum potius quam ſartorum ſe recipiſſe.

Ad geminas Somni portas, quarum altera fertur
Cornea.—
Altera candenti perfecta nitens Elephanto.

Si non prodeſſe attamen delectare hoc modo potuiſſet, verbiſque ſenſus aliquis ſubfuiſſet. Annon præſtitiſſet, inſomnia tum contingere dixiſſe,

Cum levis æthereis delapſus Somnus ab aſtris
Aera dimovit tenebroſum, & diſpulit umbras.

Vel forſan quod ſit alicubi,

Ulmus opaca, ingens, quam ſedem Somnia vulgò
Vana tenere ferunt, foliiſq; ſub omnibus hærent.

Iſta

iſta quidem vel alia ejuſmodi, ſi protuliſſet, ferre eum libentiſſimè poſſem, non aliter quàm *de Pecci mirabilibus* olim ludentem: verùm ut eorum quæ produximus hoc loco, confidentiâ evectus, Academias & Scholas caſtigaret, eaque immitiùs tractaret, quis ferat? Sed nos iſtis hoc modo in lucem productis, in ea quæ de Diſcurſu habet, provehamus orationem.

Cap. 3.

De Diſcurſu.

CErnis etenim ſi in periodos operum Hobbianorum inquirerem, & in ea animadverterem, quæ ubiq; ſe importuniùs offerunt diſcutienda, nullum futurum diſſertationis hujus finem; ipſe quidem ad ea quæ ad mores ſpectant Hobbianos tardiſſimus atque invitiſſimus accedo; ſatis habens ultima Philoſophiæ ejus fundamenta intelligere, & aliis intelligenda proponere. Innumera ubique intacta prætereo, quæ inconcinna ſunt & falſa, iis præcipuè inhæreo, quæ ad ea quæ majoris ſunt momenti viam ſternunt, hinc eſt quod (ad nauſeam forſan) toties recurrit mentio motûs in Fieri, & motûs in Factum eſſe; quia nempe voluit ad omnia Hominis phænomena, iſta ſola (non aliter quàm antehac ſolebat in phyſicâ, fugam vacui, motumque Solis ſimplicem) adhibere. Certè ex operationum earum, quarum conſcii nos ſumus, conſideratione ad humanæ naturæ cognitionem perveniendum eſt, aut eſt ea perpetuùm neſcienda; atque ſi poterit ipſe operationes humanas ex organorum motu explicare omnes, ita ut intelligi poſſit & clarè

percipi, earundẽ cauſæ ab ipſo adductæ me certè non habebit refragantem; ſin verò hoc loco, qui maximi eſt momenti, eum, quaſi furiatâ mente foret, de rebus iis unde pendet æternitas, ita loquentem inveniamus; non erit abſque aliquâ ſaltem notâ prætereundus. Excitandus erit, ut ſive ſtuporem, ſive furorem excutiat; vocandi erunt diſcipuli ejus vel ad furentis ſpectaculum, vel ad levamen atque auxilium. cernis me *initio* (intempeſtivè forſan) permoveri. Accipe ſtatim rationes.

Solebam me nonnihil oblectare, cogitando, hominem me exiſtentem, in aliquâ præ reliquis corporibus dignitate conſtitutum fuiſſe, elementis, metallis, plantis, brutis animalibus, me paulò ſublimiorem cogitabam.

Solebat in ærumnis & morbis, illud conſolationi mihi eſſe, habere me ſaltem *animum*, qui, ſi forſan ſibi ipſi non deeſſet, ferre hæc meliùs poſſet præſentia; qui duratione poſt mortem perenni & æterna me tandem (meliore mei parte non periturum) iſtis liberaret. Atque ipſe nunc quidem eripere mihi vult iſtam ſive dignitatem, ſive conſolationem, & tu miraris me commoveri? nullam eſſe hominis, reſpectu corporum aliorum excellentiam, nullum ipſis animum à corpore diverſum & immortalem: hæc ea ſunt, quæ poſtea eum aſtruere patebit.

Et tu forſan V. D. protelandum eſſe cenſes *animi* motum, atq; tum demùm in eum incaleſcendum eſſe, cum ad illa acceſſero; imo verò hoc eſſet hominis improvidi, & admodùm imprudentis, nempe fundamenta ſententiarum iſtarum hoc loco jaciuntur, principia hæc ſunt, quibus obſtandum illico, ne

—Serò medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Quare

Quare obſecro te V. D. ut ad iſta velis attendere, quia ſi *diſcurſûs* ipſe modum benè & philoſophicè (id eſt, clarè & intelligibiliter) uſquam explicaverit, non eſt ut aliquis de ſententiis, ſive moralibus, ſive politicis, ſive ad religionem ſpectantibus, litem ipſi moveat. Quin igitur attende (inquam) obſecro:

Senſibus hæc imis, res eſt non parva, reponas.

Poſt iſta de Senſu & de Imaginatione tranſit ad Diſcurſûs explicationem: cùm autem Diſcurſus duplex poſſit intelligi, nempe Mentalis & Verbalis pro duplici τȣ λόγȣ acceptione, de diſcurſu mentali eum loquentem audiemus. De hoc agit L. c. 3. H. c. 4. Corp. c. 25. §. 9.

Ut autem quam maximè fieri poteſt, diſtinctè agamus, in quæſtione hâc de Diſcursûs humani explicatione, ſint iſta inquiſitionis futuræ capitula.

1. Quid ſit Diſcurſus in generali.

2. Quotuplex ſit, & quid ſpecies ſingulæ.

3. Quæ ſint diſcurſûs ſymptomata vel affectiones, & quomodo hæc omnia Thomas explicet. In ſingulis quid præſtiterit, videbimus.

1. Quod ad primum attinet, Diſcurſum (univerſim ſumptum) hoc modo definit. Corp. 25. 9. *Ortus perpetuus phantaſmatum, illud eſt quod appellari ſolet animi diſcurſus*

L. Cap. 3. Ait *Diſcurſum eſſe ſeriem vel conſecutionem phantaſmatum.* (Nempe eum *qui vocatur* diſcurſus mentalis.)

Vis uberiorem rei totius explicationem? accipe eam ex Corp. loco citato. *Is* (inquit) *qui cogitat, comparat tranſeuntia phantaſmata* (i. e.) *ſimilitudinem & diſſimilitudinem animadvertit, quorum illud phantaſia, hoc*

verò Judicii (vulgo) exiſtimatur...

Vis integrum diſcurſûs opus? (L. c. 3. p. 11.) præter *Senſum, Imaginationem*, & *Seriem Imaginationum*, *mens hominis nullum omnino alium motum habet.*

Nolo de eo diſputare, nempe diſcurſum non appellari ſolere ortum perpetuum phantaſmatum, nimirū, ſi nudum hunc ortum ſpectemus; noſti diſcurſum mentis ſolere aliud præter hunc ortum includere, nempe concluſionum ex præmiſſis illationem, adeoq; tum objectorum apprehenſioni ſimplici (qui fit ortu phantaſmatum perpetuo) tum etiam judicio contradiſtingui. Illud ſolùmmodò ab ipſo requiro, ut ſeipſum ſibi & ſenſui hominum communi velit reconciliare. Ab ultimis incipiemus.

Mens (inquit) hominis nullum omnino motum alium habet, præter *Senſum*, *Imaginationem*, & *ſeriem Imaginationum* (qui tamen [obiter] motus non eſt.) Totum igitur quod in homine fit, eſt motus localis cum reactione, motus (inquam) iſte in Fieri, idemq; motus in Factum eſſe, & motuum factorum quædam relatio (neque n. aliud aliquid eſt *ſeries* iſta ſeu conſecutio phantaſmatum) benè habet! fabrè factum. Hæc quidem omnia hactenus contingunt, vel in arcu dum tenditur, vel in Citharâ imbelli quoties ipſa pulſatur, *fit motus*, fit *motus* cum *reactione*, fit *ortus* motuum *perpetuus*, eorum motuum ſeries & conſecutio; dictum eſt Paracelſum jactâſſe, ſe potuiſſe homunculum facere; verùm hoc ignis vi, qui quidem ignis eſt Magiſter artium; dicitur Amphionem citharâ canentem, ſaxa moviſſe, & feciſſe, ut ad civitatem ædificandam ultrò accederent; mira hæc quidem; verùm nemo horum Thomæ noſtro comparandus eſt, ipſe abſq; igne æthereâ domo ſubducto, abſq; aliquo ἀναλόγῳ τῷ τῶν ἄστρων

ποιητικῷ hominem finxit; imò fecit, ut ipſa vel Cithara vel Lyra, vel homo ſit, vel homine nullo modo quoad ſupremas ejus operationes inferior.

Sed vereor ne tibi immatura & temerè prolata iſta videantur, nempe non ſequi eodem jure ex mente Hobbiana ut *Animalia* hæc ſint, ut *Intelligentia*; quin igitur rem iſtam aliquantulùm diſcutiamus.

Cùm corpora ſint & ea à nobis in exemplum prolata, & homines, quæro quâ ratione ex principiis Hobbianis dici poſſit hominem intelligere & judicare motuumque conſcium eſſe, atque ut hæc interim de aliis negentur.

Videamus quid dici poſſit, videamus quid ipſe dixerit. Certè nil aliud dici poſſe cum ratione aliquâ mihi videtur, quàm corpus hominis *alienum* eſſe à ratione corporum iſtorum. Corpus (inquis) alienum eſt: at quomodo? an non conſtat vel ex atomis, vel ex elementis vulgaribus? annon inſenſilia ſunt iſta, conſilio & ratione vacua? an quicquam habent, cujus ſunt capacia præter motum, quietem, ſitum, conjunctionem, diſgregationem, aliaque ejuſmodi? atque hæc quidem omnia de Cithara vel Arcu non minùs vera ſunt.

At, inquies, partes iſtæ in homine aliter diſpoſitæ ſunt, aliter in Cithara; Quin dicat igitur quomodo partium inſenſilium, minimèque intelligentium ſitus ſolus & diſpoſitio faciat ut intelligant. Certè nihil aliud dici poſſe cum rationis ſpecie videtur, præter hoc unum, *corpus hominis intelligere*, quia *organicum eſt*, *cætera non intelligere*, *quia ſunt inorganica*, verùm ad iſta quàm eſt proclivè hæc reponere? Illud *organicum* eſſe, vel *inorganicum*, duas res poſſe notare, vel relationem & aptitudinem

tudinem ad motus certos exequendos, ideoque *rem* aliquam ſupponere cujus reſpectu organica dicantur, vel ſtatum corporis abſolutum, abſque relatione ad cauſam aliquam moventem; & erit ſenſus vocum (*corpus organicum*) iſte, ut ſignificet corpus ita fabricatum, ut eſt fabricatum corpus humanum. Si velit Hobbius, corpus organicum priore modo explicare, concedenda erit mens à corpore diſtincta, cui corpus ipſum ſit inſtrumentum. Si ſecundò modo redibit argumentum de Cithara, dicendumq; erit, quomodo motus harum atomorum ſit diſcurſus; iſtarum autem minimè.

Imò verò quomodo ipſe inter intelligens corpus & corpus non intelligens diſcernit? Nempe prævidet hanc objectionem (de Corp. 25. §. 5.) videamus quomodo iſtam evadit. Si (inquit) ſenſus in reactione conſiſtat, unde fit, ut quicquid reagat non tamen ſentiat?

Reſpondet, aliquos Philoſophos, viros doctos, omnia ſenſum habere ſenſiſſe, neque refutari eos poſſe, ſi ſenſus in reactione ſola conſiſtat. Atque ipſe quidem ſenſum in *reactione* conſiſtere jam tum ſupra ſtatuerat: videamus quid ultra reactionem hoc loco adjiciat. Nempe inquit, *Senſus de quo loquor (ſenſus ab homine factus, cum judicio, comparatione, diſtinctione) non fit, niſi motus in organo aliquandiu maneat, ipſumq; phantaſma quandoq; redeat.*

Nempe motus non faciet ſenſum qualis eſt hominis, ſed motus manens & motus rediens.

Verùm, ut dicat, velim, quid ſit *motus manens*; quid *motus rediens*. Annon omnis motus tranſit? annon fieri poteſt, ut idem præciſè motus maneat, aut redeat? annôn iſta ſunt verba ſe mutuò deſtruentia? nempe in fluxu continuo motûs ipſa natura & ratio conſiſtit, non manet, non redit,

—at ille
Labitur & labetur in omne volubilis ævum.

Imò ſi aliquo modo, qui ab homine Philoſopho ferri poſſit, oſtendere unquam valuerit, quomodo motus idem, ceſſans aliquando, poſſit redire, ego illum magnum virum exiſtimabo; ſi hoc non valuerit, quid dicam, neſcio, cùm nihil aliud afferat (ut jam poſtea erit manifeſtum) ad diſcurſum humanum explicandum. Verbo: quocunque ſenſu dici poſſit, motum organi, ſeu partis corporis humani, ſive manere, ſive redire, eodem ſive manebit ſive redibit motus organorum in templo; adeò ut nulla ſit in hâc re inter hominem & lyram vel citharam diverſitas, quanquam & illud inexplicabile videatur quomodo reactio manens vel rediens (quæ non niſi motus eſt) faciat ut atomi junctæ inſenſiles intelligant; atque ut motûs replicatio phænomenon toto genere diverſum excitet, ab eo, quod motu ſimplici excitatur; quaſi mille crines vel cuniculi conſtituere poſſent equum, vel mille ejuſmodi ſententiæ, quæ ſenſum non habent, conſtituere poſſent Philoſophiam ſanam atque intelligibilem.

Cernis hactenus, non eum poſſe diſcrimen aliquod inter hominem aliudque corpus quodcunque, quoad intellectionis opus, conſtituere, ejuſque *diſcurſûs* definitionem initio traditam non magis homini, quàm ligno vel lapidi, ne dicam brutis animalibus competere; & tamen nondum eſt ipſe mihi dimittendus. Non eum ſolùm abſque omni rationis ſpecie hominem deprimere contendo, verùm iſta nitentem miſerrimè ſe ipſum implicare; quin igitur verba initio prolata, denuò inter oculos revocemus.

Mens (inquit) *hominis, nullum habet motum, præter Senſum, Imaginationem, & Seriem Imaginationum.*

Nolo ut tibi fraudi ſint iſta vocabula, *mens hominis*, quaſi mentem corporis partem minimè exiſtentem agnoſceret. Certè nihil minus eum intelligere poſtea erit manifeſtum. Interea hunc eſſe ſenſum verborum ipſe non diffitebitur, *hominem præter motus iſtos nihil habere, quod mentis operationem, homines appellare ſolent.* Quin igitur quid ſibi volunt cætera? Quid eſt (quæſo) tranſeuntia phantaſmata *comparare*, quid *ſimilitudinem & diſſimilitudinem animadvertere.* Quid de iis *redeuntibus judicium* ferre? Nempe *comparatio, animadverſio, judicium,* neque reactio ſunt oculi, vel auris, vel digitorum? neque motus hic idem manens *ſive phantaſma*, non ortus motuum (localium) organorum; ſiquis etenim diceret, duo motus excitari & percipi, longè tamen hoc aliud eſt & diverſum à perceptione ſimilitudinis vel diſſimilitudinis iſtorum motuum. Quare ſibi ipſi manifeſtiſſimè contradicet, dum eodem quaſi ſpiritu, hominem *nihil habere* præter phantaſmatum ortum aſſerit, & tamen concedit eum etiam phantaſmata *comparare*, *diſcernere*, in perceptiones ſuas reflecti. Sed ſentio excreſcere orationem; ad ſecundum articulum progrediamur, qui eſt *de Diſcurſûs ſpeciebus*. Ubi ſi mentem in auxilium non adhibens minimè vulneratus & ſaucius evaſerit, erit certè admiranda amentis hominis fortuna.

Eſt (inquit) diſcurſus mentalis duplex. 1. Cum deſignatâ operâ, & inſtituto. 2. Abſque inſtituto (aut deſignatione) L. c. 3.

De priore erit agendum. Ubi tria erunt nobis inquirenda.

1. Quid

1. Quid ſit mentis diſcurſus deſignatione gubernatus, & quinam actus hoc modo gubernentur.

2. Quot modis fiat hujuſmodi diſcurſus.

3. Quænam ſit hujus Philoſophi horum omnium phænomenωn phyſica explicatio.

Atque hæc quidem omnia ex cap. 3. L. præcipuè hauriemus, quod eſt de diſcurſu (mentali.)

1. Quantum ad 1. *Mentis* (inquit) *Diſcurſus deſignatione (vel inſtituto) gubernatus, nihil aliud eſt niſi. Inquiſitio, vel facultas inveniendi, Latinis ſolertia & ſagacitas, & eſt venatio conſequentiarum; cui ſubſunt inter alia, Reminiſcentia, prudentia vel providentia, ſignorum intellectio, & conjectatio.*

2. *Atq; hæc quidem venatio (reſpectu objecti) duplex eſt; eſt etenim* 1. *vel venatio cauſarum ex effectu aliquo, ſive præſente, ſive præterito.* 2. *Vel eſt venatio effectuum ex cauſa aliqua, vel præſente vel præteritâ.*

Hæc ſcilicet ea ſunt, quorum explicationem philoſophicam ab ipſo Thoma expectamus, juſſit enim ut expectemus. Primùm autem quæ cauſa *venationis* iſtius in genere ab ipſo ſtatuatur dicendum; deinde facienda erit hypotheſeos iſtius generalis ad ſingularia (vel particularia) applicatiò.

Fit (inquit) in diſcurſu, deſignatione gubernato, quædam venatio. Primò canem ipſum venemur, quærendo quid ſit illud in homine quod ſeriem imaginationum gubernet; quod diſcurrat, rerumque affectiones ſupra nominatas inquirat, & inveſtiget. Attende igitur V. D. obſecro, iterumque attende, mirabilia etenim tibi pollicemur.

Illud (inquit L. c. 3. p. 9,) *quo regulatur ſeries imaginationum, eſt deſiderium.* Benè habet, quod rem abſque ambage ulla enunciet; quærendum nunc manet

net quid ſit *Deſiderium*. Verùm non opus eſt ut illud anxiè diuque quæramus, eſt etenim neceſſariò (ex mente Hobbii) vel *ſenſio* vel *phantaſma*, vel phantaſmatum *ſeries*. Senſio non eſt, ſeries non eſt, eſt igitur phantaſma; phantaſma? id eſt, motus organi à ſenſione factus vel motus manens (alicubi.) Imò (inquis) Deſiderium eſt motus, ſed talis quales dici ſolent animorum motus ab aliis Philoſophis, qui quidem locales non ſunt, neque abſque metaphora hoc nomine ſolent indigitari, ſed tu potiùs cave V. D. ne motum *metaphoricum* exiſtimes, *eſt* etenim *iſta abſurda locutio, quanquam etenim verba dici poſſint metaphorica; corpora tamen & motus non poſſunt* [L. c. 6. p. 23.] Quare Deſiderium eſt motus, motus verè & propriè dictus, *motus localis*.

Annon præclarè futura eſt venatio, annon celerrima, ubi canis venaticus eſt motus ipſe localis? imò ubi motus motum

Inſequitur, trepidiq; pedem pede fervidus urget,
Incluſum veluti ſi quando flumine, nactus
Cervum, aut punicea ſeptum formidine pennæ,
Venator, curſu, Canis, & latratibus inſtat,
Ille autem inſidiis, & ripa, territus, alta,
Mille fugit refugitq; viis.

Quin igitur accede propiùs & venationem hanc intuere, vide Thomam hunc Malmesburienſem, motu cum ipſo venatum inſtituentem, nolo ego à ſpectaculo te detinere.

Stat ſonipes ac frena ferox ſpumantia mandit,
Tandem progreditur—

Deſiderium

Deſiderium (inquit) *eſt motus validus & permanens.* Quod ſit motus validus, benè habet, quo fuerit valentior, eò citiùs proculdubiò fugiens phantaſma aſſequetur. At eſt (inquit) *motus permanens.* Si fuerit motus *permanens*, ut poſſit phantaſmata capere (quæ ſunt feræ naturæ) ego certè non aſſequar, atque ipſe quidem (ut verũ fatear) de venatu hoc omni, ne ſit infelix futurus metuere incipio: ſunt mihi V. D. quædam negotia, utinam ipſe velles Thomam (me prorſus dimiſſo) comitari. Imò verò (inquis) patientia in venatore non infima laus eſt, quare quæ ſit ſpes leporis (phantaſtici) capiendi denuò attendamus: fieri poteſt, ut non ſit deſiderium motus *permanens*, atque ut eripiatur metus iſte.

Imò fieri poteſt ut non ſit permanens (L. c. 3.) benè habet! *Sed ut pro tempore aliquo ceſſet, tunc autem citò rediturus eſt*; Itane verò? hæccine ſpes illa eſt? num expectanda motûs ceſſantis παλιγγενεσία, ut phantaſma quæſitum capiamus. Quin fugiant per me licet iſta phantaſmata; liceatque mihi me (quæſo) huic luſui ſubducere; nonniſi cibus aridus ſunt iſta phantaſmata, abeant, excedant, evadant, erumpant, me non habebunt inſequentem.

Sed cohibendum mihi ſplenem eſſe ſentio; totuſque eſt hujus rei proceſſus, eo ipſo cum ſobrietate referendus.

Accipe igitur eum totum. *Ex deſiderio* (inquit L. loco citato) *oritur cogitatio mediorum aliquorum, quæ ſimile aliquid produxiſſe vidimus, rei illius ad quam ſcopum dirigimus; atq; ex medii iſtius cogitatione oritur cogitatio medii alterius, atq; hoc fit continuò, donec ad principium perveniatur, quod eſt in noſtra poteſtate. Et quia finis, cogitatio frequenter recurrit, facilè reducuntur cogitationes vagæ in viam.*

Nullus

Nullus ego dubito nonnullos futuros eſſe,qui eam rem ſuam bellè nunc explicâſſe ſint judicaturi, quare ad carceres reducendi ſunt,ut ſtatum rei quæſitæ intelligant. Ait gubernari deſignatione cogitationes aliquas: quæritur quid illud ſit quod imaginationes gubernet, imaginationes ſunt motus, imaginationes gubernare eſt motus ordinare; ait motum unum alios ordinare,unum ex alio oriri, diſſimillimū ex diſſimillimo; quinetiam abſente objecto, adeoque motore; oriri denuo motum, & reviviſcere ſepultum, deinde mira perpetrare: ſi quæras etenim quid illud ſit, quod ſimilia à diſſimilibus diſcernit. Eſt hoc (inquit) deſiderium vel motus; quid finis(rei futuræ)notionem habet? hoc (inquit)eſt, motus: quid media ad finem eligit apta, quid inepta rejicit? omnia hoc facit motus, (nempe opinor Ariſtotelis ἐντελέχεια quæ eſt motus intelligens) Scio plures eſſe futuros, qui minimè ſint credituri me eum rectè intellexiſſe, verùm ſententiam non ſuam ipſi affingere, neque enim ipſum tam craſſum eſſe & bardum, ut hæc omnia motui locali aſſignet, imò illud potiùs ſenſiſſe, peragi quidem ab agente ſubſtantiali & permanente mediante motu operationes iſtas, ita nimirum ut illud quod gubernet ſit animus, illud quo fiat gubernatio cogitationum ſit motus vel phantaſma.

Aſt ipſe (ne fallantur qui iſta objiciunt) animum ejuſmodi nullum agnoſcit, uti poſtea erit manifeſtum, ubi de animi naturâ agetur; neque aliquod aliud gubernans agnoſcit præter motum ipſum, non Cor, non Cerebrum, non Carnem, non Oſſa, non Arterias, Venas, Nervos, Spiritus; ultimò non *Organum* (quæ tamen eſt vox ignotæ ſignificationis apud ipſum) phantaſmia gubernare aſſerit, ſed deſiderium ipſum

ſum nempe motum localem hæc omnia peragere. Ex motu qui vocatur Finis, oriri motum qui vocatur medium; vel ex motu locali, qui eſt tendentia ad finem, oriri motum localem, qui eſt tendentia ad medium; nempe hoc fieri perpetuò, atque ita operationes humanas ex deſignatione explicari.

Verùm enimverò quis iſta patienter vel legere poſſit, vel audire? quem ad furorem uſque iracundum hujuſmodi næniæ non facerent? quis mare terris non confunderet, intuens iſtiuſmodi ἀκροάματα aures ſibi ipſis aptas invenire? aiunt etenim nonnulli (quaſi profundi foret opus judicii) philoſophiam ejus ab aliquibus qui literas didicerunt Latinas & Græcas, laudari: imò verò in eâ ſe eſſe opinione, quod

—dedit hanc contagio labem
Et dabit in plures: ſicut grex totus in agris
Unius ſcabie cadit & porrigine porci,
Uvaq; conſpecta livorem ducit ab uva.

Quare omiſſis iſtis generalibus ad particularia breviſſimè accedamus, & quomodo cum hâc ejus hypotheſi ſeipſum, in iis quæ ex deſignatione fieri aſſeruit, expediat, pauciſſimis videamus.

Dicat, ſi modo valeat (nil niſi corpus motumque adhibens) quid ſit illa ipſa inquiſitio, quâ unâ in re Diſcurſum deſignatione factum conſiſtere initio voluit, quid ſit iſta *ſolertia*, de qua loquitur, quid *ſagacitas*, quid *reminiſcentia*, quid *prudentia*, *conjectatio*, & ſiqua ſint ſimilia.

Atque imprimis, ut dicat, velim, unde & quomodo fiat

fiat *inquiſitio*, nempe ne multus ſim, velim ut ex principiis ejus deducat operationum ſeriem, ubi ex cauſa aliqua ſuppoſita effectum venamur, vel ex effectu cauſam.

Principio (inquit) objectum pulſat organum, & fit motus organi: benè habet, progrediatur; remoto objecto motus manet, & eſt phantaſma; nempe pulſatur cerebrum & pulſus hic manet (quanquam mihi moleſtum eſt illud admittere, nam corpus motum, aliis motum communicare ſolet, totoque motu communicato quieſcere: nolo tamen huic inhærere.)

Benè! hoc modo concipitur objectum, nempe cerebri motus èſt ipſe conceptus objecti (hæc nempe eſt ejus ſententia) eſto! Quid poſtea?

Poſtea in animo habemus objecti iſtius cauſam, aut effectum inveſtigare. Quæritur unde hæc notio *cauſæ* vel effectûs. Quiſnam eſt motus ille, unde iſtiuſmodi notio exoritur, nempe notio cauſalitatis vel relationis cujuſcunque, cùm objecta ſint *res*, eorumq; motus motus abſoluti, poteſt quidem Hobbius exiſtimare ipſam rerum conſecutionem vel motuum ſeriem in homine notionem hanc excitare; at verò *ſeries* nihil eſt ejuſmodi ut phantaſma excitet, ejus tamen notionem habemus: quare aut retractanda eſt iſta ſententia, quâ dicitur præter Senſionem & Imaginationem (quæ motus ſunt locales) nihil habere hominem, aut docendum illud eſt quomodo ex corporum motibus *localibus* exoriri poſſit notio cauſalitatis & dependentiæ.

Non licet mihi iſta ubeiiùs proſequi, neque reverà opus eſt; ad alia tranſeamus.

Illa ipſa *ſolertia* vel *ſagacitas*, de qua loquitur, quid eſt? unde exoritur? quomodo ſe exercet? inſtantiam ponemus de quâ quæretur. Quæro quâ ratione fieri

poſſit,

poſſit, ut infans (corpus merum) loqui incipiat, nimirum ut voces rerum eſſe ſigna notaſque diſcat. Et ne multus ſim; rem videt, vocem audit, motus ex objectis concipit, vel fiunt motus iſti in cerebro, unde eſt quod judicet vocem iſtam rem ſignificare? quid (quæſo) eſt hoc *judicium*, num motus corporis? at corpus non movetur niſi à moto corpore & contiguo, quodnam igitur corpus motum illum excitat? quod hoc habet, ut judicetur, *ſonum* vel *lineas ductas*, vel aliud quodlibet *rem*, vel *corpus*, vel motum, vel animi affectum ſignificare? Nempe(opinor)manifeſtum eſt alienum eſſe hoc judicium à motibus in cerebro excitatis, atque ſagacitatis iſtius ſubjectum neque *motum* ipſum (quod tamen Hobbius ſentire videtur) neque carnem eſſe debere.

Ipſa certè *Reminiſcentia* hoc habet, *redire* objectum in *hominis* (neque etenim *mentem* ſuppono, ſed evinco) intuitum & eſt illud *redire*, neque ſenſio, neque motus ex ſenſione manens; dicat unde fiat reditionis iſtius perceptio, & quis cerebri motus vel cordis, unde exortus judicium de reditu exerceat.

Certè infinitus eſſem, ſi magis arcana & ſublimia mentis opera proſequerer, ſi opera vel *ſcientiarum* vel *prudentiæ humanæ*. Sed iſta cum minimè intelligere videantur ipſi, qui Philoſophiam Hobbianam impendiò mirantur ut profundam, à re potiùs familiari exemplum petam, & eum dimittam.

Fuit quidem tempus illud quum florens juventâ Thomas atque patroni (nobiliſſimi viri) favore excitatus in animum induxit ipſi ut placeret; ecce *finem* ſibi propoſitum: unde orta eſt illi finis hujus apprehenſio? unde accidit ut finem hunc ſibi proponeret? *Contigit* (nempe) *ut ejus beneficio vitam ſibi minimè diſplicentem traheret; quare ingratus eſſe noluit*. Imò verò

verò pedetentim eundem eſt, neque ſtatim ad ejuſmodi complicatiſſimas res tranſeundum; (neque etenim tam rigidus exactor ſum, ut *gratitudinis* notionem ex motibus corporum localibus deducere eum & componere cogam) Licuit (inquit) ejus beneficio cibo frui & potu, veſtimentis, Muſica, forſan & ſpectaculis; verùm iſta non niſi motus corporeos in organis excitarent. Unde iſtud deſiderium *velle placere*? de phyſicâ causâ nunc loquor & Philoſophicâ, non de moralibus.

At (inquiet) ex motibus aliquibus enatum eſſe ſibi hoc deſiderium, atque hoc deſiderio gubernatum, de modis placendi ipſum cogitâſſe; tandemque in illud incidiſſe, quod erat in ejus poteſtate, ut *de Mirabilibus Pecci* (quod à diaboli poſterioribus [parte nempe obſcænâ] nomen apud noſtrates traxit) poëma ſcriberet. Verùm quis motus, quis pulſus, cibi potuſve efficere potuit, ut placeret ſibi hæc via placendi? ut de re cujus ipſum nomen modeſtiores nonnulli ſolent refugere, carmen ipſe pangeret, ut in ipſo poëmate τὸ πρέπον ſervaret, ut *vitam* ſibi *probam* eſſe profiteri, cum poeta neceſſe habeat?

Vereor ne tibi ludicra hæc prorſùs videantur, ego verò ea non niſi philoſophicè prolata eſſe profiteor; nempe dicere neque eum, neque quenquam alium ex principiis ejus poſſe judico, quâ ratione *corpus motum* vel *motus corporis*, vel de *medio* eligendo *judicium* ferat, vel medium electum quòd infinitum habet phantaſmatum & judiciorum varietatem, (quale eſt poema aliquod) donec perficiatur, gubernet. Atque hoc quidem de mentis diſcurſu (deſignatione gubernato ut loquitur) dixiſſe ſufficiat. Neque verò de diſcurſu abſque deſignatione, opus eſt ut loquamur.

Reſtat autem ut de quodam diſcurſûs mentalis ſymptomate,

tomate dicamus, de quo quidem initio conſtitueram plura proferre; quippe mihi eſt admodum admirabile: verùm quia jam prolixiores fuimus, rem paucis accipe.

Ait (L. c. 3. initio) ut libertatem (opinor) tollat, (quanquam illud abſq; judicio) non eſſe caſualem adeò, uti videtur, Imaginationum humanarum ſeriem, hoc (inquis) cautè admodum, illud *uti videtur* ab omni exceptione eum defendet; at plus infert, atque illud admirabile: ſicut enim nullam habemus imaginationem, cujus antea ſenſionem non habuimus, ita nullam omnino tranſitionem habemus ab imaginatione ad imaginationem, cujus non antea ſimilem in ſenſibus habuimus.

Statueram hæc pluribus refellere, ſufficit nunc illud notare; Impoſſibile eſſe, hoc poſito, ut ſtudio atq; meditatione aliquis quicquam de novo diſcat, ut omnino ratiocinetur, ut Imaginationes ordinet, hæc etenim omnia illud habere debent, etiam ex ſententia hujus Autoris, phantaſmata aliter diſponere quàm fuerint á ſenſu enata, quod fieri nullo modo poſſet, ſi phantaſmata eundem ordinem neceſſariò ſervarent, quem in ſenſione, aut potiùs à ſenſione obtinuerunt; verùm hanc ſententiam ejuſque rationem verè Hobbianam in ſequenti forſan opportuniùs ad examen redigemus.

Cap. 4.

De comparatione Hominis & Bruti ex ſententiâ Hobbianâ.

CUm ſit ille mihi, in omni exercitatione hac, ſcopus propoſitus, ut philoſophiæ Hobbianæ funda-

menta excutiam, non verò, ut in omnia quæ ab ipſo malè & abſurdè dicta fuerint, involem; ſpero te nolle illud requirere, ut Leviathanem integrum κατὰ πόδας inſequar, neque mihi vitio verſurum, ſi naturalem Philoſophiam minimè prætergreſſus in hâc exercitationis Sectione de Homine, in ea quæ ab aliis infinitis tradita ſunt nullus inquiram: ſi ea quæ ſemel alibi attigerim, de novo quoties occurrant, non diſcutiam: imò ſi levioribus & particularibus, quæ ad ſenſum popularem, non autem philoſophicum dicta fuerint prorſus omiſſis, in ea quæ ſunt majoris momenti, incumbam.

Scilicet facienda mihi viſa eſt hæc excuſatio, multa imò plurima eorum quæ in Leviathane Hobbiano occurrunt abſurdiſſima, intacta atque illibata omnino tranſituro; ſi tamen facienda foret ulla excuſatio, ſi defenſio eſſet aliqua mihi neceſſaria, qui ab initio primoque opuſculi hujus exordio, quantum in me fuit, providere inſtitui ut nihil aliud ſive ipſe V. D. ſive lectores à meipſo expectaretis, præter *Fundamentorum* Hobbianorum conſiderationem philoſophicam; non tu igitur vadimonium me deſeruiſſe exiſtimabis, quòd factâ inquiſitione in capitula de *Senſu*, *Imaginatione* & *Diſcurſu*, ea quæ ſequuntur ferè omnia quæ ad hominis naturam in Leviathane ſpectant, & in libellis de Homine continenter præteream; qualia ſunt capitula de *Oratione* vel *Sermone*, L. cap. 4. De *Ratione* & *Scientia*, Cap. 5. *de Paſſionibus animæ*. Cap. 6. *De finibus Diſcurſûs*. c. 7. *De virtutibus intellectualibus*. c. 8. Atq; (ut ſemel illud proferã) omnia quæ in operis Hobbiani tractatu de Homine (quæ prima pars eſt Leviathanis) ſequuntur.

Nempe ſi fuerint ea abſurdiſſima, quæ de *Senſu*, *Imaginatione*, & *Diſcurſu*, habet (quæ quidem tria,

omnia

omnia illa quæ ab homine peraguntur, ambitu ſuo comprehendunt.) Si nihil habeat homo præter *Senſum*, *Imaginationem*, & *ſeriem Imaginationum* (i. e. Diſcurſum.) uti jam ſupra dicentem ipſum introduximus; atque fuerint hæc ipſa eo modo ab Hobbio explicata, quo ſolent (non ii qui Philoſophiam profitentur,) verùm illi (potiùs) quos furor aliquis habet, aut fanaticus error, de rerum natura *diſſerere* (ſi modò illud ſine ſolæciſmo dici poſſit) Illud mihi ſpero largieris ultrò, præciſam eſſe prolixioris orationis neceſſitatem; *Scientiæ* omnes & ipſa *Ratio*, *animorum* humanorum *affectus*, *virtutes* quas vocant *intellectuales*; omnia quæcunque de homine aut dixit unquam, aut dicere poteſt præterire, cùm ad tria iſta capita reducantur; cùm ſint, vel motus in fieri, vel motus in factum eſſe, vel ſeries motuum in factum eſſe; atq; hæc ipſa ſunt à nobis exagitata: quid ampliùs (quæſo) requiras? non ſi mille me ſententiæ abſurditate maximâ turgentes laceſſiverint. Valebunt tamen animum à nugis nunc abhorrentem, ineptiiſque crebris feſſum & nauſeantem, méque ad intermiſſa ſtudia denuò retrahentem, à propoſito atque inſtituto avocare. Fuit quidem (fatebor enim) tempus illud ubi aliquantulum juvabat Pyrgopolynicem hunc in omnes primum orbis Chriſtiani Academias inſultantem audire (*quorum legiones uno difflavit Spiritu,*

quaſi ventus folia, aut peniculum tectorium.) Deinde eò adductum ſpectare vel jurare poſſet.

—per Dianam & Martem, ſe nociturum nemini
Si forſan vapulârit.

Juvabat aliquando parturientem hunc montem, deinde murem naſcentem contemplari. Occurrere mihi

menta excutiam, non verò, ut in omnia quæ ab ipſo malè & abſurdè dicta fuerint, involem; ſpero te nolle illud requirere, ut Leviathanem integrum κατὰ πόδας inſequar, neque mihi vitio verſurum, ſi naturalem Philoſophiam minimè prætergreſſus in hâc exercitationis Sectione de Homine, in ea quæ ab aliis infinitis tradita ſunt nullus inquiram: ſi ea quæ ſemel alibi attigerim, de novo quoties occurrant, non diſcutiam: imò ſi levioribus & particularibus, quæ ad ſenſum popularem, non autem philoſophicum dicta fuerint prorſus omiſſis, in ea quæ ſunt majoris momenti, incumbam.

Scilicet facienda mihi viſa eſt hæc excuſatio, multa imò plurima eorum quæ in Leviathane Hobbiano occurrunt abſurdiſſima, intacta atque illibata omnino tranſituro; ſi tamen facienda foret ulla excuſatio, ſi defenſio eſſet aliqua mihi neceſſaria, qui ab initio primoque opuſculi hujus exordio, quantum in me fuit, providere inſtitui ut nihil aliud ſive ipſe V. D. ſive lectores à meipſo expectaretis, præter *Fundamentorum* Hobbianorum conſiderationem philoſophicam; non tu igitur vadimonium me deſeruiſſe exiſtimabis, quòd factâ inquiſitione in capitula de *Senſu*, *Imaginatione* & *Diſcurſu*, ea quæ ſequuntur ferè omnia quæ ad hominis naturam in Leviathane ſpectant, & in libellis de Homine continenter prætaream; qualia ſunt capitula de *Oratione* vel *Sermone*, L. cap. 4. De *Ratione & Scientia*, Cap. 5. *de Paſſionibus animæ.* Cap. 6. *De finibus Diſcurſûs.* c. 7. *De virtutibus intellectualibus.* c. 8. Atq; (ut ſemel illud proferã) omnia quæ in operis Hobbiani tractatu de Homine (quæ prima pars eſt Leviathânis) ſequuntur.

Nempe ſi fuerint ea abſurdiſſima, quæ de *Senſu*, *Imaginatione*, & *Diſcurſu*, habet (quæ quidem tria, omnia

omnia illa quæ ab homine peraguntur, ambitu ſuo comprehendunt.) Si nihil habeat homo præter *Senſum*, *Imaginationem*, & *ſeriem Imaginationum* (i. e. Diſcurſum.) uti jam ſupra dicentem ipſum introduximus; atque fuerint hæc ipſa eo modo ab Hobbio explicata, quo ſolent (non ii qui Philoſophiam profitentur,) verùm illi (potiùs) quos furor aliquis habet, aut fanaticus error, de rerum natura *differere* (ſi modò illud ſine ſolæciſmo dici poſſit) Illud mihi ſpero largieris ultrò, præciſam eſſe prolixioris orationis neceſſitatem; *Scientiæ* omnes & ipſa *Ratio*, *animorum* humanorum *affectus*, *virtutes* quas vocant *intellectuales*; omnia quæcunque de homine aut dixit unquam, aut dicere poteſt præterire, cùm ad tria iſta capita reducantur; cùm ſint, vel motus in fieri, vel motus in factum eſſe, vel ſeries motuum in factum eſſe; atq; hæc ipſa ſunt à nobis exagitata: quid ampliùs (quæſo) requiras? non ſi mille me ſententiæ abſurditate maximâ turgentes laceſſiverint. Valebunt tamen animum à nugis nunc abhorrentem, ineptiiſque crebris feſſum & nauſeantem, méque ad intermiſſa ſtudia denuò retrahentem, à propoſito atque inſtituto avocare. Fuit quidem (fatebor enim) tempus illud ubi aliquantulum juvabat Pyrgopolynicem hunc in omnes primum orbis Chriſtiani Academias inſultantem audire (*quorum legiones uno difflavit Spiritu,*

quaſi ventus folia, aut peniculum tectorium.) Deinde eò adductum ſpectare vel jurare poſſet.

—per Dianam & Martem, ſe nociturum nemini
Si forſan vapulârit.

Juvabat aliquando parturientem hunc montem, deinde murem naſcentem contemplari. Occurrere mihi

non ſine aliquâ voluptate, rerum vices ſolebant, ubi magnus ille Academiarum ſubactor, Scholarum profligator, viſus eſt initio *μακρὰ βιβὰς*, cùm poſtea ſtatim illud ſecutum eſt *δούπησεν δὲ πεσὼν*. Sed, ut verum tibi fatear, ſentio omnium rerum ſatietatem eſſe, neque voluptati ſemper fore, ſi vel Academiarum inimico, ridicula contingent, atque ipſe ludibrio perpetuo exponatur.

Vides (opinor) nihil illum ad humanas quaſcunq; operationes attuliſſe, quod cæteris corporibus, ſive animatis, ſive inanimatis, non conveniat, nempe hoc erit Scholis atque Academiis in ſolatium, contigiſſe illud adverſario ſuo, ut in locis iis ipſis ubi importuniùs in illas invectus fuerit, ſeipſum brutis animantibus vel inferiorem redderet, vel æquipararet; dura quidem hæc verba eſſe judicas, (vir ſummâ modeſtiâ) eaque quæ velitationes Scholaſticorum ingenuas minimè deceant; imò forſan exiſtimas me, iſtas concluſiones ex Hobbio deducentem, vel ſummâ vi extorſiſſe, vel ſententiam à mente ſuâ (quâ tu forſan eum minimè carere exiſtimas) alienam, ipſi affinxiſſe, ut in *μορμολύκειον* à nobis fictum aut excitatum militemus. Quare, hoc ipſo fine, Capitula ea quæ de homine reſtant, inſtituimus, ut manifeſtum fiat, iſta quæ jam ante deduximus ipſum reverà ſentire, nempe *Hominem mentem non habere à corpore diverſam, nihilq; eſſe prorſus in quo humana natura, corporum aliorum naturam excellat*, ſimulque ut ſententiarum iſtarum turpitudinem, breviſſimo aliquo ratiocinio evincam.

Statutum eſt hoc loco ex Hobbio evincere, non eſſe naturam humanã naturâ brutorum aliquo modo ſublimiorem ſtatuendam; Verùm è contrario multa habere bruta animantia, quibus hominibus præſtent. Quare de iis omnibus breviſſimè dicendum eſt, quibus

bus

bus fieri poſſit ut (animi ratione) homo iis excellat, illudque diſtinctè & methodicè.

Cùm igitur animi humani facultates (de quâ voce nolo ut lites mihi moveat, cùm & ipſe eâ utatur, & mihi non ſit neceſſaria, ut aliquid in quo diſſentimus, adverſus eam ſtabiliam) cùm, inquam, animi facultates ſint

Vel
- Apprehenſivæ.
  - Senſitivæ.
    - Externæ.
      - (Viſ. Aud. Guſt. Od. Tact.)
    - Internæ.
      - Phantaſia.
      - Memoria.
  - Intellectivæ, ubi
    - Ingenium.
    - Curioſitas.
    - Iudicium.
    - Diſcurſus.
    - Ratio.
    - Horum expreſſio.
      - Intellectio vocum.
      - Loquela.
- Appetitivæ.
  - Inferiores.
    - Concupiſcibilis.
    - Iraſcibilis.
  - Superior, Voluntas; ubi
    - Deliberatio.
    - Libertas.
    - Virtutes.

Atque hæc omnia cùm ſoleant alii (qui nihil concedere volunt, niſi quod ratio ſuadeat) brutis eripere; ea interim omnia, humanis aut æqualia largitur Thomas, aut ſuperiora.

Digitized by Google

Noſti V. D. inter celeberrimos noſtræ ætatis Philoſophos diſputari, an ſenſus ipſe, qualis eſt ille de quo nunc loquimur; *nempe cum conſcientiâ*, ſit brutis concedendus, neque ipſe Thomam, alicujus (etiam optimè differentis) aut rationibus obruam, aut authoritate; non ille ſolet aut aliena expendere aut ſua non dictorum rationes afferre; ſatis habet ſua (pro imperio) effundere, de eo minimè ſollicitus, an vera, an conſentanea fuerint, an falſa & ſe mutuò deſtruentia, illudque eorum nomine ſuſcipere, *omnia eſſe legitimè demonſtrata.* Quòd ſi hoc unum aliquo ratiocinio legitimo, ex principiis ejus illud deducendo oſtenderit vel rerum, vel operationum ſuarum conſcientiam bruta habere, nempe Actum quem vocant Scholaſtici (ipſo certè longè magis intelligibiles) *Reflexivum*, ego omnia alia, quæ infinita ſunt, ſphalmata ipſi condonabo.

Ne exiſtimes hoc loco V. D. me ſenſum omnem brutis animantibus denegare, verùm talem qualis in hominibus exercetur (quem judicium, ratio, conſcientia comitantur) nullo modo iis (ab homine Philoſopho, demonſtrationes ſententiarum præ ſe ferente) concedendum eſſe arbitror, non me cogit hic locus, ut de Senſus humani atque belluini differentiis agam; ſufficit animi ſententiam breviſſimè adumbrare. Manifeſtum eſt, eſſe in hominibus diverſis, magnum ſenſuum ſeu potiùs ſenſationum diſcrimen, etiamſi non fuerint organa diverſo modo à naturâ fabricatâ & inſtitutâ; quod quidem ex judicio, organorum motum vel conſequente vel comitante, contingit; judicium interim vel exercitatione vel arte, vel ex cauſâ forſan aliâ, judicium excellit. Quàm multa vident; e. g. pictores in umbris & in eminentia quæ nos non videmus? quàm multa quæ nos fugiunt in cantu, ex-

audiunt in eo genere exercitati? qui primo in flatu tibicinis in Antiopam eſſe aiunt vel Andromachen, cùm nos id ne ſuſpicemur quidem. Eſt in his quædam intelligentia, quâ alii alios ſuperant, quod igitur in gradibus (ut loquuntur) hic contingit, Idem in toto genere intelligendum eſſe volo, ſi de ſenſu Hominis & brutorum loqui inſtituamus. Et tu quidem ſenſum brutis concedendum exiſtimas, nempe ſenſum Hobbianum, id eſt, motum ab objectis, ſed ſublimiorem illum qui cum judicio & cognitione eſt, auferendum, neque enim ....

Eſſe illis partem divinæ mentis & hauſtus Æthereos.

At alia eſt Thomæ ſententia quam referre nunc juvat; ſenſus habent externos, internos. *Senſio & memoria, etſi cognitiones ſint, communes homini ſunt cum omnibus animantibus.* Corp. c. 1. §. 2. Eodem modo ſenſum habent, eodem modo memoriam, atque Imaginationem (eſt enim memoria nihil aliud niſi imaginatio) quo homines &c.

Hoc quidem generaliter enunciatum eſſe cernis; at forſan ab ipſo vel temerè elapſum, vel alibi meliùs explicatum exiſtimas; dic igitur quid illud ſit in quo hominem iſtis animalibus excellere judicas. Dices *ingenium naturale.*

Quin igitur attende ad initium Cap. 8. Leviathanis, quod eſt de virtutibus intellectualibus, illic invenies *ingenium hoc naturale hominis à bruti ingenio tantillò differre,* ut planè nullius ſit momenti iſta differentia, *ut inter virtutes intellectuales non ſit numeranda.*

Atque hæc quidem hactenus ingenium Hobbianum ali-

aliquantulùm olere cernis; attamen exiſtimas aliquid eſſe ſaltem, etiam ex ejus ſententia, quo animal hoc (providum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & conſilii) quod appellamus hominem, cætera vincat: nempe tres ſunt vulgò dicti mentis humanæ actus(præter ingenium, quod facultatem potiùs vel vim nativam indicat) objectorum apprehenſio, mentis judicia ſeu ſententiæ, & diſcurſus. De ingenio & apprehenſione dictum eſt; vis animi Hobbiani de judicio ſententiam?

Verum eſt (inquit)*animalia quædam (veluti apes & formicas) in Societate vivere, & tamen nullam directionem habere, præter judicia eorum particularia, & appetitus.* L. cap. 17. p. 86. Ecce hæc ipſa non tam animalia quàm animalcula judicio pollent, & civitates non fictas atq; metaphoricas, ſed genuinas inſtituunt, Apes nimirum,

—ipſæ Regem parvoſq; Quirites
Sufficiunt, aulaſq; & Cerea regna refingunt.

At nondum (inquis) ad ſummum actionum humanarum apicem pervenimus; fieri poteſt ut ſenſum aliquem habeant, ut judicio aliquantillo valeant, neque tamen *diſcurrant*; atque ita hoc ſaltem ſervatum eſſe homini à natura privilegium.

Imò cavendum eſt illud, ne tibi placeas, quaſi hoc modo bruta ſuperares.

Nempe *ortus perpetuus tum ſentientibus, tum cogitantibus, phantaſmatum, id ipſum eſt quod appellari ſolet animi diſcurſus, & communis eſt hominibus cum brutis. Corp.c.25.p.* 229. Quare dejectum de ponte iterū cernis hominem, à Depontano hoc ſene, nonniſi eodem modo cum brutis animantibus diſcurrente,

Atta-

Attamen (inquis) fieri non poteſt, ut nullâ in re ſuperemus, imò verò concedet ipſe Thomas, ut in aliquibus præſtemus; eſt quædam innata homini *Curioſitas*, ſive deſiderium ſciendi, atque hæc quidem (inquies) eſt homini propria, etiam ex ſententia hujus Philoſophi. L. c. 6. p. 26. disertè illud affirmat, (*Curioſitatem, nulli viventi præter hominem competere;* Certè gaudendum eſt aliquid inventum eſſe, nobiſque magni æſtimanda eſt iſta ſaltem *Curioſitas*, quin igitur in ejus naturam & definitionem aliquantulùm inquiramus, ut gemmam hanc pro dignitate æſtimare valeamus. Nempe *Curioſitas eſt, quâ fit ut effectu aliquo conſpecto, in cauſam inquiramus, vel cauſâ propoſitâ, quæramus effectum.* Hæc quidem integram Curioſitatis naturam complectuntur. Benè habet quod propriam habemus vel hanc Curioſitatem.

At non eſt huic homini nimiùm credendum, *nempe effectu propoſito cauſas quærere, eſt Homini cum Beſtia commune.* L. cap. 3. pag. 9. Quare ſemiſſem ſaltem *Curioſitatis* hujus ſubductum eſſe cernis, ejuſque non eſſe hominem, ex aſſe hæredem. Imò verò nil deſperandum eſſe dices, ſatis enim amplum homini relictum adhuc à natura patrimonium, nempe *Rationem ipſam* quæ præſtat omnibus; omnia etenim quæ rationem habent, præſtant iis quæ ſunt rationis expertia: Eſt enim Ratio quaſi quædam lux lumenque vitæ, domina rerum omnium & Regina; (hæc & hujuſmodi innumera rationis encomia apud Ciceronem & Oratores alios, quà Græcos, quà Latinos occurrunt) atque ipſe Hobbius hanc nobis reliquit intactam (neque ſibi ipſi ſervando, neque brutis animantibus eam communicando) quare non eſſe ullo modo querendum. Nempe hoc ipſum apertis verbis profi-

profitetur L. c. 6. p. 26. loco ſuprà laudato, *non ſolum Curioſitatem, ſed & Rationem homini peculiarem eſſe, nulliuſq́; viventis præter hominem ſolum, communem.* Quin igitur vicimus, clamare licet, Victoria! Neque eſt ut nos terreant cætera animalia, ut metuamus Leones vel Leviathanes.

Attamen moderatio animi nos potiùs decebit, nec erit illico clamandum, Io triumphe! Videamus quid nacti ſumus, quid ſit hæc *Ratio*, & quanti ſit ea ipſa etiam æſtimanda. Tu forſan exiſtimas munere ingenti donâſſe nos naturam, cum fuerit Rationem nobis largita, illamque brutis denegaverit.

At falleris, neque enim *rationem* nobis *Natura* tribuit, non eſt ea Naturalis, ſed Acquiſita prorſus. Eam non ex natura hauſimus ipſâque formatione, ſed penitus didicimus.

Nempe *non eſt Ratio nobiſcum nata (veluti Senſus & Memoria) neq́; experientiâ ſolâ acquiſita, verùm induſtriâ. L. c. 5. p.* 21. Imò pueri eam non habent, *non ſunt* (inquit) *omnino ratione imbuti, priuſquam ſermonis uſum aſſecuti fuerint.* Quare non eſt, ut naturæ munus hoc acceptum referamus, neque eſt in quo naturaliter cætera animantia ſuperemus.

Veruntamen cùm velit nos ratione (utcunque acquiſitâ) ea vincere, videamus quid ipſi ſit ratio & annon illud quod hoc loco largitus ſit, alicubi uti ſolet, detraxerit. Eſt illi certè *Ratio ſermonis uſus, vel loquelæ*, nihilque habet (ex mente illius) præter *vocum uſum & verborum.* Videamus annon & ipſa animalia bruta vocis eundem cum hominibus uſum habeant. An illud pro rato habet Malmesburienſis & fixo, loquelam eſſe hominibus peculiarem? Imò ſi Leviathanem evolvas, invenies eum hoc loco pendulum aliquantulùm & dubium, in negotio hoc rationis & intelle-

tellectûs: hoc certè diſertè affirmat, rationem & intellectionem nonniſi verborum eſſe L. c. 4. p. 17. *Quare* (inquit) *ſi loquela ſit homini peculiaris, (uti eſt quantùm ego ſcio) tum eſt etiam intellectio homini peculiaris.* Habet igitur, *quantum ipſe novit*, aliquam ſaltem, præ brutis animantibus, dignitatem homo, & præcellentiam.

Habet, inquis! at quid ſi bruta etiam vocis eundem habeant uſum cum hominibus? atque ipſe ſibi hoc in loco contradicat, ne forſan ipſis ſit iniquior. Ille certè mihi videtur verborum uſus & vocis humanæ, ut affectus animi poſſit exprimere, hunc uſum bruta habent, ſcilicet *vocis uſum habent, quâ faciunt ut deſideria, atq; affectus eorum invicem innoteſcant.* L. c. 17. p. 87.

At (inquies) licet ſuam iſta loquelam intelligant, cùm tamen hominum voces minimè capiant, erunt iſta animalia hominibus eo ipſo deteriora. Quanquam non ſatis intelligam cur illa loquelam noſtram minimè intelligentia ſint nobis ideò inferiora, magis quàm illis nos ſumus inferiores, ſermonis eorum ignari, (nemo enim mihi, præter unum forſan Pythagoram aut Apollonium Tyanæum occurrit, qui voces brutorum intellexiſſe fertur) non eſt tamen ut hoc argumento ſuccumbant ea hominibus. Ecce enim! *Imaginatio iſta quæ in hominibus excitatur, vel verbis, vel ſignis aliis* θετικοῖς *(ex inſtituto) iſta eſt quæ generaliter vocatur Intellectio, & communis eſt homini cum bruto. L. c. 2. p. 8.* Cùm igitur bruta, & ſua intelligant & noſtra, nos noſtra vix intelligentes, loqnelæ interim brutorum rudes omnino ſumus. —Vides quid ſequatur, nempe præcellere hâc ratione bruta animantia, Hobbioque ipſi ſive philoſophanti, ſive de mirabilibus Pecci carmina mirabiliter fundenti, præſtare poſſe

Corvos

Corvos poëtas & poëtrias picas;
Quas nempe docuit verba noſtra conari
Magiſter artis ingeniiq; largitor
Venter.—

Hucuſque in parte hominis Apprehenſiva verſati ſumus, ubi vides bruta hominibus aut nullo modo cedere, aut eos planè ſuperare ex hujus philoſophi ſententiâ. Reſtat, ut de parte etiam (ut loquuntur) Appetitivâ, dicamus; ubi non eſt ut de Appetitu ſenſitivo, ejuſque parte ſive Iraſcibili, ſive Concupiſcibili, verba faciamus, quia res eſt manifeſtior, quàm ut verbis indigeat.

Verùm eſt in homine appetitus non ſolùm Senſitivus, ſed & Rationalis, atque uti objecta quædam apprehendendo percipit homo, quæ nulla Imaginationis (propriè dictæ) vi percipit (uti antehac innuimus, & poſtea oſtenſuri ſumus) ita in bona etiam nonnulla fertur, malaq; quædam averſatur, quæ non ſunt ſenſuum objecta, ſed ſublimioris alicujus facultatis, iſtius nimirum quæ ſolet in homine Voluntas appellari; atque iſtam fortaſſe exiſtimas homini ſervatam veluti propriam illius & peculiarem.

At neque voluntatem homini ſoli reliquit Thomas, imò inquit, *Bruta voluntatem habent: L. c. 6. p.* 28.

Judicas aliquam forſan fallaciam verbis ſubeſſe, nempe lato quodam (ut aiunt) verborum ſenſu, illud dici poſſe, atq; ita Philoſophum hunc intelligendum: verùm Voluntatem propriè dictam, eam nimirum quæ conſilium præſupponit & *deliberationem* in agendo, in brutis illum non agnoſcere. At falleris V. D. nam deliberationem iis priùs attribuit, deinde conſequenter iſtam, de qua locuti ſumus, Voluntatem.

Alterna (inquit) *ſucceſſio Appetitûs & fugæ, ſpei &*

& timoris, in cæteris creaturis viventibus, non minùs eſt quàm in homine: quare beſtiæ etiam deliberant. L. ce 6. p. 28. Atque ex hoc præſuppoſito fundamento, fluit illud ut πόρισμα, habere ea voluntatem, nempe *Beſtiæ cùm deliberationem habeant, neceſſariò habent voluntatem.* ibid.

At (inquies) ſi voluntatem habeant & deliberationem, unde profluant actiones brutorum, erunt ipſa etiam actionum ſuarum domini, erunt fato erepta & *libera* eodem modo quo homines.

Benè habet quod *eodem modo quò homines* dixiſti; ſi etenim bruta libertatem habitura ſolummodò dixiſſes, non ferrent iſtud principia Hobbiana; poſtquam autem eadem hominibus & brutis contingere aſſerueris, habebis eum ſuaviter conſentientem.

Nimirum non illud agit Thomas Hobbius, ut bruta extollat, ut quid divinum iſtis attribuat, ut in claſſem humanam promoveat; verùm ut in gregem potiùs cæterorum animantium homines deprimat; eandem igitur utriſque tum brutis tùm etiam hominibus concedit libertatem, (imò eandem rebus inanimatis tribuere neceſſe habet, id eſt, nullam) varietatis actionum cauſas eaſdem exiſtimat in utriſque

Haud equidem credit quòd ſit divinitùs illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia major:
Verùm ubi tempeſtas, & cæli mobilis humor
Mutavêre vias, & Juppiter humidus auſtris
Denſet, erant quæ rara modo, & quæ denſa relaxat;
Vertuntur ſpecies animorum, & pectora motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
Concipiunt.—

Neque enim id quod intus in homine fit, dum vult aliquid, diſſimile eſt ei quod fit in aliis animalibus, dum habitâ

habita prius deliberatione appetunt, neq; libertas volendi vel nolendi, major eſt in homine, quàm in aliis animalibus. Corp. c. 25. p. 235.

Miraris proculdubiò nova hæc audiens, atque ad objectiones te forſan accingis: ſi ejuſdem planè nobiſcum gregis fuerint iſta animantia, miraris cur fœdera cum illis non ineamus, cur virtutes (morales) in iſtis non perſpiciamus; quin accipe harum rerum rationes, nempe prius illud cauſam habet manifeſtam, poſterius non eſt tibi concedendum.

Impoſſibile inquit eſt (L. c. 14. p. 68.) *ut fœdera cum brutis faciamus, quia ſermonem noſtrum non intelligunt* &c. atque ipſe quidem Hobbium minimè intelligo (dixit non ita pridem bruta nos intelligere) vereor ne mihi ſit præciſa ſpes omnis fœderis cum ipſo ineundi.

At ais virtutes ea non habere morales, vellem ut iſtud non ita confidenter objeciſſes, probabo etenim ex Hobbio nullâ *virtute*, imò nullo omnino *numine* carere beſtias. Primùm de virtutibus, noſti conſtitui illud à plurimis ſolere, veluti ratum aliquid, & planè definitum; non ſolere virtutes morales ſolas vagari, verùm (cùm in medio, unaquæque earum conſiſtat) circulum quendam vel corollam complere, pulchrè variegatam, nempe (quod dici ſolet) noſti catenâ quâdam omnes vinciri, (verbo concatenari.)

Quinetiam illud non ignorans, catenæ hujus vinculum, illud eſſe quod *prudentiam* appellamus, mediumque illud ipſum virtutum à prudentia decerni (ita nimirum ſe habere ὥσπερ ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειεν) unde illud certè ſequelâ minimè dubiâ deducetur, neque virtutes abſque *prudentiâ*, neque prudentiam abſque virtutibus extare, imò verò (ne multis te detineam,) nihil vulgatius iſto

Nullum

Nullum numen abeſt ſi ſit Prudentia.—

Quare ſi prudentiâ non caruerint iſta animantia, peracta res erit, mihique non temerè concludendum; ὅπερ ἔδει.

Attende igitur ad Hobbium L. c. 3. pp. 10, 11. *Certè* (inquit) *Prudentia non eſt, quæ hominem à beſtia diſtinguit, ſunt enim beſtiæ quædam annotinæ, quæ plus obſervant, eaq; quæ bona ſibi fuerint, prudentiùs inſequuntur, quàm pueri decennes.* Adjicere potuit, quàm ſenes cùm repueraſcunt. Quare conclamatum eſſe cernis de omni humana dignitate; nihil eſt in quo brutis excellimus animantibus, cùm tamen innumera ſint in quibus ipſis inferiores ſumus, ſive ſenſuum acumen, ſive corporis agilitatem ſpectemus, atque robur, ſive etiam longævitatem;

Φύσις κέρατα ταύροις,
Ὁπλὰς δ' ἔδωκεν ἵπποις,
Τοῖς ἰχθύσι τὸ νηκτὸν,
Τοῖς ὀρνέοις πέτασθαι &c. Anacr.

Non tu expectas (puto) ut ex Rhetoribus, Poëtis, Philoſophis eorum excellentiam evincam. *Nempe animus meminiſſe horret.*— Satis eſt ea nos vincere, neque expectandum eſt ut vincentibus acclamemus, ſatis eſt viribus corporis ejuſque pernicitate, nos ab illis ſuperari; interea tamen

Quid juvat in ſemet ſua per convitia ferri
Et fraudare bonis, quæ nec Deus invidet ipſe?

Certè cæcum eum & invidum eſſe oportere credas, qui

qui illud nobis ſaltem non concedat, in vita civili nos illis multis paraſangis præſtare. Et tamen ipſe (L. c. 17. pp. 86, 87.) ſex argumentis probare nititur, hâc etiam in re nos ſuperari. Nempe *quod ambitione careant*; quod *bonum eorum privatum à publico non diſſentiat*. Quòd *malam adminiſtrationem ſe cernere non arbitrentur*. Quòd *colores boni & mali quibus ſe mutuò fallant, non meditentur*. Quòd *inter damnum & injuriam minimè diſcernant*. Tandem, quòd *inter ipſa conſenſus ſit naturalis non artificialis ex pactis exoriens*. Quibus & illud adjicere licet (L. c. 12. p. 52.) carere illa religionis anxietate, quæ quidem ſecundum principia Hobbiana nullius eſt uſûs, niſi ut homines cruciet, eoſque inutilibus ærumnis implicet, vitæque humanæ miſerias miniſtret.

Nunc autem quid à me expectas (vir ornatiſſime) num ut adverſus profana iſta prolatis ſeriò argumentis diſſererem, adeoque me ſanæ mentis hominibus deridendum propinarem, vel potiùs ut eum impium, ſceleratum, brutum appellarem? vidi certè intra triduum literas ab eruditiſſimo quodam viro & de Mathematicis diſciplinis optimè merito, (Chriſtiano Hugenio) quibus mirari ſe profeſſus eſt, voluiſſe collegam meum doctiſſimum, Geometriam Hobbianam (utpote ab ingenio minimè defæcato profectam) Elencho ſerio atque erudito caſtigare; quid (quæſo) cenſeret quicquid eſt uſpiam eruditorum hominum, ſi me diſcurſu ſobrio nitentem cernerent, ut ex brutorum familia meipſum eriperem, iiſque me aliquo modo præſtantiorem evincerem? vides certè profana iſta nullâ ratione à bruteſcente hoc homine ſtabiliri; eodem planè jure, quo iſta divinæ mentis privilegia brutis conceſſit, potuit Divinitatem iſtis aſcribere, rituſque paganorum laudando evehere, illudque Triſmegiſti

giſti (ſive γνησίως ſive ficti) comprobare; *Audi, ô Aſclepî, rem magnam; poſſe nempe homines* (per divinæ mentis προσεγγίσεις quas ipſis arte quâdam pro arbitrio obtinere licet) *Deos facere.*

Atque hæc quidem omnia, aliaque ejuſmodi infinita, cùm gratis ab ipſo dicta fuerint, adeoque eâdem facilitate rejici poſſint, quâ afferuntur, nolo in iſtis refutandis moram trahere; verùm cùm unum ex iis fuerit quod ſe demonſtrâſſe judicat, de eo (tribus, quod aiunt, verbis) dicetur; hoc autem illud eſt. *Nullam habere hominem agendi vel non agendi libertatem. Libertas* (inquit) *talis ut à neceſſitate libera ſit, neq; hominum, neq; brutorum voluntati convenit. Corp. c. 25. p. 235.*

Caſtigavit eum hoc nomine Cl. Moranus (in Animadverſionibus) indeque profluentia incommoda oſtendit; nolo actum agere, nolo rem ipſam libertatis humanæ tractare; ſervavimus initio argumentum hoc integrum Rdo: Bramhallo: Experiemur quâ ſpecie rationis libertatem hanc Thomas ſuſtulerit.

In Appetente (inquit) *appetendi cauſa præceſſerat integra, & proinde ipſa Appetitio (ut Cap. 9. Art. 9. oſtenſum eſt) non ſequi non poterat, id eſt, ſecuta eſt neceſſariò.*

Argumentum (uti ipſe non diffitebitur) de omni cauſæ cujuſcunque actione, eodem modo concludet, neque de bruto & homine magis, quàm de Deo ipſo erit intelligendum; eritque hoc modo ſublatum omne motus initium, atque illud aſtruendum ex hoc principio, Non eſſe primum Motorem. Cùm igitur ex aliquibus ipſius principiis, primum Motorem agnoſcendum eſſe (in quæſtione de mundi origine) antehac evicerim, eumque αὐτοκίνητον, manifeſtum eſt eum hoc loco ſibi ipſi contradicere.

Imò verò cum Sect. 2. Cap. 3. Exercitationis

 bujus,

hujus, (ubi in doctrinam Hobbianam de Cauſa & Cauſato, & de Potentia & Actu inquiſivimus) illud oſtenderim, nullam eum neceſſitatem in rebus eviciſſe præter hypotheticam (illam quam ſolent libertatis aſſertores ultrò concedere) ibique eam quam vocat hujus rei oſtenſionem vel demonſtrationem everterim, non opus eſt ut multis illum hoc loco refutare contendam.

Summa eſt; aut Deus eſt αὐτοκίνητος, aut non eſt ipſe mundi cauſa, & primus motor, verùm motorem ſeipſo priorem habuit: at mundi cauſa eſt (aliquando ipſi Hobbio) primuſque motor; αὐτοκίνητος eſt igitur. Quare everſum eſt argumentum, quo omnia eſſe neceſſaria concludit, eruntque alia ipſi argumenta ad Fatum aſtruendum quærenda.

Deinde & illud recolendum eſt, ipſius cauſæ integræ definitionem quam habet Cap. 9. (ab ipſo jam laudato) illud ſupponere; eodem inſtanti quo *cauſa* eſt *integra*, *effectum* poni, ideoque nihil aliud eſſe concluſum ab eo, præter hoc unum, *eo inſtanti quo res eſſe ſupponitur, neceſſariò eam eſſe*, quod nihil aliud ſonat quàm illud metaphyſicorũ axioma, *impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe*; verùm ut iſto ratiocinio tollatur libertas, ſive à prima cauſa ſive à ſecunda aliqua, quæ condita ſit ad primæ illius imaginem, nemo ſanus (opinor) judicabit.

Imò ſi ſit ex principiis Hobbianis accuratè loquendum, non erit dicendum, effectum ex cauſa integra omnino *ſequi*, cùm illam ubique *comitetur*.

Nolo diſſimulare præter hæc tradita, eſſe alium in Leviathane locum, ubi hoc ipſum videtur ſibi velle, ut tollat libertatem, neque enim finem alium habere iſta poſſe judico: locus eſt L. c. 3. p. 8. in capituli ſuperioris parte extremâ à nobis indicatus.

Ubi

Ubi ait *Imaginationum ſeriem non prorſus eſſe ita caſu factam, uti nobis videtur.* Atque pro argumento vel lemmate illud demonſtrandum ſuſcipit, *non tranſire nos ab imaginatione aliqua ad imaginationem, niſi ſimilem prius in ſenſione tranſitionem fecerimus.*

Verùm dum tu reſponſionem ad iſta expectas, fateor me ſtupore quodam (neque etenim ſufficit admiratio) detineri; miror hominis levitatem & inconſtantiam, miror turbidum ipſius & fæculentum ingenium, miror gentis noſtræ contemptum, cui quidem non erubuit iſta exponere.

Phantaſmatum in homine ſeries (inquit) *eſt vel caſualis, vel ordinata.* (*de Homine c.* 4. *initio*) *At non prorſus ita caſualis eſt uti videtur*, hoc loco jam laudato habet, atque hæc quidem hactenus conſiſtunt; at nullo modo caſualis eſt, *neq; enim tranſimus ab imaginatione* &c. nuſquam abſque contradictione evadit. Niſi moleſtum tibi foret, paucis oſtenderem hominis ingenium & judicium; nolo te detinere: is ſcopus eſt, ſi modò ullum habuerit, ut tollat libertatem, negando caſualem imaginationum ſeriem; argumentum adhibet ejuſmodi, ut nihil ſimile uſquam me reperiſſe meminerim, niſi forſan illud quo velit illud ipſum ſtabilire.

Tranſitio omnis in imaginatione facta, facta prius eſt aliquando in ſenſione. Vides ſublatam eſſe ſemel ſpem omnem *inventionis* ſive Dialecticæ ſive Rhetoricæ, quæ illud habent, phantaſmata aliter ordinare quam fuerint animo objecta. Si quis ſit oculis captus (ſaltem à nativitate) neque concionem poterit ordinare, neque poëma dictare; neque aliam unquam tranſitionem facere quam audiendo fecerit vel tangendo &c. quàm vellem ut oſtenderet Homeri integrum poema eodem ordine quo illud compoſuit in ſenſus incurriſſe.

At licet Inventionem ſuſtulerit, *judicium* ejus mirabe-ris, ecce etenim ſententiam qualem qualem argumento non indigno confirmatam.

Quare (quæſo) neceſſe eſt ut *Tranſitio omnis* &c *facta ſit prius in ſenſu?* Attende obſecro.

Quia, phantaſmata ſunt motus intra nos (reliquiæ motuum in ſenſu) ideoq; motus in ſenſu ſuccedentes ſimul manent, ita ut redeunte priore ſequatur poſterior. Nempe phantaſmata ſunt naturæ prorſus admirabilis, Motus *manentes* vel *ſtantes*, (per aliquot ſæcula, nam geſta puerilis ætatis ſenes recordantur) motus poſt ceſſationem redeuntes, & quid eſt tandem quod ex iſta hypotheſi non ſequatur? Ait L. p. 19. *liberam voluntatem* eſſe locutionem abſurdam. Qualia ſunt iſta? Venit mihi, neſcio quomodo, nunc in mentem ſētentia futilis & ludicra; Nempe *Brutum eum exiſtentem, non debuiſſe nobis eripere libertatem.* Unde hæc mihi phantaſmatum connexio, unde factum ut Thomæ imaginationem, illud bruti conſequeretur? ubi facta mihi iſta in ſenſione conſecutio? Inquies hoc ideò contigiſſe, quia de brutorum ſe eſſe grege tam ſtrenuè evicit, quanquam difficultatem hoc minimè ſolvat. Quid hoc, quæſo, ad ultimum Romanorum? at vereor ne tibi forſan inſanire videar, ad alia tranſeamus.

Cap. 5.

De Animi humani naturâ ejuſq; duratione.

Nempe duæ (uti vides) res ſūt, de quibus erit mihi ſermo deinceps inſtituēdus, quarū 1. Altera eſt *de Animi humani natura.* 2. Altera *de ejuſdem animi duratione.* De his erit mihi quàm potero dilucidè agendum, lucem hîc fugit, ſcilicet Thomas, oditq;, & totus ferè in eo eſt ut ſententiam abſcondat, quare nullibi invenies eum de Animi natura, inſtitutâ quod aiunt operâ agentem, verùm omni molimine conantem,

ut abſque mentis ope humanæ naturæ phænomena exponat, ut hominem in ordinem brutorum deprimendo redigat, ut obiter aliudque quaſi agendo, animum ipſum ejuſque immortalitatem tollat; imò hoc quidem aperta facie, illud tectiùs, ſibique mille locis contradicendo, tenebraſque Stygias ſuæ ipſius ſententiæ, ne á lectoribus percipiatur, offundendo.

—Ingentem fumum (mirabile dictu)
Evomit, involvitq; domum caligine cæca,
Proſpectum eripiens oculis, glomeratq; ſub antro
Fumiferam noctem.—

Meminiſti (opinor) me illud dixiſſe, irrita hâc ratione eſſe Hobbiana omnia quæ hominis naturam reſpiciunt, quia mentem ad hanc machinam movendam (mentem nimirum à corpore diverſam) non adhibuerit, quòd motibus corporeis omnes humanas operationes explicet, nihilque aliud adjecerit. Atque ipſe jam tum intellexi locum, ubi verſarer, atque hanc ſententiam (abſque omni verborum ambitu prolatam) diſcipulorum Hobbianorum calumniæ, apertiſſimè patere. Quare utriuſque hujus ſententiæ & *illorum* & *meiipſius* rationes, afferentur.

Norunt ii qui in operibus Hobbianis verſati ſunt, nihil eſſe Thomæ huic noſtro frequentius, quam ut de *Mente humanâ* loquatur; atque ita loquatur ut *mentem* eſſe aliquid à corpore *diverſum* ſtatuere aliquibus videatur; ita quædam ipſi officia peculiaria, atque à corporis partiumve ejus officiis diverſa aſſignat, ſive officia generalia ſpectemus, ſive animorum (quos vocant) *Actus, Paſſiones, Habitus* atque *Facultates.*

Animam illud eſſe, quod vitam motumq; corpori largitur, ipſe ſtatim Leviathanis initio innuit (nempe in proæmio p. 1.) *Mortem* (*L. p.* 188.) *ita explicat, ut ſit ſeparatio animæ à corpore.*

Quod ipſum naturarum (ut aiunt) atque eſſentiarum diverſitatem arguit.

Imò multa habet *animi* peculiaria, non ſolùm noſtro judicio verùm & ipſius, ut videtur: *de animi figmentis* loquitur L. p. 5. de *Venatione animi* L. p. 9. *de Diſcurſu Mentali* longas orationes inſtituit L. c. 3. & 7. nempe de his agere videtur tanquam proprijs animorum; animorum inquam, non corporum humanorum, ſive integrorum, ſive partium eorundem.

Quinetiam de motibus animorum agens (quoſdam imò plurimos, licet, corpori communicet) nonnullos tamen animo ſervat. Ita de *Voluptatibus animi*, loquentem eum habemus L. p. 25. de *Animi delectatione* H. p. 76. de *Voluptatibus* quibuſdam quæ *non* ſint *organica* H. p. 78. 79. in *Libidine* (inquit) *voluptas eſt, non Senſûs ſolius, ſed & Animi*. H. p. 106. ita ut animum à corpore ſejunctum agnoſcere eum videatur eſſe manifeſtum.

Porro ſunt Animorum etiam habitus quidam, vitia nimirū & virtutes, de *Vitiis animi* loquentem eum invenies H. 124. & alibi de *Generoſitate* virtute quorundam animorum peculiari L. p. 74.

Imò non opus eſt ut verba fundam, Ecce manifeſtior eſt hæc res, quàm ut ullâ poſſit ratione tegi, ut ullâ fronte negari, nempe de viribus humanis agens quàm accuratiſſimè (pro more ſuo) eas in duas claſſes diſcernit (tum H. p. 84. tum in Leviathane p. 41.) facultates inquit humanæ duplices ſunt, viz: vel Corporis vel Animi facultates.

Mirari proculdubiò cæpiſti V. D. quid mihi fuerit in animo, ut Thomæ ſententiam aſcriberem, ab ejus mente alienam adeò: vides eum planè ὀρθόδοξον, nihilque eſſe quod in iſtis culpare aliquis poſſit. Quin audi igitur quid velim.

Non

Non unquam ea mihi mens fuit, ut illud intelligi vellem, Thomam non habuiſſe ea quæ ſententiam ipſius everterent, cernis potiùs eviciſſe me omni ferè in re ſentẽtias eum proferre ſibi invicem obviantes & arietatione crebrâ ſe impetentes. At inquis ſi modò ſententias habeat contrarias, cur hanc ipſi potiùs quam illam attribuis? accipe pauciſſimis hujus rei rationes; nihil certè mihi apertius eſt quàm Thomam libellum de Homine ſcribentem in alia ſententia fuiſſe ab ea qua fuit, ſive Leviathanem ſcribens, ſive libellum de Corpore, quàm credidiſſe eum antehac, mentem eſſe à corpore diverſam; nunc autem in aliam ſententiam tranſiiſſe: illud ex quibuſdam citatis, de voluptatibus *inorganicis*; de animi perenni duratione, poſtea citandis, manifeſtum eſſe; quare repudiatum iſtum libellum ab ipſo credo, quod in ipſum jam ſenem ſæpiùs inſurgat rebellis: ejuſque in poſtremis (quos magis diligit) mentionem factam eſſe nullam; imò locum iſtum bis jam tractatum (in libello de Homine, & in Leviathane) ſibi quaſi adhuc integrum ſervatum, in Libri de Corpore concluſione.

Verùm quid clarius, quid evidentius (inquis) eſſe poteſt, quàm eum in poſtremis operibus (Leviathane & de Corp.) ita de mente locutum, quaſi eſſet *ſubſtantia* quædam, etſi non incorporea forſan, à corpore tamen humano diverſa? Dicam; neque ambages ſectabor. Mihi certè manifeſtum eſt, ea quæ his libris de Animo habet (ſenſu jam explicato) non niſi populariter dicta fuiſſe, nempe formulas iſtas loquendi non ſine quadam excuſatione & præfatione adhibere ſolet, ita de animi diſcurſu loquens, Corp. p. 229. illud inquit, *quod appellari ſolet Animi diſcurſus.* Ita de Imaginationum ſerie locutus, L. c. 3. initio, & de *diſcurſu Mentali*, cautionem hanc tempeſtivè adhibet *Mentalem*

talem dici ſolummodo, ut diſtinguatur à verboſo, cæteraque omnia eodem modo ſunt intelligenda.

Verùm—*ad populum phaleras.* Non jam quærimus quidnam ipſi viſum eſt ſtylo vel Oratorio, vel Poetico proferre atque ad vulgi mentem; verùm quænam ſit ipſius ſententia, vel quid libri ejus poſtremi in fundo habent; protrahendus eſt igitur in lucem philoſophicam. Quærenda eſt animi ejus ſententia eaque verbis apertis coram te judice exponenda in lucem, fugatis tenebris & larvâ omni detracta non aliter ac cùm,

Panditur extemplò foribus domus atra revulſis;
—abjurataq; rapinæ
Cælo oſtenduntur.—

(Quod de Caco habet Virgilius.)

Neque verò ego te V. D. diu detinebo ſive in ſententia ejus eruenda, ſive refellenda. Accipe eam paucis.

Scilicet, cùm ſit, quicquid eſt uſpiam in univerſo, vel Subſtantia vel Accidens, ſit autem Subſtantia, aliis vel Incorporea vel Corporea, Subſtantiam incorpoream nonniſi deſtruentium ſe mutuò vocabulorum connexionem ipſe ubique affirmet, neceſſariò illud ſequitur, ut ex ſententia ejus, anima ſit vel Corpus vel Accidens, Corpus autem non eſt, neque enim uſquam hoc (in poſtremis ejus operibus) innuitur. Quare *Accidens* eſt, illudque pro ſententia Hobbiana eſt ſumendum. At (inquies) non eſſe hominis cujuſvis ſententiam, hujus præſertim qui contrariis abundat, ex ratiocinio ſolo colligendam, quinimò ex verbis ejus apertis inferendam atque palàm oſtendendam.

Quan-

Quanquam rigoris hoc ſit alicujus, nolle in autore qui demonſtrationes ſeveras, & accuratiſſimas rerum tractationes ubique pollicetur, illud admittere, ut methodo Analyticâ (ſententiam quamcunque ut veram ſupponendo, eamque in principia reſolvendo) ſenſus Autoris ejuſque tandem principia eruantur, experiar tamen quid poſſim hoc modo oſtendere.

Dixi Animam ex mente Hobbiana Accidens eſſe debere, per animam intelligunt omnes Formam humanam quæ dat homini Eſſentiam. En igitur (Corp. c. 8. §. 23.) hæc habet. *Accidens quod ſubjectum ſuum denominat, Eſſentia dici ſolet, ut Rationalitas hominis dicitur Eſſentia, eademq; Eſſentia quatenus Generata, Forma dicitur — Corpus autem reſpectu formæ, Materia nominatur.*

En igitur *forma* hominis, unde Homo nominatur, *Accidens eſt*. Quare inquirendum ulteriùs eſt, quid ſit Accidens, & quodnam illud ſit Accidens, quod hoc nomine tàm præclaro dignum ipſe cenſeat. *Accidens* (inquit Corp. Cap. 8. §. 2.) *eſt concipiendi corporis modus*; quare hoc ſaltem evicimus, Animam eſſe Corporis humani *modum* aliquem. Et cùm modi omnes Corporis vel in extenſione (quam figura, ſitus & ſiqua ſunt ejuſmodi comitantur) vel in motu conſiſtant, aliquis horum modorum erit ipſi neceſſariò anima humana. Nempe vel partium omnium Harmonia & Craſis, vel partium motus, vel ut ſit habitus quidam (aut habitudo, ſi eo modo loqui concedatur)

(Nempe habitum quendam vitalem Corporis eſſe
Harmoniam Graii quam dicunt; quod faciat nos
Vivere cum ſenſu, nulla cum in parte ſiet mens.

Ut

Ut bona ſæpe valetudo cum dicitur eſſe
Corporis, & non eſt tamen hæc pars ulla valentis).

Vel ut ſit Actus aliquis, quem ab Ariſtotele ἐντελέχειαν vocare conſuevimus, atque ille actus nihil aliud in ſe habere præter motum localem. Quærendum igitur eſt utrùm ſit anima Thomæ noſtro Harmonia, vel Motus, quorum altera nil niſi relationem quandam dicit, alter habet quid poſitivum ut loquuntur.

Atque imprimis manifeſtum illud eſt, *Animam* & *Vitam* idem Thomæ ſignificare. Nempe L. c. 46. p. 373. illos vehementer ridens, qui animam corpori ſuperſtitem eſſe judicant, hâc ratione illud facit quod *Anima* ſit *Vita*. *Hoc* (inquit) *ὡρμολυχεῖῳ homines terrent, dicentes Animam, id eſt, Vitam ſeparatam* &c.

At manet adhuc illud quærendum, an vita ipſa ſit *Harmonia*, an *Motus partium localis:* Habebis igitur eum disertè ſententiam ſuam explicantem, in Objectionibus in meditatiões *Carteſii* de prima Philoſophia. Notum illud eſt, neque ipſe diffitebitur Objectiones Tertias ab Hobbio factas eſſe, nempe ingenium Hobbianum admirabile perfectè redolent (pingue nimirum & minimè defæcatum) miratur *Carteſius*, ad objectionum finem accedens, nullam eum hactenus rectam illationem in iſtis objectionibus inveniſſe (Reſp. ad obi. 12.) quod nemini præter Hobbium convenire poteſt. Verum quid opus eſt argumentis? habebis V. D. proculdubiò confitentem reum.

Ipſe igitur in Obiectione quarta hæc habet. *Quid jam dicimus, ſi fortè Ratiocinatio nihil aliud ſit quàm copulatio nominum, — ſi hoc ſit, ſicut eſſe poteſt, ratiocinatio dependebit à nominibus, nomina ab imaginatione, & imaginatio fortè* ſicut ſentio, *ab organorum corporeorum motu, & ſic Mens nihil aliud erit, præterquam motus*

in

in partibus quibuſdam corporis organici?

En! habes apertè animi ſententiam Hobbiani, nempe *mentem nihil eſſe aliud, præter motum in partibus quibuſdam corporis organici*; Imò(inquis)nondum eſt aperta,ita ſenilem illam vocem,*fortaſſe*, perpetuò ſuis immiſcet, *Quid dicimus* (inquit) *ſi fortè* &c. & *Imaginatio fortè, ſicut ſentio*. Verùm enimverò iniquus es V. D. iſta ſi objicias; illud *ſi fortè* enim non ad ſententiam ejus, ſed ad rem ipſam eſt planè referendum. *Fortè ego ſentio* &c. nihili eſſet & puerilis locutio; imò, *eſſe hoc poteſt*; *fortè verum eſt, certè ſic ſentio*; hic certè ſenſus eſt verborum. Apertum igitur & manifeſtum eſt, mentem nihil aliud eſſe præter motum &c. ex ſententia Hobbiana.

Quare ſenſum ejus eruimus, videſque illum ex eorum numero eſſe adverſariorum quos longè difficilius eſt invenire, quàm vincere & proſternere. Quid enim ad iſta dicemus? Cùm ſit illud manifeſtum, quod habet *Carteſius*, nempe eodem jure, quo concluſit mentem eſſe motum, potuiſſe eum concludere terram eſſe cælum (ſeipſum eſſe avem Minervæ ſacram) vel quicquid demùm ipſi placuerit. Quis niſi mente furiatâ foret, hoc modo concluderet? quis niſi furore percitus ejuſmodi ſententiam (à quâ omnis humana ratio abhorret) effutiret? Imò verò furore correptus eſt planè, non Muſarum aut Apollinis ſed Dionyſi, hinc eſt quod magna meditatus & grandia pollicitus, ebrii alicujus inſtar, dithyrambicam quandam effundit Philoſophiam. Ita mihi Horatianum illud in mentem revocat, Ubi grandia exoſus,

Dicam inſigne, recens adhuc
Indictum ore alio—
Nil parvum aut humili modo

Nil

Nil mortale loquar.

Tandem evaporato hoc ſpiritu, quaſi ſomnolentus exit

—ſequens Deum
Cingentem viridi tempora Pampino.

Non alio certè modo Thomas hic noſter Philoſophiam exorditur (Nobilem ſc. illam Philoſophiam) ab Academiarum totius orbis, Philoſophorumq; quotquot fuerunt unquam contemptu incipit; *Vult ipſe Empuſam exterrere atq; abigere. Confidit omnia* (non aliter quàm Euclidis elementa) *eſſe legitimè demonſtrata, Invidiam augendo ulciſcetur.* Ecce ut

—profeſſus grandia turget.

Verùm ad concluſiones accedens (ubi de rebus maximi momenti agitur) & ad Fabulæ Cataſtrophen, hujuſmodi Colophone rem omnem, aut ipſe claudit aut ſaltem claudere eam debet, *Quid jam dicimus, ſi fortè ſit, ſicut eſſe poteſt, ſi fortè ſicut ego ſentio* &c. ubi nervi eum deficiunt animique, & ſerpit humi timidus procellæ: ubi poſtquam à rebus excelſis atque ſublimibus Jove & Muſis exorſus eſt & mirabilia pollicitus (utpote *diem inferendo*, ut abigatur Empuſa) nos tandem in ſpecus tenebroſos atque obſcænos ducit, &

Dum, Ventum eſt (pudet effari) Plutonis ad Anum
Ut vocitant pleriq;, loci vocat incola Peaks—A
(Hob. Mirab. Pecc.)

At vereor V. D. ne contagioſa ſit iſta Hobbii inſania, ita me penè coëgit ut inſaniam. Quin igitur ad ejus ſententiam redeamus. Ait *Mentem humanam nihil aliud eſſe præter motum in partibus quibuſdam*

buſdam Corporis organici. Videamus quid inde ſequatur. Sequitur nimirum, ut corpus inſenſile vel ex inſenſilibus compoſitum motu locali agitatum, ea omnia perficiat, quæ menti ab ipſo aſcribuntur. Qualia ſunt iſta.

τὸ φαίνεσθαι. C.c. 25.
Notiones fingere. L. p. 5.
Verba intelligere. L. p. 8.
Artes & Scientias invenire. L. p. 22.
Voluptates etiam inorganicas percipere. L. p. 25. H. 78.
Res per phantaſiam tranſeuntes obſervare. L. p. 33.
Ingeniū acquirere. L. p. 35.
Conari ut Libidines ſubjugentur. L. p. 39.
Venationem vel ſcrutinium Phantaſmatum inſtituere. L. p. 9.
Studere atq; conſequentias intelligere. L. p. 12.

Certè infinitus eſſem, ſi omnia ea loca notare vellem, ubi de Mentis operationibus ipſe loquitur: appello communem hominum rationem, me nihil ipſi affinxiſſe judicabunt, illudque me non temerè enunciâſſe, non ſolùm bruta animantia verùm & ligna & lapides (quorum nihil abſque partium motu, aut eſt certè, aut eſſe poteſt) hoc modo fieri intelligentia, hominique nulla in re cedere debere; quinimò ex quovis ligno fieri Mercurium, eumque intelligentem. Neque ipſe valebit unquam adverſus hanc ſententiam adferre aliquid, quod ipſi ſibi non repugnet, Nempe ſi vis omnis ſententiæ ſit in voce iſta *Organica*, aſſignabit organici intellectionem, nonniſi ut inſtrumenta ſunt; illud autem cujus inſtrumenta fuerint, Animus dicetur.

Verùm iſtis omiſſis, ego paucis oſtendam, etiamſi millies ringatur Thomas (voceſque iſtas ex hominum conſuetudine abolere vehemētiſſimè contendat) mentem humanam *Subſtantiam* eſſe, eamque *incorpoream* dicendam, imò illud ex Thomæ ipſius ſupremis

operibus

operibus neceſſariò conſequi & fluere.

Meminiſti V.D. me Thomæ diſcurſum omnem quo ſubſtantias incorporeas veluti Empuſam abigere contendit, in ſuperioribus (nempe p. 35.) ad examen redegiſſe. Quinetiam ex ſui ipſius principiis & dogmatis eviciſſe, aut Deum eſſe debere ſubſtantiam incorpoream, aut eſſe omnino (quod Deus ipſe prohibeat) tollendum. Imó verò ex poſitione motoris primi, & ex axiomatis Hobbianis, de motuum corporeorum cauſis, eſſe eum neceſſariò & incorporeum & αὐτοκίνητον. Oſtendendum nunc eſt (quod & antehac ſuſcepiſſe me memini) ex ipſius Thomæ dogmatis mentem humanam non eſſe motum, ſed eſſe ſubſtantiam debere, eamq; incorpoream. Nempe ex Thomæ ſententia Corp. cap.11. conſtat, illud neceſſariò ſtatuendum eſſe, *hominem eundem eſſe, Senem, qui fuerit Juvenis* (hoc inquam ſtatuendum eſſe) *ne confundantur omnia jura humana.* Et cùm quæſitum eſt unde fieret ut ſit idem; in ea ſententia ſe eſſe profeſſus eſt, *eundem eſſe hominem, propter formam talem, quæ eſt principium motûs, & fuit in generatione.* Quinetiam illud planè ſtatuit, *infantis & ſenis non eſſe idem corpus.*

Ex iſtis igitur ita diſputare licet; homo eſt idem juvenis & ſenex; atque à *forma* ſua habet, ut ſit idem; *forma* hominis illud eſt quod *mentem* Hobbius & ego appellamus: Deinde *idem* eſt homo, propter aliquid quod *idem* manet per totum vitæ ſpatium (Nempe manente identitatis (ut loquûtur pri)ncipio, idem manet individuum Corp. p. 83.) Quare *mens* hominis *eadem* manet per totum ſaltem vitæ hujus ſpatium: At *corpus* hominis non eſt idem infantis atque ſenis; Multò *minus* idem eſt *motus* permanens, partium quarumcunque corporis humani. Quare *neq; corpus*, *neq; motus corporis eſſe poteſt mens humana.* Incorporea eſt igitur

tur, illudque ex principiis Hobbianis, ultimiſque eius laboribus neceſſariò evincitur. At verò *ſubſtantiam* eam eſſe manifeſtum eſt, ex ipſa ſubſtantiæ notione. Nempe principium eſt & cauſa motuum, ex ſententia hujus Philoſophi, ſubjectum eſt ultimum modorum quorundam (qualia ſunt ea omnia jam ſupra recenſita, aliaque innumera de quibus nunc non eſt dicendum) nempe cogitationum omnium. *Subſtantia eſt igitur incorporea mens hominis*, illudque ex ipſo Thoma legitimè atque accuratè concluſum eſſe exiſtimamus.

Vellem, ut argumenti elenchum oſtendant ii, qui Thomam admirantur; eumque à fæda ſui ipſius contradictione vindicent; at magiſtri curam non habent plurimi, modo Tanti (quantum eſſe cernis) Philoſophi nomine, Deum ipſum, Mentemq; humanam immortalem negantes, ſe poſſint defendere.

Ultrò nimirum concedentes audivi, Thomam eſſe hominem in ſententiis inconſtantem, ſibique millies contradicentem, neque in libellis ſolummodò diverſis ejus, hoc contingere, verùm in iiſdem libellis in eâdem ſæpe periodo, (adeoque nihili eum eſſe) attamen dignum eum eſſe quem admirentur; ideò quia auſus eſt ſententiam ipſis gratiſſimam palàm efferre: ſe verò ſcire quænam (ex diverſis effuſis) ſit animi ejus Sententia, eam nimirum ubiq; quam nos turpiſſimam opinamur. Quare non ſatis eſſe Thomam ſuis ipſius viribus evertere, eiuſque contradictiones oſtendere, niſi & iſtas ſententias, quas hîc illîc inſanus evomit, evertam.

Verùm iniqui ſunt iſti rerum noſtrarum æſtimatores, voluiſti V. D. ut de Thomæ operibus (qui antiquos recentes, homines privatos, Academias publicas, univerſim omnes, faſtu minimè ferendo ſprevit & laceſſivit)

vit) quid ſentirem efferrem, hic mihi ſcopus præcipuus, ut ſciret noſtra præcipuè juventus qualis eſſet, ut ſentiat qui vir ſiet. Quanquam illud neque negligendum eſſe judicarem quod ipſi poſtulant, neque omnino neglexerim. Quod ad rem præſentem attinet, erit certè aut motu corporis peragendum omne mentis humanæ officium, aut erit mens incorporea ſtatuenda, ſubſtantia (inquam) incorporea, illud & omnis ratio fugit atque averſatur, hoc igitur concedendum: Vel ſi Hobbianorum ratio illud non refugiat, mentem ita explicent, ut in abſurditates minimè ferend as non incidant, eorumque ingenium laudabo.

Cernis interim quid Anteſignano eorum acciderit. Et noſti me alicubi mentis humanæ naturam incorpoream pluribus oſtendiſſe; Summa eſt, nullo modo intelligi poteſt, quomodo corpus hoc vel illo modo agitatum, actu reflexivo rem aliquam percipiat. At verò in homine innumera ſunt, quæ non hoc ſolum habent, ſed & vim omnem Imaginationis excedunt, tum in ſimplici objectorum apprehenſione, tum in judicio, tum in diſcurſu, tum in lucta cum carne, aliiſque infinitis. Notionem univerſalem quamcunque, vim omnem Imaginationis, qualem *Thomas* deſcribit, excedere, in hoc opuſculo ſupra oſtendimus; ipſa apprehenſio ſubſtantiæ incorporeæ, nulla vi corporis, ſive quieſcentis, ſive moti perficitur, quod tamen de Deo vel concedere (fremat licèt & maximopere reclamet) neceſſe habet Thomas ipſe, vel ſuo ipſius judicio, erit Atheiſmi manifeſtus. Neque ullius momenti eſt illud quod hoc loco objiciunt, non nos habere de Deo Ideam aliquam perfectam, verùm in omni inquiſitione de Deo nonniſi negando nos procedere: Nam & illud, negare attributum aliquod de Subjecto, quandam ſubjecti ipſius apprehenſionem, ut

etiam

etiam Attributi præſupponit. Ego mentem meam ne prolixus ſim, uno (quod aiunt) verbo, explicabo.

In quæſtione de primo motore, illud evincunt ultima Matheſeos principia, & communes notiones, primum eſſe motorem ſtatuendum; qui Accidens eſſe non poſſit: quare ſubſtantiæ alicujus notionem habemus, qui ſit primus motor. Deinde, ex corporum moventium & motorum affectionibus conſideratis eum Incorporeum eſſe concludimus, id eſt negandam eſſe de Deo corporeitatem; quare notionem aliquam ſubſtantiæ habemus, de qua ſit neganda Corporeitas, id eſt, notionem aliquam ſubſtantiæ incorporeæ, atque hoc quicquid eſt notionis, quamcunque fuerit imperfectum, aſſequi nullo modo poteſt Atomus aut Elementum, eorumve combinationes localiter movendo. At verò quamvis de *Apprehenſione* ſimplici res non foret (prout tu eſſe cernis) manifeſta, tamen ut *judicium*, id eſt, *affirmatio* vel *negatio* fiat, carnis, vel ſanguinis, vel vaporis motu, intelligi nullo modo poſſit. Movet (inquit Thomas) objectum aliquod organum ſuum, & fit phantaſma objecti, & illud fit denuò, & excitatur novum phantaſma, id eſt novus motus: verùm præter motus iſtos, eſt quoddam Judicium, de ipſa phantaſmatum ſimilitudine, vel diſſimilitudine, de convenientia reſpectu tertii alicujus, aut inconvenientia, neque dicere ullo modo poteſt, niſi mentem à corpore diverſam adhibendo, vel unde, vel ubi ſit excitatum hoc judicium.

Quod autem de *Judicio* dictum eſt, illud *Diſcurſui* multò magis convenit, qui tria ſemper habet judicia, atque ex duobus tertium elicit; nempe intelligi nullo modo poteſt, quomodo Caro motu lo-

cali efficiat, ut admiranda iſta & præclara phænomena, in Artibus & Scientiis(vel ſpeculativis, ut loquuntur, vel iis quæ vitæ hominum communi inſerviunt) explicentur.

Multo minus (ſi nihil aliud in homine ſit præter motus corporeos) explicare unquam valebunt, aliquid eorum quæ ſentiunt ii qui ventri minimè inſervientes & libidini, ſed cupiditates reprimentes vitamque colentes ſeveriorem, gratiſſimam olim expectant & fæliciſſimam immortalitatem.

Scio riſurum eum eſſe ad ipſum Immortalitatis nomen, quare vellendus eſt atque cogendus ut mentem meam capiat, nempe non hîc aſſumo nondum evictam animi humani Immortalitatem; verùm ipſum nullo modo ex phantaſmatis ab ipſo deſcriptis, eorundem ortu vel progreſſu, explicare poſſe contendo (vel alium quemque qui mentem à corpore diverſam non agnoverit) phænomena iſta quæ ſententiam de Animorum immortalitate in hominibus conſequuntur. Verùm expedire potiùs exiſtimamus, ut de Quæſtione ſecunda verba faciemus, quæ eſt *de ipſa Animorum Duratione.*

11. Quæritur hoc loco *an mens humana ſit Immortalis.* Ubi duplex etiam eſt inquiſitio inſtituenda, nempe quæ ſit Thomæ ſententia, quid ſit in rei veritate ſtatuendum; neque tamen horum utrumvis longam aliquam deſiderabit orationem poſt illa priora ſatis apertè tradita, nempe ſi *Spiritus* ſit mens hominis à corpore diverſus, erit *Immortalis*; Si ſit ſubſtantia incorporea (quod eviciſſe me autumo) erit naturâ ſuâ Immortalis. Contrà ſi corpus ſit (ut Atomus) fieri poteſt, ut ſit incorruptibilis & immortalis; ſi verò motus ſit vel modus corporis Organici (complexim ſumpti) non ſolùm immortalis non erit ſua natura,

Verùm

verùm nullâ vi(non ipſâ vi divinâ quantum humana mens capit)fieri poteſt ut morti ſuperſit, vel ut eadem ſopita reſuſcitetur. Cùm igitur Mentem eſſe motum ſtatuat, nihilque aliud præter motum partium quarundam organicarum localem, vides quid ſit ipſi neceſſariò ſtatuendùm.

At dices immitiùs me illum tractare, dum ſententiam ejus ratione atque argumentis eruo; imò ficta hæc omnia eſſe,quæ in quæſtione ſive de Animi natura, ſive ejuſdem duratione, hactenus ipſi tribuimus; nempe Thomam & Chriſtianum eſſe, & agnoſcere Animam Hominis Spiritum eſſe, & immortalem. Hoc ipſum nempe diſertis verbis affirmat(de Hom.p.136.) *Nos* (inquit)*qui ſumus Chriſtiani, agnoſcimus Angelos eſſe,& bonos & malos,quinetiam Spiritus eſſe,& Animam humanā eſſe Spiritū, & illos Spiritus eſſe immortales.Imò* ipſo in Leviathane (c. 8. p. 38.) *non credere Spiritus eſſe, proximum eſt* (inquit) *Atheiſmo aperto.*

Et erat ea mens (ut videtur)aliquando Thomæ huic noſtro. Nempe animo vegetior aliquantò, Chriſtianus erat, Spiritus agnovit, animam humanam eſſe Spiritum & immortalem, atque ſtatuiſſe videtur, Chriſtianum eum non eſſe qui iſta non agnoſceret. Verùm enimverò hæret adhuc mihi ſcrupulus minimè avulſus, non eſſe eundem hunc Thomam ſubdubito, qui libellum iſtum de Homine compoſuit: Certè *mentem* mutavit, quare non eſt idem,vegetior aliquantùm & valentior animus ipſius, ſe nunquam moriturum iudicabat;

(*Nempe ubi robuſtis adolevit viribus ætas*
Conſilium quoq; majus & auctior eſt animivis.)

Verùm nunc frigeſcens aliquantulùm ſenectute &

annis ſuccumbens ſe ſtatim animumque ipſum exiſtimat moriturum. At mihi quidem placet vegetioris atque junioris ſententia; illamque præferendam ſenili huic, ipſius (in hâc re) Symmiſta (Lucretius) docebit.

Namq; ubi jam validis quaſſatum eſt viribus ævi
Corpus, & obtuſis ceciderunt viribus Artus,
Claudicat ingenium, delirat linguaq;, menſq;,
Omnia deficiunt, atq; uno tempore deſunt.

Quare non eſt, ut ſuccenſeat, ſi juniorem illum Thomam, ſeneſcenti huic noſtro præferamus.

At non, inquis, jam illud quæritur, quænam ſit præferenda, ſed quænam ſit ipſa Thomæ de Duratione animorum ſententia, dicam.

Animam (inquit) *Hominis, eſſe naturâ immortalem, Error eſt planè.* (L. c. 44. p. 339.) At inquies hunc eſſe ſenſum, errare illos qui exiſtimant animi immortalitatem naturaliter poſſe oſtendi, qua in re nonnullos pios & fideles ſibi conſentientes habet, tollentes à ratione quod fidei tribuant: Ratione, inquiunt, hoc non innoteſcit, quare ad Scripturas fugiendum. *Imò verò inquit animam naturaliter Immortalem eſſe, ex Scriptura non eſt manifeſtum.* (L. p. 240 241.) Dices ferri hoc etiam poſſe, nempe voces iſtas *naturaliter immortale*, in Scriptura non occurrere. Verùm quid ſequitur ambages? dicat velim non de mortalitate, verùm de morte ipſa, an moriatur animus ex ejus ſententia, vel non moriatur. Imò moritur (inquit) totus, & *mortuus manet uſq; ad Reſurrectionem generalem. —Et vita hominis immortalis (anima autem & vita in Scriptura idem plerumq; ſignificant) in homine, ante Reſurrectionem, & diem Judicii, non incipit; cauſamq; habet non naturam (hominis) ſpecificam,*

ſed

ſed promiſſionem. (L. c. 38. p. 240. 241.)

Habes nunc integram ejus ſententiam de Animi duratione tum Philoſophicam, tum etiam Theologicam; extingui eam ſcilicet in corporis occubitu, & ante Reſurrectionem non reviviſcere, nempe ampliationem iſtam, diem (uti credit) longiſſimam aſſecutus, de reliquo non eſt admodùm ſollicitus.

Quænam ſit illius de Scriptura ejuſque autoritate ſententia, erit alibi dicendi locus, ſufficiet hoc loco oſtendere, repugnare ejus ſententiam, tum Scripturæ ſacræ, tum etiam rationi. Quod ad primum, Scriptura ſacra ſtatuit mentem humanam, tum durare poſt mortem, tum etiam Corpori in Reſurrectione reuniendam; quorum neutrum, ſententiam ejus de animi natura ferre poteſt. Quid opus eſt verbis?

Motus, ſuo diſſoluto mobili, durare nullo modo poteſt, quare neque mens poterit Hobbiana, morti corporis ſupereſſe.

Motus (nempe idem numero motus, de quo ubique loquimur) non poteſt ceſſare, & deinde poſt aliquod tempus reſuſcitari, cùm igitur homo dicatur *idem* à *forma*, *forma* autem ex mente Hobbii ſit *motus localis*, reſtitui nullo modo poſt *Pſychopannychian*, & reſuſcitari poteſt idem homo; Cùm igitur illud datâ operâ contendat aſſerere, Scripturam, hominum reſurrectionem; (eorundem nimirum qui moriantur) nullo modo oſtendere valebit unquam, ſententiam ejus Scripturæ ſenſui è diametro non obverſari. Iſta inquam concedere, ipſe neceſſe habet, abſque ullo Scripturæ S. ſcrutinio: At malè eum habebit (opinor) hoc loco, quod Scripturam in partes (fronte verè Hobbianâ) vocare non erubuerit; quæ mille teſtimoniis, ipſoq; ſpiritu earum & genio, craſ-

ſos hujuſmodi homunciones obruunt; quidni etenim homuncionem iſtum appellem, ubi cum Prophetis, Apoſtolis, imò Chriſto ipſo inſtituenda eſt comparatio? Ait hic Senex (ſibiipſi olim ſaniori contradicens) Mentem, ejuſmodi aliquid eſſe ut non ſit à corpore diverſum, ut non ſit ſubſtantia à corpore quod incolimus aliena, ut non ſit corpori ſuperſtes, audetque ad Scripturas provocare. Verùm ipſæ ſacræ S. de corpore atque animo ſive mente, velut oppoſitis & diverſiſſimæ naturæ Subſtantiis, ubique loquuntur. Nempe ſi originem ſpectemus, Corpus humo, Anima (vel mens vel ſpiritus) Deo ipſi originem peculiari modo ex ſenſu S. debet. *Finxit Jehova Deus, hominem de pulvere terræ*; Ecce Corporis originem: *Sufflavitq; in nares ipſius Spiritum vitæ*; En principium vitæ humanæ à Corpore diverſum! Gen. 2. 12. *Redeunte ipſo pulvere in terram; redibit Spiritus ad Deum qui dederat eum.* Eccl. 12. 9. Ecce manifeſtam antitheſin! Eodem modo Author ad Heb. *parentes Carnis à patre Spirituum* contradiſtinguit. Imò Chriſtus ipſe *nolite* (inquit) *illos timere qui Corpus occidunt, animam autem occidere non poſſunt, ſed eum potiùs qui cùm occiderit Corpus, Animam poteſt mittere in Gehennam*, Luc. 12. Quid quæſo, num modum, num motum corporis (corpore ipſo, vel diſſoluto, vel quieſcente) mittet in Gehennam?

Imò verò ſcriptum eſt inquit Chriſtus, *Ego ſum Deus Abrahaam, Iſaac, & Jacob: Deus eſt autem viventium non mortuorum*, utrumque Saducæorum errorem ictu uno configens, qui & reſurrectionem ſimul & ſpiritus negabant (in eo certè Hobbio ſapientiores quod ſententiarum dependentias atque ſequelas intelligebant.)

Nolo prolixus eſſe in re apertiſſima, Chriſtus moritu-

riturus Spiritum Deo commendat, Stephanus Chriſto; Paulus cupit diſſolvi & eſſe cum Chriſto, annon hæc mentem ſeu Spiritum corpori ſuperſtitem evincent? Chriſtus Spiritibus qui ſunt in carcere prædicavit. 1 Pet. 3. 19. Quid ſibi vult Hiſtoria de Divite & Lazaro? Parabola (inquit) eſt; nunquam evincet: vidi ſub Altari animas eorum qui mactati fuerunt, vidi, inquit, clamantes. Apoc. 6. 9. Annon hæc omnia, animarum etiam à morte ſeparatarum durationem aut evincunt aut præſupponunt? certè infinita hujuſmodi adferri poſſent. Promiſit Chriſtus latroni fore eum eo ipſo die, cum ipſo in paradiſo, ne quis ad reſurrectionem olim futuram ampliationem meditetur. Imò Diabolus Sauli, cras, inquit, mecum eris, quod plus habet quàm morieris, vel εἰς ᾅδου deſcendes. Novi quæ regerant, futilia ea omnia. Quare ad argumentum redeamus.

Manifeſtum eſt S. Scripturas Animum ſive mentem hominis à corpore ejuſdem diverſum (ita diverſum ut ab eo ſeparatim exiſtere poſſit) ſtatuere, inquam manifeſtum eſt Scripturam, hanc mentem Spiritualem, ſemper eſſe prædicare; ſubſtantiam autem eſſe à corpore minimè dependentem, ſupponere. Quare Thomas Scripturæ ſacræ manifeſtò contradicit, aſſerendo Animum eſſe corporis motum, eiq; minimè ſupereſſe poſſe.

Scio hæc omnia ex Scripturis hauſta à Diſcipulis ejus rideri, qui Scripturas ipſas contemnunt, verùm meminerint non jam quæri de Scripturarum Autoritate, ſed earundem ſententia, eoſque ſtupidos eſſe & impudentes, ſi magiſtro ad Scripturas provocante, Scripturam loquentem audire noluerint.

Ego interim toto quod aiunt cælo ab hoc homine diſſentio, aio nempe animas hominum *naturaliter immor-*

mortales eſſe, illudque non ex Scriptura ſola, verùm ex ratione ſeveriore, clarum eſſe, omnique viro Philoſopho concedendum; illudque breviſſimâ hâc ratiocinatione concludo. Subſtantia *incorporea* eſt *indiviſibilis*, adeoque *indiſſolubilis*, adeoque *corruptioni non obnoxia*, & conſequenter *immortalis*. *Mens* autem hominis *ejuſmodi* eſt *Subſtantia*, *Subſtantia* quia *permanens*, *incorporea* qui iſtiuſmodi operationes exercet innumeras, quas motus localis vel Atomorum vel Corporum ex Atomis aut elementis compoſitorum, nullo modo perficere poteſt; *Eſt igitur anima humana naturaliter immortalis*; illudque ab hominibus naturali utentibus ratione, concedendum.

Quid interim ex adverſo Hobbiani? Anima (inquiunt) quæ ſit immortalis & ſeparabilis nulla eſt; quare? quia motus localis eſt inſeparabilis à corpore, neque poteſt per ſe ſubſiſtere, Anima autem humana motus eſt, motus localis. Quid? quæſo! motuſne eſt partium localis? ergo *non manet*, vel ad duo momenta, *Idem homo* (neq; enim forma eſt eadem) *& jura omnia humana tolluntur*; Suis & ipſe viribus ruit Leviathan. At, inquit, licet motus idem non maneat, ſimilis manet tamen, quare homo priori ſimilis evadet. (imò neq; ſimilis per omnia, ſed nolo importunus eſſe) quid tum? tum, moto corpore, omnes operationes humanæ conſequuntur; ſatis eſt! Cernis quâ ratione omnia poſſint fieri intelligentia non ego Philoſophum hunc, Truncum appellabo, Verùm illud ſentio, fieri hoc modo poſſe, ut Truncus evadat Philoſophus, imò Deus.

Olim truncus erat ficulnus, inutile lignum
Maluit eſſe Deum Thomas, Deus indeq; factus.

Sed

Sed de his ſatis, alia nos manent, quare tranſeundum eſt illicò ad doctrinæ Civilis Hobbianæ fundamenta.

SECTIO. V.

De Cive Hobbiano.

Cap. I.

De Homine, ut eſt in ſtatu Naturæ, ex Hobbii ſententia. De Præ-Adamitis *nonnulla. De Lege item Naturæ, ſeu regulis Boni & Mali.*

PRæclarè Thomas Hobbius (V. D.) Philoſophus Malmesburienſis, atque ſapienter, illud ſapientis, alicujus ex ſeptem Græcis, præceptum, laudando evehit(L. p.9.)ſc. *Reſpice Finem*: Quoniam in omni negotio ſuſcepto, niſi ſcopus animo, ſæpiùs agentis, obverſetur, aut impoſſibile erit, aut omnino difficile ab erroribus cavere. Quare patiaris(obſecro) frui me ſententiæ: tam ſapientis beneficio, reſpice(quæſo) V. D. ſcopum ipſum & Titulum hujus Epiſtolium,neque illud requiras, ut in Leviathanis aut libelli de Cive Corpus integrum eorumque ſphalmata univerſa inquiram. Nempe eſt ipſe Leviathan grandis(ut nôſti) ſatis, neque pellibus exiguis continetur, neq; verò otium mihi eſt, aut animus minutiora proſequi, ſatis erit in fundamenta ipſius inquirere, quæ ſi luxata fuerint & fluentia, non eſt ut ædificia magnopere curemus: hoc nempe jampridem initio ſuſcepimus, ut de Civilis diſciplinæ fundamentis(Hobbianis)diceremus; contraham autem orationem, ſpatiiſq; modicis concludam

cludam eam, non ſolùm eâ ratione, ne tædio tibi ſit aliiſque, verùm etiam quia in ejuſmodi res incidimus, ubi neque experimentum, neque demonſtratio locus habet, quod mihi (in rebus aut Mathematicis [uti noſti] aut naturalibus plurimùm verſanti) ingratum eſſe non diffiteor, nempe in iſtis ſiqua contingat diſſenſio (quod ex ingenii alicujus perturbati inadvertentia aut temeritate ſolummodo evenit) ſopitur ea ſtatim ratione euſque valente, ut communi ſaniorum hominum ſuffragio, pertinax licèt error explodatur; hoc nempe modo exploſus nunc eſt Autoris hujus Tetragoniſmus aliaque ἀγεώμετρα, neque metus eſt, ut aliquando moleſtias eruditis hominibus exhibeant; verùm in iis quæ ex arbitrio pendent, ſive Humano ſive Divino, qualia ſunt plerumque Politiæ atque Religionis negotia, oriuntur ſæpenumero quæſtiones nullis rationis aut judicii humani viribus ſolubiles, verùm ejuſmodi ut æternas ſuſtinere poſſint diſputationes atque lites, cùm nullum habeant (vel ſensûs vel κοινῶν ἐννοιῶν) criterion quo poſſit veritas quæſiti evidenter innoteſcere.

Quare miratus ſum antehac Thomam hunc noſtrum in Præfatione ad Lectores libello de Cive præmiſſa, iſta olim ſcribentem, *dabam* (inquit) *operam Philoſophiæ, animi causâ, ejuſq; in omni genere elementa prima congerebam, & in tres Sectiones digeſta conſcribebam, ita ut in prima de Corpore, in ſecunda de Homine, in tertia de Civitate Civiumq; officiis ageretur.* Ubi poſt aliqua præmiſſa illud ſuſcipit, *rem unicam in libello de Cive* (ubi de Politia agitur, & de Religione Chriſtiana) *non demonſtratam, ſed probabiliter poſitam eſſe.* Mirabar (inquam) hominis ſive ingenium ſive felicitatem, cui datum eſt rem difficillimam præſtare, nempe diſciplinæ civilis atque Religionis Chriſtianæ elementa

ta (quaſi Geometricè) demonſtrare. Verùm conſpectis Sectione primâ & ſecundâ, ipſoque demum Leviathane qui omnes aliorum abſurditates comprehēdit, mirari prorſus deſii; ſenſi nimirum me voce Demonſtrationis ludificatum fuiſſe, eumque (quod minimè ſperabam) paralogiſmos minimè ferendos & petitiones principiorum abſurdiſſimas demonſtrationum nomine præclaro, inſignire ſolere; illudque tandem compertum habui, non alio modo elementa civilia quam fuerant ea de Corpore atque de Homine (in quibus hactenus verſati ſumus) demonſtrata.

Atque hoc quidem mihi nunc manet ut oſtendam. Quare nolo te præfatione aliquâ ampliore detinere.

Duo ſunt planè fundamenta quibus omnis ejus diſciplina civilis innititur,

Quorum { Alterum eſt, eſſe vel fuiſſe quendam hominum *ſtatum*, quem vocat *Naturalem*, ubi ſine lege aliqua ſoluti omnino vagabantur. Alterum eſt, pactis eos in ſocietatem & Regnum coiiſſe, Regnum ſive imperium abſolutum, quod nullam iis omninò relinquit libertatem.

Hæc (inquam) ea ſunt principia iique Cardines quibus vertuntur omnia quæ de rebus Civilibus habet hic Autor. Iſta nimirum libello de Cive, atque Leviathanis (quâ parte Politicas res tractat) velut ultima fundamenta ſubſternuntur; atque hæc ſi forſan pauciſſimis evertero, non eſt ut hac in re fidem me fefelliſſe (etiamſi ab aliis abſtinuero) exiſtimes.

Ponendus eſt tibi ante oculos hoc Capite ſtatus naturæ (quem vocat) ejuſque ſymptomata ad examen Philoſophicum redigenda. Nempe ſumma doctrinæ ejus Civilis hæc eſt, omnia naturaliter eſſe licita, deinde

de poſt ſocietatem initam, ea eaque ſola eſſe licita aut bona, quæ Magiſtratus juſſerit.

Sententia prima hæc habet, Homines naturâ liberrimos eſſe, omnia eſſe naturâ ſuâ ἀδιάφορα, Boni Malíque regulas, naturales atque æternas nullas eſſe, verùm eorum rationes ex Magiſtratûs inſtituto, primò atque originaliter profluere; atque mihi primo omnium illud incumbit oſtendere, hanc eſſe hujus hominis ſententiam, deinde ea quæ in contrarium dicenda habeo nonnulla proferre.

Neque verò diu morandum eſt in ſententiæ Hobbianæ explicatione, illud ipſum libelli de Cive initium in fronte gerit, illud Leviathan integer ubique profitetur, *Homines naturâ æquales eſſe* (& fuiſſe) Quin *jure naturali, omnia eſſe omnium, omnia naturaliter licere*; atque demùm *ſocietatis Civilis initium eſſe à mutuo metu*. Quoniam autem exiſtimare potes eum hæc ita aut explicâſſe alicubi aut explicare potuiſſe, ut ſententiam à nobis ipſi adſcriptam non inferant, erit ad Leviathanem ipſum, ubi iſta uberiùs tractantur, provocandum.

Ubi vel de re ipſâ in univerſali (ùt loquuntur) loquentem audire potes, vel de ſpeciebus boni & mali ſpeciatim. Nos ex infinitis quibus ſcatet Leviathan, pauca in exemplum trahemus. L. Cap. 13. Quod eſt de Naturali hominum conditione; *ſtatuit conditionem hominis naturalem eſſe ſtatum Belli, ſingulorum in ſingulos.* (p. 62.) *Atq; homines in hac conditione à natura Actualiter poſitos eſſe*, (p. 63.) *cujus poſitionis conſectarium eſt* (inquit) *Nihil eſſe poſſe injuſtum, Notiones recti & obliqui, Juſti & Injuſti locum ibi non habere.*

Aſſertionemque iſtam hoc modo demonſtrare nititur.

Digitized by Google

Ubi nulla poteſtas communis, ibi lex nulla, ubi lex nulla, nihil injuſtum. Vis (inquit) *& dolus, ſunt in Bello virtutes duæ Cardinales. Hinc etiam ſequitur* (inquit) *nihil eſſe Meum aut Tuum.*

Cernis ex ſententia Hobbiana, hominem à natura actualiter poſitum in ea conditione eſſe, ut legem nullam habeat, (nempe legem naturalem) ut regulas boni & mali nullas habeat ante conſtitutam Rem-publicam. Hoc nempe illud eſt quod ſæpiſſimè in Lev. occurrit, *ubi nulla Res-publica, nihil injuſtum* (ut p. 72.) Ubi verò juſtum nihil, aut injuſtum, ibi bonum nihil eſſe, aut malum, ſumere cuivis licet, manente verſiculo iſto ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐστι. Sed cavendum eſt, ne quid temerè in hac re concludamus: Solebant hactenus omnes (quatenus ego ſcio) mortales, juſtum & bonum veluti terminos reciprocos intelligere, verùm ipſi aliter viſum eſſe; comperies, nempe ſejungendum eſſe juſtum à bono, injuſtum à malo, nempe p. Leviathanis 152. Aſt ego introductam ab ipſo diſtinctionem iſtam video, ut nebulam ſententiæ infami offundat, atque ut contradictiones impleat, ſine quibus vivere non poſſe videtur. Interim ne forſan iſtum in cuniculum ſe recipiat, verbiſque nos eludat, uti facit, ubi *legem nullam poſſe eſſe injuſtam aſſerit, malam poſſe.* (uti L. p. 182. 185. contra communem hominum ſenſum vocumque uſum receptiſſimum) de bono ipſo & malo dicentem audiamus.

Nihil (inquit) *abſolutè bonum eſt aut malum, neq; eſt regula ulla communis,* Boni *aut* Mali, *à natura objectorum petenda, verùm à perſona ubi Res-publica non eſt;* vel in Re-publica à Magiſtratu. L. Cap. 6. pag. 24.

Cui etiam concinit quod habet (p. 80. Leviathan.)

In

In ſtatu naturæ, Appetitus (inquit) *eſt menſura Boni & Mali.*

Tu forſan exiſtimas me vi quâdam iſta extorquere, neque eum (inter Chriſtianos enutritum) tam craſſum aut abſurdum eſſe poſſe. Quis honeſtâ familiâ inſtitutus & educatus ingenuè, non ipſâ turpitudine, etiamſi eum læſura non ſit, offenditur? quis animo æquo videt eum quem impurè & flagitioſè putet vivere? inquit Cicero Ethnicus ex fæce Romuli. Quid Thomas qui aliquando fuit (uti videtur) Chriſtianus? Nempe duo ſunt capita quaſi generalia, ad quæ virtutes omnes (non ipſa excluſa religione) referuntur *Juſtitia* ſc. & *Temperantia*, quarum illius in fæderibus & promiſſis ſervandis magna pars conſtat, hæc in ſenſualitate, ut loquuntur, domanda, ut plurimùm verſatur. Quin igitur accipe de rebus iſtis Thomæ judicium, *vox hæc, ſenſualis* (inquit) *uti condemnatur, locum non habet antequam leges fuerint. L. p.* 25.

Fædera autem irrita eſſe, in ſtatu naturæ, ſtatuit. L. p. 68. *imò ſtultum eum eſſe, & adverſus legem naturæ peccare, qui promiſſis ſtaret cæteris fidem fallentibus.* L. 79.

Habes itaq; ſatis (heu nimiùm) explicatam Thomæ ſententiā de ſtatu naturæ. Neq; confundere judicium illa debent quæ de lege naturæ, de *foro interno, & externo* habet alicubi, de *Conſcientia* item, reliquiſque ejuſmodi *vocabulis*. Nempe facillimum mihi foret (illudque fide loquor bonâ) ingentem contradictionum numerum hoc modo in Leviathane oſtendere, verùm non tam ad phraſes quaſdam, atque ſententiolas attendendum eſſe judico, quam ad operis fundamenta & compagem; illud ut cernis diſertiſſimè aſſerit, homines eo in ſtatu poſitos (*actualiter*) fuiſſe, ut legem vel regulam boni aut mali (ante conſtitutam

Rem-

Rem-publicam)nullam haberent; poſtea, de lege naturæ loquẽs, nihil aliud ut plurimùm intelligit, præter dictamen rationis quo unuſquiſque ut ſeipſum ab injuria defendat movetur: aliquando autem legem naturalem & civilem eandem eſſe ſtatuit, nempe ſe mutuò eas continere & coextendi. (ut L. p. 138.)

Hoc (inquam) fundamentum eſt primum Philoſophiæ Civilis Hobbianæ. Quare ſi nulla fuerit ejuſmodi hominis natura, ſi nuſquam fuerit eo in ſtatu conſtitutus, quem ſibi fingit hic autor, cætera vides ſponte ſuâ ruitura. Quare duæ res manent oſtendendæ, quarum 1a. eſt non fuiſſe eum ſtatum hominum naturalem. 2a. homines abſque legibus boni & mali fuiſſe nunquam, quin eſſe quaſdam *boni* & *mali* regulas, quæ *naturales*, jure merito, dici poſſint.

Neq; verò opus eſt ut in priore ſententia tempus inſumam, Ecce habemus Thomam ipſum fatentem L. p. 63. *Se credere nuſquam ita ſe rem generaliter habuiſſe, ut homines abſque imperio in ſtatu belli, ut bruta ſolent animantia, vagarentur.* Quare manifeſtâ contradictione tenetur, dum homines ſtatu in illo à natura (*actualiter*) poſitos affirmat; certè quod nunquam *generale* fuit, neque *naturale* (quoad ſpeciem rerum aliquam) eſt dicendum.

Verùm quid moror? contrariam planè Hobbianæ ſententiam veram eſſe, non ſolum unicuique noſtrûm (non ſolum cuivis Chriſtiano) verùm & Hobbio ipſi eſt concedendum. Nempe ſi ab uno homine originem traxerit univerſa Gens humana, ab uno inquam parente (Adamo) qui imperium (fatente Hobbio L. 178.) in ſuos omnes, qui boni malique legem, habuit; nullus erit certè locus ejuſmodi conditioni (naturali) ubi ſingulorum in ſingula jus eſſet, & omnia omnibus licerent.

Hanc

Hanc autem hominum originem agnoſcere, & pro fundamento ſumere, debuit ipſe Thomas, doctrinam non ſolummodò Civilem, verùm eam ad normam Religionis Chriſtianæ componere aut inſtituens, aut præ ſe ferens.

Summa argumenti hæc eſt, nemo doctrinam *inſtituens*, Chriſtiano dogmati conſentientem, ſtatuere debet conditionem hominum naturalem, qualem Scriptura ſacra non agnoſcit, vel potiùs conditioni iſti contrariam, quam deſcribit Scriptura & pro fundamento ſuo ſupponit. Talis autem eſt conditio iſta naturalis, quam pro fundamento Politiæ ſumit Hobbius, quare &c.

Novi parvi eum habiturum eſſe diſputationem omnem authoritati Scripturæ S. innitantem, at illud immodeſtè, annon hic ipſe eſt *Contentus eâ doctrinâ circa mundi originem, quam ſuaſerint Scripturæ ſacræ, & quæ illas confirmat, miraculorum fama & mos patrius, & legum reverentia debita*; (Corp. p. 238.) Quare de hâc re breviſſimè dicetur, & ratione Philoſophicâ breviſſimè evincam, eſſe credendum.

Aio 1. Scripturas aſſerere, ab uno Parente totum genus hominum originem traxiſſe; atque hoc ex ſerie ipſarum univerſa, ita apertum eſt, ut nemo me ſanum exiſtimaret, de iſtis verba facientem, niſi prodiiſſet nuper (ſub PRÆADAMITÆ titulo) Liber, cui ſcopus eſt omnis ut iſtam ſententiam evertat; imò ab argumentis abſtinebo brevitati ſtudens, libelli *iſtius* principium & fundamentum, Hobbii bonâ cum veniâ, examinabo, ad ipſum ſat citò rediturus.

Scopus libri iſtius eſt ut evincat ex ſententia Scripturæ non omnes Homines ab Adamo originem traxiſſe, quin fuiſſe homines (forſan infinitos) Adamo priores: Fundamentum παραδόξου hoc ſumitur (unicum

quod

quod alicujus vel minimi ſit momenti) peccatum nempe in mundo fuiſſe ante Adamum, Vin tu V. D. integrum argumentum? En accipe.

Lex (inquit) *data eſt Adamo.*
Verùm peccatum legem anteceſſit,
Peccatum itaque Adamum anteceſſit.
Quare Homines Adamum anteceſſerunt.

Nôſti locum Apoſtoli, unde argumentum ſumitur; nempe ad Rom. 5. 12. 13. 14. præcipuè ex verſ. 13. Nôſti (me certè meliùs) Theologos ut plurimùm in eo eſſe, ut legem illam, de quâ loquitur Apoſtolus, fuiſſe legem Moſi datam aſſerant adeoque propoſitionem primam eos negare. Verùm ego legem Adamo datam fuiſſe libentiſſimè agnoſco, legem naturæ nempe cordi ejus (ut cum Apoſtolo loquamur) inſculptam.

At nunquam eum evicturum exiſtimo, peccatum aliquando, legem Adamo datam, præceſſiſſe: videamus quomodo argumentum ad hanc rem inſtituat.

Quod (inquit) in mundo fuit *uſq; ad* legem, illud legem anteceſſit.

Sed peccatum fuit in mundo *uſq; ad* legem. Anteceſſit eam igitur.

Scilicet omnis iſte liber in hoc tandem reſolvitur argumentum. Quanta quantillis innituntur? quis crederet puſillum illud *uſq; ad* monſtrum tam immane in ſe geſſiſſe?

Quare ad fontem potiùs recurramus illicò, dulcius ex ipſo fonte —ἄχρι νόμου (inquit Apoſtolus ad Rom. v. 13.) ἁμαρτία ἦν ἐν τῷ κόσμῳ. Dicimus Apoſtoli ſcopum ad Rom. eſſe, ut oſtendat neminem lege juſtificari, quinimò peccatum legem ſemper eſſe comi-

tatum; (ita ut ſenſus verborum hic ſit, *quamdiu Lex fuit, erat etiam peccatum*; nempe ſtatim à data lege lapſus eſt Adamus.) Ideoque non benè verti, *uſq; ad legem*, quin potiùs vertendum fuiſſe, *durante lege*, vel *quamdiu lex fuit*, *vel ab uſq; lege*, iſto τῷ ἄχρι, concomitantiam quandam, non autem præceſſionem indicante.

Cernis in unius vocabuli (τῦ ἄχρι) interpretatione controverſiam eſſe ſitam; & ſi illud ἄχρι, *quamdiu* ſignificet, atque ita hoc loco reddatur, evaneſcere ſtatim in auras libri etiam iſtius fundamentum. Quare ad Lexica ſtatim recurrendum, ibique invenies illud τὸ ἄχρι, non ſolùm *uſq; ad*, verùm etiam *Tantiſper, Dum, Quamdiu* ſignificare, eandemque planè vim habere cum μέχρι, quæ vox ſæpiùs hoc ſenſu redditur, ut μέχρι ζωῆς *quoad quis vivet*, multa, inquam, ejuſmodi exempla ex antiquis autoribus proferri, à *Stephano*, *Budæo*, aliiſque plurimis, ſi tibi ſit otium, invenies.

Senſus itaque loci iſtius apertus hic erit, *durante lege*, vel *ex quo lex fuit*, *peccatum fuiſſe in mundo*; neq; ex verbis iſtis Apoſtoli, locus erit PRÆADAMITIS: Hoc (inquam) verum erit, etiamſi Autori huic largiamur, quod omni vi contendit, nempe locutum Apoſtolum de lege Adamo datâ, quod tamen non eſſe neceſſarium, alii oſtendunt: quare lubrico omnino & falſo fundamento nititur iſte liber integer: quod *hîc* obiter oſtendere viſum eſt.

Cùm autem verba iſta Apoſtoli pro fundamento ſumpſerit *Præ-Adamitarum* Autor, cui alia ejuſdem argumenta omnia, nonniſi leviſſimâ rationis ſpecie ſuffragentur, poſſintque illa omnia eâ facilitate tolli, ut inſtitutâ aliquâ oratione (meâ quidem ſententiâ) indigere minimè videantur. Ad Thomam redeo,

deo, exiſtimans apertum eſſe, ſtatum hominum naturalem ab ipſo fictum, (quem etiam fictum Naturæ ſtatum Cicero appellat) Scripturæ ſacræ (nempe Geneſeos hiſtoriæ) contradicere.

Atque hæc quidem cùm Thomæ ipſi ſatis eſſe poſſint, erunt fortaſſe ex Diſcipulis ejus aliqui, qui talem mundi originem, omniumque hominum ab uno Parente ortum, ratione manifeſtâ demonſtrari à nobis efflagitent, importuni nimirum homunciones, atq; inſulſi, neſcientes plerumque quid ſit ipſa demonſtratio, aut qualia ſint ea quæ ejuſmodi probationes admittant (nempe neceſſaria ſolummodò atque univerſalia, non autem ea quæ ex arbitrio dependent, ſive humano ſive divino.) Et tamen licet demonſtrari hoc minimè poſſe judicem, ejuſmodi tamen ſententiam eam eſſe exiſtimo, quæ contrariâ vel diversâ quâcunque ſit longè probabilior.

Nempe aut ab uno Parente orti ſunt homines, aut à pluribus, aut ortum nullum habuerunt; ſi ortum nullum homines habuerint, verùm æternæ generationes atque infinitæ, unumquemque noſtrum præceſſerint, concedendum erit actu infinitum numerum fuiſſe: id quod principia mathematica, nempe axiomata evertit, uti & ipſe alicubi oſtendit atq; Hobbium ipſum confitentem, non ita pridem introduxi. Quare relinquitur Homines ortum habuiſſe aliquando, ideoque vel ab uno aliquo, vel à pluribus ortum habuiſſe.

Et ſi à pluribus ortum habuerint, fuerunt iſti familiarum primi parentes, vel à Terrâ ipsâ ſponte producti (αὐτόχθονες) vel à mundi ipſius conditore facti (vel eo modo quem S. literæ deſcribunt, vel alio aliquo quem poſſit aliquis referre & explicare) ut Terra corpus iners, atque inſenſile, vi ſuâ, abſque mentis ope,

hominem produceret, ratione utentem, mente præditũ, (Thomâ licet reclamante) nemo (opinor) ſanus dixerit. (Memini de Arcadibus me legiſſe, qui ſe αὐτόχθονας jactabant, verùm & idem Arcadicum pecus, ſe Lunam ipſam præceſſiſſe prædicabant.)

Quare eò deducta res eſt, ut à mundi conditore factum eſſe hominem, ratio ipſa agnoſcat; eritque illud ab adverſariis oſtendendum, Deum plures diverſarum familiarum parentes aut condidiſſe, aut condere debuiſſe, cùm tamen unum ſufficere ad finem & ſcopum ejus aſſequendum, ſit manifeſtum. Atque hic quidem fatendum mihi eſt, potuiſſe Deum plures condidiſſe, adeoque ratione non poſſe demonſtrari; hoc eum non feciſſe, & tamen ſi rationi nudæ (ſecluſâ Scripturarum autoritate) res iſta relinquatur, multa eſſe quæ ſuadeant, ab uno potiùs reliquos omnes profluxiſſe, (veluti fruſtra per plura fieri quod paucioribus fieri potuiſſet, atque ejuſmodi alia) adeóq; hanc ipſam hominum originem & propagationem nullâ ratione ſaltem quæ valida ſit aut conſentanea, oppugnari poſſe.

Imò verò, ſive mundus æternus fuerit, ſive non æternus, ſive parentem unum homines habuerint, ſive plures, ejuſmodi conditioni qualem fingit Hobbius (ubi omnia fuerint omnium, ubi bellum illud pluſquam Civile exarſerit, *juſq; datum ſceleri* fuerit, ubi regulæ Boni Malive nullæ fuerint) nullus locus reperietur unquam.

Dicimus ab uno parente, ut fonte profluentes homines, nunquam in tali naturæ ſtatu collocatos fuiſſe; neque boni malique regulas & judicia omnia, à conſtitutionibus humanis petita, verùm axiomata quædam (quæ συντηρήσεως principia vocant) habere eos quæ ab ipſa natura hauſiſſe non immeritò dici

dici poſſit. De qua re mihi eſt deinceps breviſſimè agendum.

Atque eſt ea res quidem difficilis ut explicetur, nempe quâ ratione lex aliqua naturalis dici poſſit; quanquam nihil frequentius iſtis vocabulis occurrat. Apoſtolus hanc legem cordibus inſcribi ait, neque ab eo dicendi genere abſtinuit Hobbius. *Lex naturæ* (inquit) *id eſt, præcepta rationis naturalis, cordibus inſcripta*, *L*. 282. Verum ipſi non ſine multiplici contradictione ſolenne eſt ejuſmodi ſententias ſæpenumerò proferre, quæ nullum admittere queant ſenſum accuratum, atque philoſophicum. Quænam erunt præcepta *rationis naturalis*, ubi *ratio* ipſa *non naturalis*, ſed *acquiſita* ſupponitur? quodnam eſt illud cordi inſcribi? num cordis parenchymati? non inquiet; cordi, id eſt, menti; ſunt igitur præcepta quædam inſcripta motui Organorum. Certè innumera hujuſmodi occurrunt apud ipſum de lege naturæ loquentem; quare non illud mihi vitio vertes, ſi ſenſum poſitionis noſtræ philoſophicum (non multis) tibi ante oculos poſuero, eumque paulò altius diduxero.

Sententia nimirum hæc eſt, eſſe quaſdam ſententias ſeu quædam judicia de Bono & Malo, honeſto & inhoneſto, ipſi rationi humanæ, ejuſque naturæ, adeò conformes, ut nemo ſanus exiſtens & ratione utens, in ea non incidiſſe poteſt, vel ut ea poſſit rejicere.

Nôſti rem eſſe profundæ ſpeculationis, quæ univerſam ferè naturæ humanæ explicationem veluti præſtratam requireret, ut pro dignitate tractetur, verùm illud ἐν παρόδῳ non expectas V. D. ſufficiat ex elementis rem quovis modo deducere, mentemque ita exponere, ut ab omnibus intelligatur, quod iſtis veluti Aphoriſmis facturi ſumus. Ab intellectualibus inci-

pientes ad Moralia progrediemur.

1. Dicimus igitur Primò, eſſe quaſdam veritates naturâ manifeſtas, quæ ſunt intellectûs humani objectum. Nempe facultatem habemus omnes diſcernendi Verum à Falſo: atque ſunt quædam ſententiæ (quædam Affirmationes & Negationes) in quibus Ratio atque mens humana penitùs abſque dubitatione acquieſcit. Ejuſmodi Veritates ſunt quæ appellantur κοιναὶ ἔννοιαι (principia Mathematicorum & Metaphyſicorum) veluti Totum eſt majus ſuâ parte. Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe, neque verò Pyrrhonii ſive Sceptici in iſtis principiis diverſam ab aliis ſententiam habuerunt, etiamſi ex præpoſtero mentis judicio exiſtimaverint ſe ex majore probabilitatis ſpecie, non autem ex aliqua neceſſitate naturæ in iſtas ſententias incidiſſe. Eſto igitur hæc prima ſuppoſitio.

2. Dico ſecundò quod ex virtutibus iis, quæ ſunt in ſe & naturâ ſuâ (τῇ φύσει) certæ & manifeſtæ, ſunt tamen καθ' ἡμᾶς aliæ aliis evidentiores, adeò ut illæ reſpectu cognitionis humanæ *priores*, hæ *poſteriores*, non immeritò dici poſſint. Nempe ſunt præmiſſæ concluſionibus priores & faciliùs cognitæ. Ita nimirum Petitiones atque Axiomata Euclidis unuſquiſque & intelligit ſtatim propoſita, & concedit, qui tamen Theoremata poſteriora, ipſaque ultima ejus elementa, aut non omninò unquam, aut non abſque difficultate aliqua intellexerit. Quia nimirum termini iſtorum Axiomatum ſunt ſibi immediati atque reciproci; & ſunt Axiomata ipſa ſententiæ quædam ſimplices. At Theoremata iſta multo diſcurſu, longâ conſequentiarum ſerie & plurium Axiomatum permixtâ applicatione deducuntur, & Problematum conſtructio ex Axiomatum, Petitionum, Theorematum variâ tractatione

Digitized by Google

tione innoteſcit. Et quamvis ex iſtis ſive Theorematis ſive Problematis ad ipſa principia fiat diſcurſus Analyticè, non minùs quam ex principiis incipiendo ad ipſa Syntheticè provehimur, tamen ſimpliciora illa quia ſunt & magis obvia, rationi omnium hominum conſentaneum invenitur, ut iſta *Priora*, hæc *Poſteriora* judicentur, ut iſta ſint horum principia habenda.

3. Tertiò dicimus, eſſe quarundam propoſitionum ſcientiam *Naturalem* dicendam. Quæ quidem propoſitio, quia lumen maximum eſt noſtræ ſententiæ allatura, de illâ igitur paulò diſtinctiùs erit agendum. Nempe cùm plures ſint modi quibus ſententiæ alicujus cognitio, *naturalis* & dici poſſit & conſuevit, ex iſtis tres iſtos præcipuos ſeligemus ut de iis dicatur.

1. Dici poteſt cognitio naturalis quaſi fuerit à naturâ imprimente menti humanæ congenita & connaturalis, atque hoc modo principia tum *Intelligentiæ*, tum Syntereſeos naturaliter eſſe cognita plurimi tum Scholaſticorum tum etiam Philoſophorum aſſeruerunt. Verùm ingenuè fateor me συγγένησιν iſtam nondum intelligendo aſſequi potuiſſe, atque argumentum Platonis in Menone pro reminiſcentia inferenda minimè valere ſtatim oſtendemus.

Secundò dici poſſit Cognitio naturalis quoniam ad illam conſequendam valet ipſa ratio naturalis, ſi ſibi ipſi non defuerit. Atque hâc ratione omnis ſcientia quæ propriè ſic dicitur (utpote ex demonſtratione orta) omneſque artes, Verbo, omnium eorum Cognitio quorum habemus aliquando claram, evidentem, à principiis ortam manifeſtis, intellectionem, *Naturalis* eſt.

Tertiò dici poſſit Cognitio *Naturalis*, à natura, ſive cauſarum omnium complexione quaſi ſuggerente, & quodammodo (quaſi ſtimulando) adigente, ad

rei alicujus perceptionem, atque ad judicium aliquod faciendum. Verba ſunt forſan duriora, mentem meam aperiam. Eſt iſta hominis à natura facta conſtitutio (nempe poſt tot præmiſſa quibus Hobbii contrariam evertimus ſententiam, illud ſumere me nunc poſſe ſpero) ut Animam habeat Corpori conjunctam, inter corpora, motus atque affectiones corporeas, perpetuò verſantem, adeò ut ab ipſa exiſtentiæ ſuæ origine, & aliquandiu forſan ante Nativitatem, multò magis ante tempus loquelæ atque diſcursûs Artificialis, neceſſarium planè ſit ut extenſi alicujus notionem atque perceptionem habeat, atque adeò etiam Majoris & Minoris extenſionis, quinetiam ut perceptionem habeat motûs grati & moleſti, ſeu *Boni atq; Mali naturalis.*

Atque harum rerum notiones non magis anima poteſt effugere, quam poſſit cauſarum illam actionem eludere, quarum operatione in hanc naturæ conditionem productus eſt. Atque horum quidem perceptio prima eſt (quantitatis & motus cum eorundem affectionibus) ſuntque ut diximus, nobis ſtatim ab ipſa origine, formata quædam judicia, quæ verbis enunciata, principia Mathematicorum exprimunt. Adeò ut mirum non ſit, puerum in Menone, Socrati ritè interroganti, atque terminos ſententiarum explicanti verum reſpondiſſe, neque valet (ut cernis V.D.) iſtud argumentum ut præexiſtentiam Animorum aut Reminiſcentiam inferat Platonicam.

Dici igitur jure optimo poteſt ejuſmodi cognitio *Naturalis*. Quoniam in hac Naturæ conſtitutione, fieri non poteſt ut non eveniat; corporibus quibuſdam cutem moventibus, cute cerebrum, cerebro animi

nimi perceptionem excitante, & ſenſum modo ſuo faciente, atque adeò tandem judicia de extenſo & motu, de grato atque ingrato eliciente.

4. His ita præmiſſis atque explicatis. Dicimus Quartò eſſe non ſolùm propoſitionum quarundam, quas ſpeculativas appellamus, cognitionem naturalem, verùm & principia quædam practica dicenda eſſe naturalia; nempe naturalia planè, modo jam ſuprà explicato, ſunt judicia jucundi & moleſti: Naturalis eſt ortus paſſionum animi, quæ omnes reſolvuntur, in Mali fugam, & Boni proſecutionem vel deſiderium. Sunt hi fines à natura ipſa nobis præſcripti, quorum in finium accuratâ diſquiſitione & dijudicatione, & in mediorum aptorum deſignatione, omnis humana ratio occupatur. Sentis V. D. quid velim per ſtimulum impetum naturæ, nimirum illum, quo in cognitionem uſûs Organorum provehimur, & facultatum. Scilicet ab infantia manuum pedumque uſum paulatim diſcimus, ut ipſi (quantum fieri poteſt) nobis ipſis ad finem propoſitum aliquem aſſequendum, inſerviamus. Eodem modo ſtimulante natura linguæ muſculos & Thoracis pro arbitrio movere diſcimus, unde balbutire primùm & poſt crebra incaſſum facta tentamina, loqui incipimus, ut ubi nos ipſi deficimus, aliorum ſaltem ope atque adjumento, finem (itidem) deſideratum aſſequamur. Naturalia itaque dicenda erunt iſta judicia, *Bonum eſſe appetendum*, *Malum eſſe fugiendum* (nempe naturale) atque ad iſtos fines media ubique aptiſſima atque paratiſſima eſſe amplectenda.

5. Iſtis ita explicatis atque intellectis eodem jure

ure ſequetur naturale eſſe judicium de Beneficio accepto, adeoque de ipſa obligatione morali quam dicimus, quoniam eſt inevitabile cuivis judicium de officio quod beneficii notionem ipſam comitatur; (quod eſt etiam de ſubjectione deſpoticâ intelligendum) Nimirum cum maximo conſervationis atque voluptatis deſiderio flagrãtes, attamen omnibus ferè deſtituti ad hanc rem neceſſariis, à natura in lucem trudamur, cum ope atque auxilio aliorum, diutiùs ſuſtentemur, cùm in aliorum poteſtate eouſque ſimus, ut poſſint nos ſine ullo periculo deſtituere, & negligere, in tali, inquam, circumſtantiarum omnium (quas omnes non eſt referendi locus) Syzỳgia; ab ipſa natura ejuſve conditore conſtituti, effugere nullo modo poſſumus beneficii atque officii meriti & demeriti, i. e. boni & mali apprehenſionem atque judicia de iiſdem, quæ quidem judicia eã ratione quod inevitabilia ſunt, in ea conditione quâ ſumus à natura conſtituti, *Naturalia* eſſe dicimus, & *leges naturæ* quarum à natura ipſa deductionem nunc aliquo modo oſtendimus.

Non mihi animus eſt in legum ſingularum quarumvis deductionem deſcendere, propoſitum eſt oſtendere quaſdam eſſe à natura præſcriptas ſententias de Bono & Malo, & quâ ratione (philoſophicè loquendo) *naturales* ejuſmodi ſententiæ dici poſſint, neque tamen fruſtra beneficiis atque officiis naturæ momenta æſtimamus, cum hâc ipſâ in re eluceſcat adeò Virtutis & Vitii notio eaque ab ipſa natura, non autem à legibus humanis exoriens, ut cùm nulla ferè gens actionem aliquam in ingratos Forenſem admittat, nihil ſit tamen ſanis omnibus ipsâ turpius ingratitudine, magiſve deteſtandum. Sunt itaque ipsâ naturâ ordinante, & ad ea quaſi provocante, judicia de Bono & Malo

Malo, quod juſtum etiam & injuſtum omnes ante Hobbium appellare ſolebant, atque uti ex pulſu atq; agitatione cerebri, inducuntur atque exagitantur judicia atque principia Mathematicorum, ita ex variarum rerum atque actionum perceptione & collatione (quæ ingerunt ſeſe intellectui, & quas effugere non poſſumus) oriuntur principia quædam ſyntereſeos, quæ ſub legis Naturalis nomine intelligimus.

Sunt hæc quidem principia Mathematicis iſtis poſteriùs hauſta ab objectis, notioneſque quæ ſubſunt iis ſunt magis contextæ, verùm naturalia non minùs ſunt dicenda, neque puer aliquis (ab elementis naturæ exordiendo) diſtinctè atque ordine interrogatus in iſtis à veritate magis deflecteret, quàm puer iſte Socraticus, de quo ſumus locuti.

Hâc (inquam) ratione explicari aliquatenus poteſt, iſta impreſſio, de qua loquuntur in generali: quod ad regulas particulares vel ſingulares attinet, illæ ex variâ objectorum comparatione oriuntur.

Ita ex noſtrûm, atq; mundi ipſius contemplatione, in cauſæ primæ agnitionem, primíque motoris attributa (Adoleſcente aliquantulùm ratione) paulatim evehimur. Ex conſideratione primi illius motoris & noſtrûm, in principia Religionis atque Cultûs naturalis; ex noſtri ipſorum atque aliorum hominum contemplatione, in principia juſtitiæ naturalis incidimus, eâ quidem neceſſitate & certitudine, ut nulla unquam Gens tã fera fuerit & barbara, quæ iſta principia (hujuſmodi judicia atque προλήψεις) non fuerit palàm profeſſa, hinc iſta principia τοὺς Θεοῦ νόμους, legem *ſempiternam*, *ἀνυπόδικον* ex Deorum præſcripto immutabile, antiqui Philoſophi appellarunt, hinc legem hanc cordibus inſcriptam Paulus eſſe aſſerit. Neq; inventus eſt præter unum aut alterum (Carneadem aut Epicurum)

qui

qui juſtum & iniquum à natura ſejunxerit, atque illud utili & inutili definiverit.

Verùm non obſtat in omnibus naturæ legibus, conſpicua ubique utilitas, quo minus à natura hæc eſſe dicantur, nam neque partium corporis uſus (Phyſico aut Anatomico ſe ſtatim oſtendens) evincit à cauſa finali, partium figuras, motuſque Harmonicos fieri; at illa ab Agente moventur & fiunt. Ita in iſtis naturæ effatis accidit, modo licet difficulter obſervando, uti imprimentur loquelæ, ambulationis, atque reverà ratiocinationis ordinatæ habitus acquirantur, quorum diſcendi modum, dum pueri ſumus vix animadvertimus, adulti difficulter recolligimus. Quæ tamen (minimè tum conſcii) à natura olim ſtimulante, hauſimus, & naturalia modo à nobis explicato ſunt dicenda.

Atque hæc quidem hactenus de ſtatu naturæ & de lege naturali αὐτοσχεδιαστικῶς effudiſſe ſufficiat. Liceat argumenti ſummam repetere.

Statuit Hobbius, illudque habet pro doctrinæ omnis Civilis fundamento, ſtatum hominis Naturalem eum eſſe, ubi bellum eſt ſingulorum in ſingulos, ubi omnia æqualia, ubi omnia ἀδιάφορα: evicimus ejuſmodi ſtatum nullum eſſe vel fuiſſe unquam, omnes ab uno parente originem traxiſſe, eum legem à mundi conditore accepiſſe, reliquos legem quandam naturæ habere, ſeu regulas boni & mali, neque eas omnes à legibus humanis mutuari, quare ad alterum Politiæ Hobbianæ cardinem aut fundamentum accedamus. Ubi de Origine Imperii ejuſque Limitibus eſt diſſerendum.

CAP.

Cap. 2.

De Imperii limitibus ejuſq; origine, ſententia Hobbiana examinatur.

NOlo ut de limite Imperii alicujus materiali, me quis loquentem intelligat, neque enim terminum eo modo intelligimus, at illud oſtendere animus eſt, quale ſtatuat ipſe Hobbius imperium Civile, quouſque vim ejus extendat, & quibus rationibus atque fundamentis ſententiam ejus inferat & ſtabiliat, ubi de Origine Imperii nonnulla erunt etiam breviſſimè dicenda.

Meminiſti me illud ſuſcepiſſe, duobus iſtis, doctrinæ Civilis Hobbianæ integrum corpus contineri, in Libertate Naturali atque in Imperio Civili, in eo quod omnia omnibus in ſtatu naturæ æquè liceant, atque in eo, quòd nihil in Imperio liceat, niſi quod Magiſtratus (quem uno *Principis* nomine, licèt variæ ſint ſpecies, deinceps brevitatis causâ indigitabo) juſſerit, nempe in ſtatu naturali omnimodam eſſe libertatem hominibus creditam à natura, in civitate nullam alicui, niſi uni principi relictam, verùm ſervitutem ſummam ipſis impoſitam, nempe pecus hominum eſſe ſervum pecus.

Atque illud jam antehac innotuit, nunc autem hoc potiùs manet oſtendendum. Ubi tamen breviſſimus ſum futurus, quia ſententias ſpecie non admodum amabiles ſum prolaturus.

Dico igitur illam eſſe Imperii Hobbiani conditionem, ut nihil ſubditis relinquat, imò verò Deo ipſi nihil, quo poſſint tanquam Privilegio à Principis pote-

Poteſtate ſubducto jure bono frui. Sententia illud requirit, ut per omnia rerum genera percurrendo, eam ex operibus Hobbianis evincam. Ego verò ex Leviathane illud faciam, poſſem autem,ſi res poſtularet, primò generaliter illud oſtendere, deinde particulatim, per conditiones hominum & ſtatus, per rerum ſpecies omnes percurrendo.

Nempe cùm nihil ſit naturâ bonum aut malum, Principis eſt regulas boni & mali; cùm omnia naturaliter ſint omnium (ex ejus ſententia) Principis eſt regulas mei & tui conſtituere L. 91. *Nempe proprietatis regula (ſive Mei & Tui) item Boni & Mali, liciti & illiciti*, ſunt *leges Civiles*. Miraris quò tendat oratio; Ecce enim bonum ſaltem & malum, meum & tuum, ſtabilitum & fixum, & exiſtimare potes me ipſo ſtatim in limine impingere, quanquam etenim ante leges has latas omnia fuerint communia, *nunc* autem *Meum* eſſe *meum* planè, *Tuum* eſſe *tuum*, ut nemo illud *jure* poſſit eripere, ſive de bonis *externis*, ſeu fortunæ, ſive de *internis*, aut *Corporis* aut *Animorum*, dicatur. At falleris (vir Inclytiſſime) nam poſt leges latas manet ipſa diſtributio Mei & Tui principi adhuc integra, quaſi leges nunquam latæ fuiſſent, eâ de re; *Diſtributio* (inquit) *Mei & Tui, ſeu proprietatis conſtitutio, ad principem pertinet.* L. 127. Imò verò *ad civitates diſſolvendas apta eſt ea doctrina, quæ ſtatuit privatos homines, abſolutam habere bonorum proprietatem, quæ jus principis excludat*. L. 169.

Cernis omnia eſſe principis, *jure ſuo*, ſubditiſque cedendum eſſe ſtatim, ſi forſan ipſe

Diceret, hæc mea ſunt, veteres migrate Coloni.

Deſerendum nempe tibi eſſe Hortum illum amœniſſimum & cultiſſimum. Ju-

—*Jugera pauca*
Hortis Heſperidum beatiora.

Ubi ſolemus, nemini invidẽtes, cælis nunc inhiare, Planetarum motus atq; facies obſervare; nunc Lunæ labores aut maculas, nunc Jovis ſatellites Venerisve cornua, nunc Saturni Anſulas variaſq; formas, nunc Lunã ejus nonita pridem à nobis obſervatam, Teleſcopio cõinùs intueri. Deinde verò ad telluris ima, ad mineralia ſpeculatione mentis, manuſque ἐγχειρήσει deſcendere, tum demum Plantarum innumeris ſpeciebus oculos oblectare & animos, atque ita per Animalculorum quorundam (æterno Maronis carmine celebratorũ) obſervationes, tranſeũtes orbem naturæ univerſum, contemplando implere; atque ipſe quidem, ſi mihi vena foret, ſi me furor aliquando Poëticus urgeret, non minore jure quàm Hobbius olim de *Pecci Mirabilibus*, de horto hoc tuo Carmen componerem, ſed cui bono aut fini? cùm deferendus ſit ipſe tibi amæniſſimus hic hortus (princeps ſi juſſerit) eaque omnia quæ vitam faciunt beatiorem.

Aſt ego faciam, inquies, virtute & optimarum rerum ſtudio (quibus jamdiu inclytiſſimus evaſiſti) ut jure hoc mihi minimè contingat, vi quidem fieri hoc poſſe, jure non poſſe; at falleris V. D. *neq; enim ullam injuriam Princeps facere poteſt*. L.90. Non? inquis! Ergo poteſt vel vitam ipſam homini innocenti abſque injuria tollere. Et tu forſan credis ἄτοπον μέγα te nunc Hobbio objeciſſe; nihil eſt. *Imò* (inquit) *Princeps ſubditum innocentem interficere abſq; injuria poteſt*. L. 109.

Quare nihil eſſe cernis relictum, bonorum aut corporis, aut Fortunæ quod ſit *meum* vel *tuum* dicendum;

dum; neque enim de libertate dicendum erit poſt iſta, quoniam conjuncta ſunt ea, & qui vitæ & necis poteſtatem habuerit, ita ut poſſit de iis ad arbitrium (etiam poſt leges conſtitutas) deſcernere, ipſe certè humana omnia in manu habebit, atque iſtud reverà argumento (quod aiunt) à fortiori inferetur.

Scio te iſta V. D. non multùm movere, cui illud ſtudium eſt, ut mundum eo quo dignus eſt contemptu proſequaris, ita nimirum ad cæleſtia compoſitus, ut terreſtria deſpicias, imò verò valeant hæc (inquis) atque in ea jus habeant Terrarum Domini, modo ea quæ Dei ipſius ſint ſarta atque tecta ipſi relinquant. Neque etenim metuendi ſunt ipſi, qui corpus interficere valent, animam autem mittere nequeunt in Gehennam. Quare hominibus in humanis, Deo ipſi in divinis parendum erit, neque curanda eſt adeò vita hæc brevis, modo ſtatim è carcere hoc excedentes, exceperit beata immortalitas.

Atque tu quidem immortalitatem illam meditari ſoles, atque animi è corpore exceſſum, verùm aliam Hobbii mentem eſſe oſtendimus; cui mens eſt motus Organorum, qui quidem morte penitus ceſſat, neque poterit unquam idem reviviſcere. Tu legem divinam meditaris, ipſe legem, quæ in homines vim habeat, præter Principis voluntatem nullam agnoſcit. Scio te excandeſcere hæc legentem; nempe zelo Dei ipſius correptum, ferre iſta non poſſe, annon (inquis) legem naturæ cordibus inſcriptam à Deo accepimus? annon legem Scripturæ? eritque in hominis poteſtate leges iſtas abolere, earumque vim tollere?

Quin tu verò feſtina lentè V.D. de lege naturæ, ſive regulis boni & mali, dicentem eum audivimus, accipe de Scripturæ lege nonnulla, ut mentem ejus perfectè intelligas.

Te

Te quidem ea in ſententia eſſe novimus, libros Scripturæ à Deo ipſo traditos, vim eam habere ut omnes obligent ad fidem pariter atque obedientiam, neque poſſe nos ſive Papam, ſive Principem eximere hâc obligatione.

Per libros Scripturæ, intelligis *Canonicos*, benè habet! *At libros Canonicos Princeps ſolus conſtituit.* L: 199.

Exiſtimas forſan fallaciam aliquam ſubeſſe voci *Canonicos*, attamen teneri omnes ut credant Scripturis, atq; illud Hobbium etiam velle. At falleris ipſe, nam *nemo niſi legibus humanis tenetur Scripturis credere (ſi forſan Deus ipſi ſupernaturaliter eas non revelaverit)* L. 205.

Quid eſt (inquis) quod audio? num verbo Dei ipſius non erit credendum, niſi princeps hoc juſſerit? *Imò* (inquit) *Princeps ſolus illud definire debet & determinare, quod ſit nempe verbum Dei.* L. 250.

Itane verò? inquis! Uſque adeone Deus omnia Principi reliquit; Quid ſi legem traditurus, miracula in teſtimonium ſimul exhiberet? Quid ſi virga ſerpentem devoraret? flumenve in ſanguinem converteretur? quid ſi Locuſtas omnia conſumentes cerneremus? ſi tenebras palpando ſentiremus? ſi in legis ipſius traditione montem fumantem conſpiceremus? tonitrua mugire, fulmina præmicare? terramque demum ipſam, facto hiatu, rebelles atque legem averſantes vorantem cerneremus? Vel ſi forſan aliquem legem Dei nomine ferentem, in univerſam ſimul naturam, abſolutum imperium exercentem conſpiceremus? In Angelos & Dæmonas, in Stellas atque elementa, in Meteora, plantas, animalia, homines, in morbos eorundem, in vivos & mortuos; ſi mortuum ipſum aliquando cerneremus

eripientem ſe faucibus inferni, ſi iſta (inquam) & ejuſmodi alia contingeret intueri: vel ſi de facto ita conſtaret, ut nullus eſſet homini ſano locus dubitationi relictus, quid tum porro agendum? an eſſet de voce divina dubitandum? an oporteret ad Pharaones, Cæſares aut Pontifices rem iſtam deferre, atq; ab ipſis licentiam petere, ut vocem divinam agnoſceremus? Attende igitur. *Si de miraculis audiamus, recurrendum erit* (inquit) L. 237, 238. *ad magiſtratum, ejuſq; judicio ſtandum. An factum fuerit, vel non fuerit, an miraculum fuerit, vel non: credere poſſunt, profiteri non debent, niſi juſſerit Magiſtratus.* (Nempe hic ſenſus eſt eorum quæ loco citato pluribus traduntur) Quærendum eſt primùm an aliquis τῶν ἀρχόντων crediderit (vide Joh. 7. 48.) præſtatque hominibus quam Deo obedire (vide Act. 5. 29.)

Imò verò non vox ſola, ſed ratio ipſa eſt magiſtratui in obſequium tradenda (*ratio* inquit *noſtra, non debet de iſtis judicare,* (*loco jam laudato.*)

Scio tibi mentē illam eſſe, poſuiſſe Chriſtū in terris Eccleſiam, in Eccleſia miniſtros, quorum eſt alios ordinare, Evangelium prædicare, Sacramenta miniſtrare, de Hæreſibus judicare, poteſtatem Clavium exercere; Miniſtros, inquam, à mundi hujus Principibus diverſos, qui miniſterium ab Imperatore Romano non acceperint, illudque, reclamante licet Nerone aliiſque principibus, exercuerint. Atque aves, opinor, audire quid de his ſentiat noſter Politicus.

Quid? niſi hæc omnia Principi ipſi temporali eo nomine convenire quod princeps ſit? *Nempe Principes ſupremi ſunt populorum Paſtores* (ποίμενα λαῶν Homerus principem appellat, Rex idem hominum Phœbiq; ſacerdos) *& poteſtatem habent Paſtores ordinandi, quoſcunq; voluerint,* L. 295.

Imò

Imò à Principe reliqui paſtores omnes jus ſuum docendi atq; prædicandi accipiunt(ita Apoſtoli, opinor, à Cæſare jus ſuum obtinuerunt) *Rex ipſe paſtor eſt jure Divino, reliqui nonniſi jure Civili.* L. 296.

At alia (inquis) ſunt munera miniſtrorum, ea nimirum à nobis jam ſupra enumerata, forſan aliaque. Vis igitur ut Principes ſacramenta miniſtrent? *Poſſunt ſi velint, nempe poteſtatem habent Baptizandi & χειροθεσίας, non aliter ac ſcientias (putà Aſtronomiam) legendi.* L. 297.

Neque eſt ut multis ego te detineam, *Judex Hæreſium præter principem Civilem nullus eſt.* L. 317.

Et quod ad poteſtatem Clavium attinet, *quomodocunq; debent illa intelligi, dubium nullum eſt, quin ea poteſtas ſit principum Civilium.* L. 302.

Imò verò qui Principem audit, Chriſtum audit, & qui eum non audit, Chriſtum non audit. 309. *Atq; ipſe demùm Perſona ea eſt, cui eſt credendum.* L. 323.

Credendum (inquis) in omnibus? imò in omnibus atque obediendum. Quid igitur ſi *Princeps juberet ut aliquis Chriſtum linguâ negaret?* faciendum eſt (inquit L. p. 271.) *Cùm iſta profeſſio oralis, nonniſi res externa ſit, & geſtus quidam corporis.* Quare (inquis) *Chriſtianus, ſi jubeatur, debet ſe Mahometanum, verbis & communione profiteri, & Mahometanus ex adverſo Chriſtianum.* Imò verò debet ex mente Thomæ hujus noſtri, atque illud disertè profitetur loco jam laudato.

Nunc autem quid faciam V. D. vis ut iſta argumentis evertam ſingula? longa certè inſtituenda eſſet oratio, oratio meâ ſententiâ inanis, utpote quæ illud ageret quod millies jam ante actum eſt. Vides ipſum Chriſtianam Politiam inſtituentem illud admittere quod maximè deteſtandum Ethnico (cæco) videbatur, aliud mente gerere, aliud linguâ profiteri.

Χρὴ μὲν δὴ τὸν μῦθον ἀπηλεγέως ἀποειπεῖν
Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει, inquit Achilles Homeri.

Cernis interim quid expectandum in Religione; vides ſententiam ejus de Finibus Imperii, nempe nullos eos eſſe, verùm omnia Divina atque Humana ex Principis Hobbiani arbitrio pendere; videndum eſt quas adduxerit ſententiæ tam immanis rationes, eæque ad ima uſque fundamenta ſunt referandæ.

Noſti eum illud ſuſcepiſſe, omnia ſua Politica (uno excepto, quod eſt de optimo Imperii genere) eſſe legitimè demonſtrata, cernis poriſmata & theoremata, quorum primò lemmata videbimus, deinde lemmatum ipſorum ultima principia, ut ita rem integram penitiſſimè perſpectam habeamus: ero autem breviſſimus.

Vides duo eſſe rerum ſumma genera, in quibus abſolutum atque illimitatum eſt ipſi imperium Civile, nempe Humanarum rerum atque Divinarum; Accipe utriuſque rationes.

Unuſquiſq; (inquit) *civis unicuiq; obligatur, agnoſcere ut ſuum, quodcunq; fecerit Princeps.* L. 89. *Nempe Principis actionum omnium authores ſunt ſubditi(vel ipſis autoritatem dederunt) imò ſua ipſorum ſunt Principis actiones.* L. 128.

En lemmata ea, quorum illud eſt poriſma; principem nemini injurium ullo modo eſſe poſſe, quoniam in omnia (ſive res ſpectemus, ſive perſonas) ómne jus habet. Quare tollitur omnis ſubditorum proprietas, proprietas bonorum.

Quoniam autem Principis eſt leges condere, eaſque interpretari, quoniam voluntas ipſius lex eſt, inde

de cætera ea poriſmata de divinis rebus conſequantur. Nempe Princeps eſt cui omnia in univerſum licent, ſubditus cui nihil præter illud unicum, quod Princeps voluerit. Cernis ex ipſa Principis Hobbiani definitione hæc ipſa conſtare, atque hæc quidem ſatis manifeſta; niſi illud ulterius proſequaris, quærendo unde factum ſit, ut ea ſit Principis poteſtas; reverà malitioſus es (quod tamen non ſoles) iſta importuniùs urgendo. Sed ſi tantus amor— habebis ea breviſſimè, quæ integram ſententiam Hobbianam complectuntur.

Primùm igitur homines in ſtatu naturæ conſiderandi ſunt, deinde in regimine Politico; ſtatus naturæ eſt ſtatus belli omnium in omnes, ubi juſtum aut injuſtum, bonum aut malum nihil eſt, ex hoc ſtatu tranſeunt in Rem-publicam, quæ eſt vel pactis, vel victoris acquiſita. Reipublicæ ex inſtituto (vel pactis acquiſitæ) hæc ipſa eſt generatio.

Hujus (inquit L. cap. 17. pag. 87.) *rei via ſola ea eſt, ut populus in unum hominem vel ſocietatem vim omnem ſuam & poteſtatem conferant, qui perſonam eorum gerat, atq; ut unuſquiſq; agnoſcat ſeipſum autorem eſſe, actionis cujuſcunq; quam vel perſonam eorum gerens ipſe fecerit, vel in cauſa fuerit ut fiat, in rebus quæ ad pacem communem ſpectant, atq; ut voluntatem eorum ipſius voluntati, judicia judicio ſubmittant— Hæc* (inquit) *eſt generatio magni iſtius Leviathanis, vel (reverentiùs loquendo) mortalis iſtius Dei* &c. (Ecce iterum Deum à Thoma factum, nempe Leviathan eſt Dagon iſte Philiſtæorum, ſed intempeſtiva ſunt iſta.) Habes generationem Reipublicæ Hobbianæ ex pacto conſtitutæ. Verùm eſt aliud imperii genus vi adeptum (de qua voce nemo lites moveat, memini enim me apud antiquum aliquem autorem, illam hoc ſenſu legiſſe) *Quando homines vel ſingulatim*

vel multi in unum collecti, ſuffragiorum majore numero, mortis vel vinculorum timore, autoritatem dant iſtius hominis vel concilii actionibus, qui vitam & libertates eorum in poteſtate habuerint. L. c. 20. p. 101. Habes nunc Politiæ Hobbianæ ultima fundamenta, nempe Reipublicæ Hobbianæ generationem, unde omnia ſymptomata atque affectiones demonſtrantur.

Meminiſti V. D. Philoſophiam huic Philoſopho eſſe φαινομένων ex conceptis generationibus, & rurſus generationum ex phænomenis acquiſitam cognitionem; atque hanc quidem mihi definitionem increpatam eo nomine fuiſſe, quod Hypotheticæ doctrinæ, potiùs quàm reali, atque Geometriæ, potiùs quàm alteri cuicunque Philoſophiæ (ſive Naturalis, ſive Civilis) parti, congrueret. Nempe Geometriæ illud opus eſt, ut ex principiis, ſive veris ſive conceſſis, conſentanea deducat (quod etiam generaliter enunciatum de Logica eſt dicendum) verùm ubi de rerum ipſarum natura agitur, ubi de Bonis hominum univerſis, externis, internis, æternis; non ſatis eſt Generationes hominum, Rerum-publicarum, Eccleſiarum fingere, atque ex ficta vel præſumpta generatione, ejuſque definitione, phænomena de bono & malo, de juſto atque injuſto deducere, verùm attendendum eſt potiùs ipſam ad rerum naturam, ad hominum ſtatum, eaque dicenda ſunt & ſtatuenda, quæ ſunt iſtis conſentanea. Imò verò ſiquis ab eo quod eſſe poteſt, ipſius naturæ ſtatum atque veritatem velit concludere, neceſſe eſt ut in infinitos errores atque abſurditates minimè ferendas incidat; Eſt quoddam exemplum Hypotheticæ hujus doctrinæ, uti eſt à naturali diverſa, dialecticis uſitatiſſimum. Si Aſinus (inquiunt) volaverit, pennas habuerit: ſiquis in hanc rem animum intendens, eam Aſini generationem ſupponeret, quæ a-

las

las ipſi tribueret, deinde (iſta proſecutus) conſequentias ex hypotheſi deduceret, nempe volare ad Lunam uſque aſinum poſſe, ibique incolas Lunares quà voce quà aſpectu terrere, faceret certè quod eſſet hominis otioſi. Verùm ſi Hypotheſeos initio ſumptæ oblitus penitùs, ex eo quod fingi hæc poſſent, concluderet atque aſſereret eam eſſe aſinorum naturam, ut & pennas habeant, iiſque ætherem ſcindant, ad Lunam penetrent & quæ ſequuntur; non illum otioſum eſſe diceremus, ſed planè in animalis iſtius naturam tranſmutari (verbo, Aſineſcere.) Non eſt ut mihi ſuccenſeat hic vir, de Aſino loquenti, nempe conatur unicè ut (Iſſacharis inſtar) oneribus ſe minimè ferendis, univerſa gens humana ſubjiciat, duobus nempe oneribus Civilibus in rebus atq; in divinis; cùm autem hoc nonniſi vi quâdam ſit faciendum, videamus quâ vi rationis libertatem nobis, autoritatem Deo ipſi, tollat.

Si, inquit, is ſit hominum ſtatus naturalis qualem deſcripſit, ſi ea eaque ſola ſit Reipublicæ ſive inſtituto ſive vi conſtitutæ generatio, quam nuper ex ipſo deſcripſimus, ſequentur ea omnia quæ nuper ex ipſo retulimus.

Benè habet, largiamur iſta conſequi (quod tamen non eſt neceſſe) quid deinceps ſequetur? Sequetur, inquit, eam nunc eſſe Principis poteſtatem quam deſcripſimus. Nempe cujuſcunque Principis poteſtatem abſolutam eſſe, nullis omnino limitibus reſtrictam, (verbo) eam quam ex ipſo accepiſti. Quinimò Principes (velint, nolint) eam reverà poteſtatem habere, ſibi nimirum (ut Principibus) eſſentialem & inſeparabilem, aitque ſe iſtam Principum poteſtatem demonſtratione legitimâ eviciſſe.

Quæ ſit mea de poteſtate Principum ſententia, noſti tu ſatis (vir ſumme) neque me ex eorum numero

 eſſe,

eſſe, qui ſatis amplam ipſis inviderint; at tamen quem non ad rabiem uſque moverent hujuſmodi demonſtrationes?

Hæc (inquit) *eſt Principum poteſtas.* Quare? *Sequitur* (inquit) *ex definitione ſtatus naturæ atq; pacti.*

Verùm unquamne fuit ô Thoma (liceat enim ipſum interrogare) is *hominum ſtatus* quem tu ſupponis, ubi nihil bonum aut malum, ubi libertas illa fuit &c. *Non certè*, inquit, *nunquam fuit is hominum ſtatus generalis.* L. pag. 63. Imò nec eſſe potuit ab uno Adamo prognatis omnibus qui legem ipſam à Deo accepit, poſteriſque tradidit, non verbo ſolùm, ſed ipſa animorum propagatione, modo à nobis ſuprà deſcripto.

At, inquit, *Pactum* hoc, omnium cum omnibus illud habet, ut poteſtas abſoluta iſta atque indefinita, in omnia ſe extendens, principibus conferatur.

Verùm unquamne fuit ejuſmodi pactum initum ab hominibus? poteſtne ex omni temporum ſive antiquiorum, ſive recentiorum ſcriniis, & memoria, ejuſmodi *pactum* aliquod proferre Thomas, ubi homines ſinguli hominibus ſingulis juraverint, alicujus unius judicio (qui fidem nullam de regulis imperandi ſit iis daturus) in rebus omnibus vitæ hujus & futuræ ſe credere, cui deinceps jus omne ſit futurum in corpora, in fortunas, in vitam ipſam, in animos immortales? Unquamne (inquam) in univerſi terrarum orbis parte aliqua, Reſpublica eo modo fundata eſt & conſtituta?

Ipſe certè concedit L. c. 30. p. 176. *nihil tale unquam repertum fuiſſe in rerum natura*; imò neceſſe eſt ullam ſi frontem habuerit, iſta vel ut concedat, vel ut contrarium evincat, quod nuſquam eum acturum eſſe ſuſcipio.

Cer-

Cernis quo tandem (ultimò) reſolvatur Politia Hobbiana, omneſque ratiocinationes iſtæ de quibus tam magnificè ſentiunt ejus diſcipuli, nempe ſi fuiſſet ea hominis natura, qualis ea nunquam fuit, ſi forent ea pacta inita, quæ nunquam ituri ſunt homines, quæ nunquam inierunt; quid tum? tum inquis futuram eſſe eam Principis poteſtatem, quæ nunquam eſt futura. Imò inquit Hobbius, tunc eſſe reverà nunc eam principum poteſtatem, eamque eſſentialem, inſeparabilem. Dic obſecro vel dicant Hobbiani, annon eodem planè jure concludere poſſimus, Aſinum eum de quo jam ſumus locuti, mira in cœlis perpetrare?

At ſperat tamen Hobbius exoriturum eſſe (è terrâ opinor, aut ſpuma maris, unde ortus eſt Leviathan.) Principem qui *ejuſmodi imperium abſolutum exercebit, atq; tum quidem Leviathanem ipſum S. Scripturæ loco, pro verbo divino habendum fore.* (L. pp. 193.176.177.) Nempe hic ſenſus eſt eorum quæ locis jam laudatis lector inveniet. Imò verò

Qui Bavium non odit, amet tua carmina Mævi,
Atq; idem jungat vulpes &c.

Et tu nunc ad iſta attendens (vir inclytiſſime) non illud (ſpero) mihi vitio vertes, quod longum adverſus ea (quâ libertates, quà Religionem ſpectant) tam profana dogmata orationem non inſtitui. Nempe non fuit hic locus (quod tamen plurimis videri poteſt) de iſtis fuſiùs inquirendi, neque enim de eo quæſtiones nunc ſunt, An verum ſit, eam eſſe Principis poteſtatem, ut poſſit de divinis omnibus & humanis pro *jure* ſuo decernere, an poſſit Mahometum vel Diabolum, lignum vel lapidem hominibus proponere colenda, ea omnia Deo & Chri-

ſto

ſto præferre, illudque *jure* ſuo; an facere ut cultus omnis corporis & linguæ, (cùm mens interim nihil ſit præter motum corporis) iſtis exhibeatur, atque hæc juſtè, ut homines ſint in Deum & Chriſtum Blaſphemi: non (inquam) hoc quæritur, neque expectas ut in iſta incurramus; verùm illud potiùs an ex principiis, naturâ notis & veris, Politicam doctrinam (cujus magna pars iſta ſunt) deduxerit Hobbius, eamque (quod jactat ore minimè [opinor] verecundo) legitimè demonſtraverit. Atque tu quidem V. D. eâ de re judicabis, interim nolo ut te fallat, ubi Principem dicit *legi divini atq; naturali* obnoxium eſſe, *civili non eſſe*; nempe popularia ſunt iſta, in quibus ſæpiùs ſibi contradicit. *Lex* (inquit) *naturalis & civilis ſe mutuò continent & coextenduntur* (loco à nobis antehac laudato) at Princeps ſubditus non eſt legi Civili. p. 137. At *ſubditus eſt legi naturæ.* L. 169. *Subditus eſt* (inquit) *legi divinæ.* ibid. *At ejus eſt conſtituere de lege divina*, (ut ſuprà) nempe lex naturæ nulla ipſi eſt (ubi principem ei ſubditum aſſerit) præter appetitum, nempe manet ipſi Princeps in ſtatu naturæ, ubi nihil eſt in ſe bonum aut malum, (ubi eorum menſura eſt appetitus) è quo ſtatu cæteri, pactis initis, dejiciuntur; hoc quidem diſertis verbis alicubi habere eum memini, verùm non eâ de re lites ab ipſo aliquando metuendas eſſe cenſeo, quare Civitatis Hobbianæ fundamenta aperuiſſe hactenus, oculiſque hominum expoſuiſſe placuit, ad Religionem ejus tranſeamus.

SECT. VI.

SECT. VI.

CAP. I.

Ubi quæritur, an doctrina Hobbiana ſit Chriſtianæ Religioni amica vel inimica.

ABſolutis (pro exercitationis inſtitutæ modulo) cæteris, reſtat (vir ampliſſime) ut de iis quæ ad Religionem pertinent nonnulla adjiciamus; quâ in re peragendâ oppreſſum me ſtatim moleſtâ cogitatione profiteor, metuendum enim eſſe ſentio, ne ſit omnibus ingrata ea quæ futura eſt harum rerum tractatio: Cùm etenim ſententias eas quas maximè deteſtandas aliquis opinetur, vel referre ſit injucundum, cùm ulcus aliquod empyemate peſtilenti tumidum attingere ſit tangenti periculoſum, laboranti grave. Vides quid mihi Thomæque noſtro ſit expectandum, ſi forſan eum in Religionem (quâ omnia tum divina tum etiam humana conſtant) impingere contingat. Quod ſi ea multa ſint, ſi tetra admodùm, quæ religioni adverſentur, atque ipſe breviori oratione iſta tranſivero, vereor ne nihil aut parùm egiſſe plurimis videamur; ſi longā orationem protraxero, epiſtolæ fines erunt neceſſariò tranſiliendi; quid faciam V. D? Nempe exorandus es, & tecum omnes qui ſunt futuri opellæ hujus lectores, ut ad Titulum ipſum atque ad opus initio propoſitum atque ſuſceptum velint reſpicere, non patientur ea, ut res iſta pro meritis tractetur.

Fuit ea mens mihi calamum in manum ſumenti, ut quantus eſſet in Philoſophia Thomas, paucis oſtenderem, ubi mirificè ſeipſum jactare ſolet, atque quicquid eſt uſpiam eruditorum hominum (in Academiis præſertim)

ſertim) provocare atque laceſſere, neque etenim Theologiam ipſe profitetur, verùm enimverò *Philoſophus* ipſe ſum, inquit, *Philoſophorum primus*, *Philoſophus per motum*, cui, comparati reliqui velut umbræ vagantur.

—Caput altum in prælia tollit,
Oſtenditq; humeros latos, alternaq; jactat
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.

Atque ipſe (uti noſti) ſteti aliquamdiu, expectans num quis vellet vires in Philoſophia Hobbianas experiri, donec tuis aliorumque præclariſſimorum hominum objurgationibus excitato, ſubiit ea cogitatio

—Si nemo velit ſe credere pugnæ,
Qui finis ſtandi? (Si nemo ex agmine tanto,
Audet adire virum, manibuſq; inducere ceſtus.)

Quare calamum arripio, epiſtolam hanc ſcribo ſucceſſivis temporibus, quaſi ſtans pede in uno; ipſe interim in Theologia ſe minimè exercitatum profitetur, hominum millibus uti novit obnoxius. Atque ipſe quidem, Deo vitam largiente, ſi ita neceſſarium videbitur, in hanc rem forſan aliquando latiùs atque accuratiùs inquirere potero.

—At nunc non erat his locus.—

Meminiſti eum in libello de Corpore, Academiarum Vindicem eo nomine præcipuè, *ſtultum, mendacem, ſceleratum* appellaſſe, quòd ipſū (rectè aliquantulum uti Hobbius opinatur, neque etenim illud disertè unquam affirmavit) ex libellis editis, atque ex communi noſtratium ſententia, religioni inimicum eſſe innuerit. Sufficiat de Vindicis iſtius fide paucis diſputare, *Extremum hunc Arethuſa mihi concede laborem*.

Statui autem quædam de Religione Chriſtiana, non-

nonnulla de religione in univerſum proferre: ubi ſtatim innoteſcet, an fuerit vel non fuerit Religionis amicus vel inimicus. Cum autem vocabula iſta Religio Chriſtiana poſſint ſignificare vel regulam Canonem, vel ſtatum & conditionem eorum qui regulam iſtam profitentur ſe recipere, vel actum mentis ipſius internum quo regulæ & Canoni eorum conformes ſunt homines, vel ab eo diſſentiunt, nolo iſta accuratiùs diſcutere, nempe in idem res omnis redit, ubi de Religione Hobbiana quæſtiones moventur. Nempe Religionis Chriſtianæ inimicus eſt ille qui regulam pervertit, ejuſve autoritatem minuit aut tollit; qui Chriſtianorum Eccleſias perturbat, qui exercitium religionis iſtius Spirituale ex hominum animis evellere conatur; atq; iſta etiam ſingula communem quandam & reciprocam habent ἐνεργείαν, unoq; eorum exiſtente reliqua ſequētur. Neq; verò opus eſt, ut Chriſtianæ Religionis deſcriptionem aut delineationem aliquam accuratam, ſecuturæ diſquiſitioni præmittam, nempe notum eſt tibi aliiſque (opinor) omnibus quicunq; hæc noſtra ſint lecturi, quid ſit Religio Chriſtiana, qualia habeat principia, quid præſupponat & ſumat, quē ſcopū habeat, quid præſtet, quid polliceatur. Quænam ea ſint etiam, in quibus à Gentilium, Judæorum, Mahometanorum dogmatis abhorret.

Nempe Religio Chriſtiana ea ipſa eſt quam nobis explicat & proponit Scriptura ſacra (utroque Teſtamento conſtans) quæ Canonica nobis appellatur & Verbum divinum, illudq; quod Canonicorum iſtorū librorum vel autoritatem Divinam tollit, vel ſententiam evertit, Chriſtianæ Religionis inimicū eſt dicendū.

Noſti tu ſatis V. D. de Canonis hujus amplitudine, inter Chriſtianos lites eſſe (nuſquam fortaſſe dirimendas) & de eo etiam acriter diſputari, annon & ea quæ

traditio-

traditione ſolâ nituntur, ſint etiam in Chriſtianorum regulam vitæ trahenda; neque tamen hæc obſtent quo minus res noſtra & Vindicis diſcutiatur, iſtis minimè diremptis, neque etenim Chriſtiani iſti qui traditiones Eccleſiæ, libroſque nobis Apocryphos pro regula fidei aut morum habent, de Canonicis iis, quos nos vocamus, aliquo modo dubitant, eorumve autoritate: Quare manet iſtud Chriſtianis omnibus divinæ autoritatis eſſe libros illos, & quicquid iſtis adverſatur, Chriſtianæ religioni inimicum eſſe.

Illud certè manifeſtius eſt, quàm ut fronte ullâ vel negari poſſit, vel operâ ad hanc rem inſtitutâ *probari*, (ita nimirum Paterculus olim Catonem *laudare* nefas eſſe duxit) Scripturæ iſtius ſacræ divinam eſſe & fuiſſe ſemper Chriſtianis omnibus autoritatem (neque illud nunc quæritur, an fidem iſtam & reverentiam meruerit hic liber, verùm an inter Chriſtianos illam obtinuerit) aio pro verbo divino habitum eſſe ab omnibus Chriſtianis codicem illum ſacrum, eorumq; fidem atque religionem autoritate divinâ niti, nempe regulam hanc à Chriſtianis receptam eſſe, eo nomine quod Deus ipſe regulam iſtam præſcripſerit, nobiſque eam propoſuerit; ita ut in poteſtate non ſit mortalis alicujus, adverſus Dei ipſius verbum iſtud aliquid in religione conſtituere & ſtabilire. Hæc (inquam) eſt Chriſtianorum omnium (nempe eorum qui religionem Chriſtianam intimè colunt) ſententia.

Dices quæſtioni eſſe obnoxiam iſtam ſententiam, illudque oſtendi debere eſſe reverà Scripturas ſacras Verbum Dei ipſius, iiſque divinam eſſe autoritatem.

Noſti me alibi V. D. exiguo libello iſtam Scripturarum autoritatem divinam ex principiis rationi humanæ congruis oſtendendam ſuſcepiſſe, cujus ſermonis

monis ſumma hæc eſt, ſi veri ſint libri, divinos item eos eſſe; nempe ex ſententia ipſorum librorum, omnis Scriptura θεόπνευστος, neque de veritate eorum ullo modo dubitandum eſſe iis, qui ratione ſobriâ utuntur: ſi vera ſit hiſtoria, de doctrina non eſſe dubitandum, ſive in Veteri Teſtamento, ſive in Novo, imò verò vetus Teſtamentum ex fide ipſius novi recipiendum eſſe, Novum iiſdem argumentis quibus poterit quis aliquid in hiſtoria cum ratione credere & recipere.

Verùm intempeſtiva ſunt iſta hoc loco, quæ tamen obiter proferre placuit, ne quis exiſtimet me iſta neglexiſſe aut declinare voluiſſe. Sufficit nunc monuiſſe, illam eſſe mentem eorum qui religionem hanc intus in animo defixam habent. Quare ad Thomam ipſum provoco, atque ad communem hominum ſenſum illudque quæro, an Divinam regulæ alicui autoritatem tollere, ejuſque loco nonniſi humanam & civilem ſubſtituere, ſit ipſi amicum eſſe, an inimicum.

Ipſe certè in ea ſum ſententia, eum qui Scripturarum Canonicarum authoritatem divinam tollit, fundamenta ima Chriſtianæ Religionis evertere, neque ulla unquam gens tam barbara fuit, ut Religionem quam coleret à Deo minimè profectam eſſe patienter audiret. Religio nimirum ſacra res eſt & ſeria, in intimis animorum penetralibus hærens, neque ullo modo cum eo poteſt ſententia conſiſtere, quæ ſtatuit ex hominis alicujus voluntate, atque ex civili inſtituto originem traxiſſe. Nempe aliud eſt longè religioſum eſſe, aliud illud profiteri; aliud eſſe Chriſtianum, aliud hypocritam, quo nihil eſt Deo aut hominibus odioſius. Qui autem Religionis vim omnem à Principis imperio deducit, nullamque illi obligationis vim relinquit, præter eam quam ex decretis civilibus hauſerit,

ſerit, ideoque parem Religionibus omnibus rationem atque locum relinquit, næ ille hypocriſi locum facit ampliſſimum, Religionem ſubvertit.

Hæc quia ſenſum apertum habent, hominum omnium judicio uti exiſtimo accommodatum, videamus quæ ſit Thomæ ſententia de Scriptura, quæ lex eſt Chriſtianorum, quid de Religione hac ſentiat ipſe, quem *mos patrius & miraculorum fama* fecit, ut in Scripturæ ſententia in quæſtione de origine mundi acquieſceret. (Corp. c. 26.)

Ipſe tu quidem in ea ſententia es V. D. Scripturam "eſſe Verbum Dei à Deo ipſo profectum, neque li-"bitu hominis allatam fuiſſe olim Prophetiam, ſed "actos à Spiritu ſancto locutos fuiſſe homines Dei "ſanctos, 2 Pet. 1. 20, 21. Totam Scripturam divini-"tùs fuiſſe inſpiratam, 2 Tim. 1. 16. verbo, Deum "autorem habuiſſe.

At alia Thomæ mens eſt, nempe *Scripturam totam non eſſe verbum Dei ut autoris.* L.p. 203. Ubi rationem ſententiæ puerilem eum afferentem invenies. Imò magno conatu illud agit cap. 33. Leviathanis item cc. 36. & 37. ut autoritatem Scripturarum minuat, ut Scriptorum, Prophetiarum, Miraculorum verendam majeſtatem tollat, denique ut magiſtratui non Deo ipſi ejuſve Spiritui vim ſuam debere eas videatur.

Generalia (inquis) ſunt iſta, miniméque probata! At non expectas ut integra atque inficeta Leviathanis capita tranſcribam, ſufficiet per gradus quaſi accedendo ad Sententiæ Hobbianæ culmen aſcendere. Magna forſan te habet V. D. Prophetarum reverentia, qui Deo pleni oracula olim fuderunt; at quænam exiſtimas eos miracula fudiſſe? *certè ea nonniſi ſomnia fuere.* L. 227. (Moſis oracula ſi fortè excipias, qui Princeps fuit, & ſummam habuit in civitate poteſtatem.

tem. Novi Hobbium viſiones illic etiam memorare exſtaticas,verùm quæ mentis exſtaſis viſio eſſe poteſt, ubi mens eſt motus organorum!) Somnia (inquis) ſunt! quid inde? divina tamen eſſe poſſunt, nam & iſtiuſmodi ſomnia ἐκ Διὸς εἰσί. Nempe cum corpore ſopiti, Divini vates mente interim Deo perciti, Spirituque pleni, omnia noſcentis Dei præſentiâ atque unione perfruuntur. Imò (inquit ipſe) *Spiritu Dei loquuntur*, at de ejuſmodi Spiritûs præſentiâ οὐδ' ἐν ὀνείρῳ (neque ſomniando) cogitavit. *Quando Propheta Spiritu Dei loqui dicitur, nihil aliud intelligendum eſt, quàm loqui eum ſecundum Dei voluntatem, à ſupremo Propheta* (id eſt, à Principe) *declaratam*. L. 229. At inquies forſan, Principes ipſos non ſolùm Iſraeliticos, ſed & Judæos à Prophetis correptos fuiſſe & increpatos, rebus non ſolùm Religioſis ſed & Civilibus; illud libros Regum atque Chronicorum perpetuò oſtendere, quare non fuiſſe Spiritum divinum in Prophetis ſeſe exerentem, poteſtati Principum ſubjectum. Atque ipſe quidem de facto iſta contigiſſe concedit, at eà ratione quod neque Principes, neque Prophetæ officium ſuum intelligebant. (Hic ſenſus eſt L. p. 260.) Quippe ut ſive *Prophetia, ſive Scriptura quenquam obligent, illud habent à Civili poteſtate*. L. 281. *Scriptura neminem obligat (ut & Prophetia, eadem eſt enim Thomæ utriuſq; ratio) ad obedientiam; neq; aliquis cui non ſunt ſupernaturaliter revelata, (quâ in re ſtandum eſt Principis judicio) ullâ authoritate præter Civilem ad obedientiam iis præſtandam tenetur*. L. p. 205.

Vetus Teſtamentum, Eſdræ autoritate, Novum, Eccleſiæ (*i. e.*Rei-publicæ, neque enim diverſa ſunt Hobbio) *in Conſilio Laodiceno, factum eſt Canonicum*, id eſt, vim recepit obligandi. L. p. 203. &c.

Cernis vim omnem Scripturarum ab imperio humano pendere, neque eâ ratione (uti omnes hactenus Chriſtiani crediderunt) ſtabilitas fuiſſe (imperio civili) Scripturas, quòd forent divinæ originis, ſed divinæ autoritatis (quod contradictionem in ſe habet) credendas eſſe, quia ſunt à civili imperio ſtabilitæ.

Cernis everſam eſſe à Thoma hoc Malmesburienſi Scripturæ ſacræ divinam authoritatem, quod unum eſt religionem Chriſtianam penitùs convellere; iſtis admiſſis

Non jam Relligio Chriſti, non numina, magni
Pendebuntur.—

Duriora forſan iſta eſſe judicas, & ejuſmodi ut non ſint alicui in Chriſtiana Republica degenti temerè imputanda: atque ipſe quidem tremiſco aliquantulùm ad cætera progrediens, dicenda ſunt tamen ne quid in eum me hactenus deliquiſſe exiſtimes, & ne quid Religio Chriſtiana ex noſtro ſilentio capiat detrimenti. Eccleſiæ Chriſtianæ deſcriptionem compendio habet Paulus, Eph. 2. 20. Nempe ſuperſtructam " eam eſſe ſuper fundamentum Apoſtolorum & Pro" phetarũ, exiſtente imo angulari lapide ipſo Chriſto. De Prophetis loquentem accepiſti, exiſtimas eum in Apoſtolos, quos Chriſtus conſtituit, reverentiorem, iiſque authoritatem ſaltem aliquam tribuere, iis (inquam) quos miſit Chriſtus, & quorum ſermonem confirmavit ſignis ſubſequentibus, nempe mandata dedit ipſis Chriſtus, ipſique Canones ſanxerunt, quibus Chriſtiani ſaltem omnes obedirent; imò poteſtatem clavium dedit ipſis, ut quorum remitterent peccata, remitterentur, retinerentur autem ea quæ retinerent, infinita nimirum in Scriptura ſunt, quæ poteſtatem

ſtatem iis traditam evincunt, atque autoritatem.

At falleris, ſi modò vera ſentiat Hobbius, *Chriſtus enim nullam miniſtris autoritatem jubendi reliquit.* L. 271. Fulmen illud, quodcunq; ſit, quo Satanæ traduntur rebelles in Eccleſia, brutum eſt planè, atque *excommunicatio Chriſtiani, qui Principi pagano obtemperat*, (etiamſi Chriſtianos ferro & igne perſequatur) *nullius eſt valoris.* L. 278. Quamplurima habet in Leviathane ſparſa in eandem ſententiam, adeò ut iis minimè inhærendum eſſe judicem.

Quare relligio pedibus ſubjecta, viciſſim
Obteritur. ---

At metuendum eſſe cenſes, opinor, V. A. ne in blaſphemiam iſta deſinant, ne Chriſto ipſi autoritatem tollat, nam miſſi ſunt ab ipſo Apoſtoli eo modo quo ipſe à Patre, "ſicut Pater me miſit(inquit)ſic ego mitto vos: quare ſi deſtituti fuerint omni authoritate Apoſtoli, vides quid erit de ipſo mundi Salvatore ſtatuendum.

Atque ego quidem ab iſtis libenter abſtinerem monſtroſa ſunt adeo, adeóque Chriſtianæ adverſa Religioni.

Chriſtus ipſe (inquit L. p. 286.) *poteſtatem nullam habuit Legiſlatoris, ſed Invitatoris, neque leges ſed regulas vitæ ſolummodò nobis reliquit.*

At iſta(inquis)ſi concedātur, nemo erit aliquomodo Chriſto obſtrictus, neque eſſe poterit crimen aliquod aut infidelitatis aut inobedientiæ adverſus Chriſtum, aut miniſtros ejus, quæ tamen Chriſtus ipſe ſummopere ſolet exaggerare, miniſque horrendis prohibere. " Quicunque (inquit) non exceperint vos, neque au- " dierint vos, egreſſi illinc excutite pulverem, qui ſub- " erit pedibus veſtris, ut hoc ſit teſtimonium adver-

"ſus eos. Amen dico vobis tolerabilior erit Sodo-
"morum conditio aut Gomorrhæorũ in die judicii,
"quàm urbis illius. (Marc. 6. 11.) Hæc eſt, ut cernis,
Chriſti ſententia, quænam eſt Thomæ? datum (opi-
nor) eſt Thomis ut ſint ipſi aliquantulùm infideles.
Chriſtus (inquit) *non leges reliquit, ſed regulas quaſ-
dam quas unuſquiſq; vel accipere poſſit, vel negligere
abſque injuſtitia.* L.285. *Non legimus uſquam* (inquit)
peccâſſe homines legem Chriſti non accipiendo. Neque
*tenemur Chriſti leges Civilibus repugnantes recipere:
quanquam enim Deus ſit rex univerſi, non tamen tene-
mur pro lege accipere quodcunq; à quolibet ejus nomine
proponitur.* Hæc habet de *Chriſto ipſo loquens*, L.p.286.
Sentio ipſe horrore quidem atque indignatione mem-
bra rigere, neque dubito quin ipſe etiam his lectis
permovearis, (nempe zelus Dei noſtri illud perficiet.)
Sed tamen legenda ſunt tibi ea quæ ſequuntur. An-
non (inquis) Apoſtolis alia mens fuit? Annon ipſi ſe
obſtrictos atque obligatos exiſtimabant, ut legem
Chriſti prædicarent? etiamſi à mundi poteſtatibus pro-
hiberentur. Quæ Paulo mens fuit? quæ Petro? quæ reli-
quis Apoſtolis? Noſti quantum laborem Chriſti ipſius
gratiâ ſuſceperint & peregerint.

*—Heu quibus illi
Jactati fatis.—
Quæ regio in terris Pauli non plena laborum?*

Quare loquentem pro omnibus Paulum audiamus.
" Neceſſitas (inquit Paulus 1 Cor. 9. 16.) mihi in-
" cumbit, & væ mihi ſi non Evangelizavero. At quod-
nam erat illud Evangelium? nempe Judæis ſcandalum,
atque Græcis, id eſt, Gentibus ſtultitia (nempe illud
quod & Gentium idolomaniam, & Judæorum ſuper-
ſtitionem everteret) eoque nomine mundi hujus
Princi-

Principibus inviſum; atque è diametro adverſum; quod iram eorum & perſecutionem excitaret. Injici-" ent vobis manus, & vos perſequentur, tradentes in " conventus & carceres, adductos ad reges ac præſides, &c. Luc. 21. 12. inquit Chriſtus ipſe. His conditionibus Evangelii munus Apoſtoli acceperunt, illudque neceſſarium exiſtimabant. Quænam eſt Thomæ ſententia. *Apoſtoli* (inquit) *obligati ſunt, niſi à Principibus prohibiti forent, Evangelium prædicare.* L. 286.

At quid ſi juberentur Chriſtum negare (atque in eum βλασφημεῖν) *iſta* (inquit) *Chriſti negatio, cùm nihil aliud fuerit quàm motus linguæ, parendum erat.* 271. Quis non hìc clamaret illicò, O cœlum! O terra! O tempora! O mores! Qualis eſt iſta hominis licentia, Apoſtolos, Martyres, Chriſtum ipſum, in Chriſtiana Republica ſpernentis, contemptui & ludibrio habentis? " Siquis me coram hominibus negaverit, ego " ipſum coram patre meo negabo, inquit Chriſtus; " Ipſique Apoſtoli ne Chriſtum negarent, ludibria & " flagella ſunt experti, inſuper & vincula, & carcerem; " lapidati ſunt, diſſecti ſunt, tentati ſunt, gladio cæ-" ſi, mortui ſunt, oberraverunt cum ovillis & capri-" nis pellibus, deſtituti, afflicti, & malè habiti. Heb. 11. 37. Hæc (inquam) omnia aliaque ejuſmodi innumera paſſi ſunt, ne Chtiſtum negarent, ne colerent idola juſſi à Principibus Gentilium, Sacerdotibus & Concilio Judæorum. At quænam eſt Hobbio iſta hominum (horreſco referens) inſania? quænam dementia? Nempe, *Si juſſi, Chriſtum negâſſent, non ipſi negâſſent, ſed jubentes.* L. 271. *Imò ſi juſſu Principis ipſum (vel Idola) coluiſſent, non fuiſſet ea Idololatria.* L. 360

Quid igitur de Martyribus, quorũ ſanguine ſeminata eſt olim Eccleſia, ſtatuendũ eſt? *Nempe Martyres eos non fuiſſe, niſi teſtes (oculati) fuerint reſurrectionis Chri-*

 ſti.

ſti. L. 272. Quis mare terris non commiſceat hæc legens, *quis* (quæſo) *tam ferreus ut teneat ſe*? Utinam (ex animo illud opto) fide ſalvâ iſta in gentis noſtræ & reipublicæ honorem reticere potuiſſem, *ne indicetur hoc in Gatho, neq; annuncietur in plateis Aſcalonis.*

2. Atque hæc quidem hactenus ipſa religionis Chriſtianæ (uti mihi videtur) fundamenta evertere nituntur: neque plura tamen deſunt criteria, quibus de Thomæ hujus ſive amicitiâ ſive inimicitiâ adverſus religionem Chriſtianam, ſtatui poſſe videatur. Nempe ſi fuerint (ex ipſius ſententia) Chriſtus ipſe, Apoſtoli, Martyres, primi paſcentis Eccleſiæ parentes omnes jure merito (ut ſeditionis & inobedientiæ rei) à magiſtratibus occiſi, illudque religionis, ab ipſis vel inſtitutæ vel propagatæ, ſolius gratiâ, nemo erit qui de ipſa religione neſciat concludere quid ſit dicendum. Quare quærendum eſſet (ſi modo quæſtioni locus maneret poſt Hobbiana principia intellecta) an jure, an potiùs injuriâ morti traditi ſint hoc nomine Chriſtus ipſe atque Chriſtiani. Verùm quid opus eſt verbis? Prohibiti ſunt à Principibus novam Evangelii doctrinam prædicare, abſtinere noluerunt, occiſi ſunt ab iis qui poteſtatem gladii acceperunt, jure an injuriâ dicat ipſe, mihi ſatis aperta eſt ejus ſententia, imò omnibus ſtatim occurrit quid ſit ipſi neceſſariò ſtatuendum, *nempe crucifigendus eſt denuò Rex ipſe gloriæ atq; aperto eſt ludibrio habendus.*

Cernis in argumento me nunc verſari ubi (ſtimulante ad illud indignatione) facillimum eſſet motu animi juſtiſſimo incaleſcere, verùm ſilentio iſta potiùs obtegere cupio, imò & obruere, ne hujus hominis unius gratiâ gens noſtra, Chriſtianæ hucuſque religionis ſincerâ profeſſione inclytiſſima, vileſcat.

3. Facit

3. Facit illud animi deſiderium, ut à ſententiis innumeris, quæ totidem ſunt dogmatis Chriſtianæ Religionis adverſa, vel refutandis, vel referendis penitus abſtineam. Eſt(uti nôſti V.D.)qui Leviathanem iſtum infinitam hæreſium malorumque dogmatum vim intùs in inteſtinis continere & aſſeruerit, & evicerit, belluamque iſtam non tam Leviathanem quam equum Trojanum, imò Hydram, vel Antichriſtianam illam beſtiam Apocalypticam, appellandam meritò fuiſſe. Nempe *Sabellianus* eſt, *Neſtorianus*, *Sadducæus*, *Arabæus*, *Tacianus*, *Manichæus*, *Mahometanus*. At mihi non vacat (ad res potiùs, quàm ad nomina attendenti) iſtis inhærere; dicam liberè animi mei ſententiam, mihi certè Chriſtianus ille non eſt, qui tremendũ illud & verendum Trinitatis myſterium negaverit, qui Chriſti domini & ſalvatoris ſatisfactionem; mallem ut vitam mihi eriperent, potiùs quàm ſpem veniæ & Deo factæ reconciliationis, in Chriſti unius ſanguine & meritis collocatam (quo nomine Socinianos ingenioſos eſſe poſſe, eruditos eſſe poſſe, Philoſophos eſſe poſſe, Chriſtianos mihi non eſſe libenter agnoſco) de iſtis interim quid Hobbius? *Eodem nempe modo dicendum eſſe Chriſtum, Deum Filium, quo Moſes dici poſſit Deus pater, aut quo Apoſtoli Spiritus ſanctus*, nempe Dei perſonam iſti pariter geſſerunt, L. pp. 82. 204. 256. 266. 267. 268. De Chriſti interim ſatisfactione hoc modo ſtatuentem invenies. L. p. 248. *Nihil Chriſtum patri obtuliſſe, cujus valore peccatorum remiſſionem poſſet vendicare*. Imò *eodem modo Chriſti mortem fuiſſe pretium ſufficiens pro mundo redimendo, quo fuit Hirci ſacrificium pro peccatis Iſraelis*. L. p. 261.

Cùm ductus cornu ſtabat ſacer hircus ad aram. Quis non denuò exclamat?

4. Verùm

4. Verùm quid ego te detineo V. D. cùm univerſam Chriſtianæ religionis Oeconomiam & vim funditus (ſcopum ejus integrum pervertendo) tollere nitatur. Nempe Chriſtiana Religio, qua parte à Judaiſmo reliquiſque ſuperſtitionibus diſſentit, iſta præſupponit, in hæc reſoluta eſt, hactenus conſentientibus ante Hobbium Chriſtianis omnibus: Factum eſſe hominem & conditum in Dei imagine, quæ Dei imago in juſtitia & ſanctitate vera conſtabat. Deinde lapſos fuiſſe peccante Adamo homines univerſos, lapſuque hoc vitâ æternâ (æternâ nempe Dei ipſius in cœlo fruitione) privatos fuiſſe, deinde in temporis plenitudine veniſſe Chriſtum in hunc mundum, eoque fine carnem induiſſe, mortique demùm maledictæ ſe obtuliſſe, ut à peccati tyrannide & Diaboli nos liberaret, atque in libertatem filiorum Dei aſſereret, peccatorum reatum ſui ipſius oblatione, eorumque vim omnem & turpitudinem Spiritum nobis ſanctum largiendo tolleret, denique eo fine veniſſe Chriſtum in hunc mundum, ut eſſet nobis Rex, Sacerdos, & Propheta, ut nos regeret, redimeret, doceret: hæc autem omnia Spirituali prorſus modo eſſe intelligenda, non Carnali, inde futurum ut fideles Deo (in æternum eum videndo) fruituri ſint, impii autem & infideles æterno (cum Diabolo ejuſque Angelis) dolore ſint cruciandi, ubi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Hæc (inquam) fidei Chriſtianæ quædam ſummula dici poſſit, hic *ſenſus* Scripturæ univerſæ. Vide interim quale monſtrum Hobbius effinxerit.

1. Ait Deum ipſum Regnum Civile in Judæos exercuiſſe.
2. Regnum illud Moſi (veluti locum ejus tenenti) tradiſſe,

tradidiſſe. L. p. 217. 218.

3. Deinde verò regnum Sacerdotibus contuliſſe, atque hoc regnum, fuiſſe regnum Dei, pontifici Iſraelitarum creditum. L. 218.

4. Donec populus temporibus Samuelis, à regno hoc Dei deficeret, ab eoque tempore non fuiſſe regnum Iſraelitarum Dei regnum. L. 219.

5. Veniſſe autem Chriſtum, ut iſtud Dei regnum reſtitueret, nempe ut novo fædere, Deo regnum illud reſtitueret, quod reſciſſum eſt in electione Saulis. L. 263.

Summam prædicationis Chriſti atque Evangelii, hanc eſſe, futurum eſſe poſt generalem corporum reſurrectionem ut *Chriſto obedientes* vitam immortalem ſub tali Dei regimine degant. Ut *Chriſto inobedientes*, nubant, filioſque æternùm vicibus gignant, ipſi ſecundò morituri, id eſt, in nihilum redituri. L. 264. 242. 244.

Nos autem cùm petimus in oratione Dominicâ, ut veniat regnum Dei, regni iſtius reſtitutionem petere, quod defectione Iſraelitarum interruptum eſt in diebus Saulis. L. p. 219.

Hæc eſt (inquam) Theoria Religionis Hobbianæ, quæ Chriſtianam penitus evertit, atque illud facit non niſi frivolo & planè ridiculo argumento, imò verò abſque omni fundamento quod ſpeciem habeat veritatis.

De regno Chriſti Spirituali innumeri autores tractarunt, de ſtatu beatorum & damnatorum loquuntur ubique Catechiſmi: Imò nihil eſt monſtroſius, nihil homine ſano indignius, quam iſtam velle Theoriam carnalem & quaſi Mahometanam Chriſtianiſmi

niſmi loco inducere. Quodnam eſt illud futurum regnum carnale *Sacerdotum* (ut ipſe loquitur) ubi *mutatis corporibus his vilibus in vitam æternam ſuſcitabimur.* Phil. 3. 21. *Erimuſq; ut Angeli in cælo.* Math. 22. 30. *Poſtquam in nubes rapti ut Domino obviam eamus fuerimus.* 1 Theſ. 4. 18. Quænam eſt iſta mors ſecunda ſeu annihilatio impiorum, ubi cum Beſtia & pſeudopropheta vivi conjicientur in ſtagnum ignis ardens ſulphure, Apoc. 20. 20. & torquebuntur die & nocte in ſæcula ſæculorum. Apoc. 20. 10? Quænam argumenti vel umbra ſuppetit, quod non ſit pueriliter Sophiſticum, unde inferatur nupturos eſſe poſt reſurrectionem improbos? Dixit Chriſtus nullas in reſurrectione futuras nuptias, inde Corollarium deducit aliquos ſaltem nupturos eſſe.

Cernis quàm facile eſſet iſta omnia difflare, ſi vel tibi V. D. (Chriſtiano exiſtente) neceſſarium illud eſſe judicarem, vel inſtituti ratio illud pateretur; quin potiùs ſententiæ tam portentoſæ fundamentum breviſſimè contemplemur.

Nempe *Regnum Dei in Iſraelitas fuit* (inquit) *Regnum Sacerdotale, atq; populus regem poſtulando à Deo defecerunt.* Hæc univerſa ea habent, quibus iſta tam profana, carnalis, barbara de Evangelio ſententia, quovis modo ſtabiliri videatur.

Dicimus temerè iſta atque inſcitè admodùm affirmari, neque etenim Deus regnum unquam Sacerdotibus dedit, ſibi in perpetuum tenendum, neque populi Iſraelitici rebellio in eo ſita eſt, quòd Regem poſtularent.

Primùm quod ad jus attinet, manifeſtum eſt non prohibuiſſe Deum ut Regem ſibi ſtatuerent Iſraelitæ. "Quum ingreſſus fueris in terram quam Jehova dat "tibi— ſi dixeris ſtatuam ſuper me Regem—tantùm

ſtatuito

" ſtatuito Regem quem elegerit Deus tuus è medio
" fratrum tuorum, ſtatuito ſuper te Regem. Deut. 17. 14. &c.

Imò ut de facto loquamur, *Moſes* primus in eos regnabat, deinde *Ioſue*, poſtea Judices, in judicum interregnis *Seniores*, iiſque tanto oneri imparibus exiſtentibus (ob duram populi cervicem) *Judices* nunc ex exercitibus, nunc ex aliis à Deo excitati; neque magis dicendum erat illud *Dei Regnum* ſub *Judicibus*, quam ſub *Regibus ipſis*. Atque hæc manifeſta ſunt, cuivis Scripturas ſobriè & cum veritatis deſiderio legenti.

At verò probat, inquis, Regnum Dei fuiſſe Regnum *Sacerdotale* ex Exod. 19. 6. Verùm Textus Hebraicus habet ממלכת כהנים regnum ex Sacerdotibus (i.e. viris ſanctis) conſtans, atque hoc modo *Petrus*, 1 Pet. II. 9. hoc modo *Johannes*. Apoc. 1. 6. locum intelligunt.

At, inquis, & Num: 27. 21. ordinatum eſt, ut *Joſue* coram *Eleazare* ſtaret, qui Dei voluntatem inquireret &c. unde conſtat regnum penes *Eleazarem* fuiſſe. Verùm ridiculum eſt iſtud, nam eodem modo ſub Regibus regnum erit ſacerdotale, quia ipſi voluntatem divinam à Sacerdotibus petebant. Quare figmentum eſt planè Regnum iſtud Sacerdotale.

Imò & Rebellio iſta, de qua ſupra, non erat adverſus Sacerdotem, ſed adverſus Samuelem facta, qui declaratione divinâ factus eſt judex eorum perpetuus; ita ut ante ejus exceſſum, regem petere illicitum foret.

Hæc quia luce meridianâ clariora ſunt, locos SS. ab Hobbio laudatos legentibus, nolo iis inhærere.

Cernis interim Theologiam Hobbianam Philoſophiæ ejuſdem affinem eſſe nimiùm, atque ubique ipſum

ſum ſolere ex paucis minimè conſideratis, imò falſis, atque abſurdis, temerè aſſumptis, res maximas vel aſtruere, conari vel evertere. Interea temporis quam ſit *Chriſtiana Religioni* amicus Hobbius, intelligis; reſtat ut de *Religione in univerſum* pauciſſima dicamus.

Cap. 2.

Ubi de Religione in univerſum ex ſententia Hobbiana quæritur, atque exercitationi huic Epiſtolicæ Coronis imponitur.

Quanquam ex omni ferè exercitationis hujus ſerie, præcipuè autem ex iis quæ ſuperiori Capitulo habuimus, neminem latere poſſit quæ fuerit de omni Religione ſententia Hobbiana, placuit tamen rem iſtam eo ipſo ſub titulo reſumere hoc loco, eamque pauciſſimis tractare. Neque verò illo fine hoc facimus, ut hominem bonorum atque piorum odio opprimamus; verùm ut nos ipſos à calumniis ejus verbiſque durioribus (ſi quid eum regerere contingat) aliquantulùm liberemus. Noſti V. D. quid vindici Academiarum acciderit eo ſolo nomine, quod locum hunc de Religione tam leviter attigerit. Dixerat *Thomas Philoſophiam in Academiis nullum omnino locum habere, niſi ut ancilletur Religioni Pontificiæ:* Calumniâ hâc in Religionis negotio, permotus Vindex, reſpondit inter alia, *dictum à nonnullis eſſe non alio nomine ipſum Pontificiæ iſti profeſſioni inimicum fuiſſe, niſi quod Religionis haberet nomen.* Tu autem noſti quantas hoc unum tragœdias excitârit? Nempe *Stultus, Mendax, Sceleratus* eſt Vindex: quid ita quæſo? quid fecit? quid commeruit? quid patravit? annon

annon hoc dictum à nonnullis eſt? ad teipſum provoco, V. D. quoties illud ipſi audivimus, imò verò quis locus eſt? quæ gentis noſtræ plaga? quæ regio? Sive in urbe, ſive in Academia, ſive demum in agro, ubi non illud communi hominum famâ increbruit, ſolere tum Hobbium ipſum, tum ejus diſcipulos, de Deo ipſo & de Chriſto infanda ſentire & loqui, imò de Religione univerſa quaſi impoſtura ea foret, blaterare. Cur igitur mendax ille vindex? quodnam eſt ſcelus quod commiſit? rem veriſſimam, rem notiſſimam narravit; at inquit, *quem non novit, eum Religionis inimicum eſſe ex fama communi innuere*, hoc unum omnia iſta tam præclara meruit epitheta. Anne verò exiſtimandum eſt eum Thomam hunc noſtrum non noviſſe? Manifeſtum eſt libros ejus illum legiſſe; oratio autem virum indicat. Summa eſt igitur, ſceleratum eum Thomæ fuiſſe, quòd non oſtenderit longâ forſan atque manifeſtâ oratione, Thomam religioni non ſolùm Chriſtianæ, ſed omni inimicum fuiſſe. Cernis igitur in anguſtias aliquas redactum me eſſe, mihíque illud ferè nunc accidere quod Vindici iſta ſcribenti accidiſſe crederem; nempe invitum eum atque triſtem ad ejuſmodi quæſtiones, ubi de hominum Religione agitur, accedere ſolere; quin & ea loca quàm potuerit leviſſimè eum tranſilire, cùm tamen altius inhærendum iis eſſet. Cernis animo quàm averſanti ſuperius illud Capitulum abſolverim, quàm multa intactá reliquerim, quàm molliter, ſi rei ipſius merita ſpectemus (ubi de ſpei omnis humanæ fundamento actum eſt) eum tractaverim. Atque ipſe quidem ab ulteriore rei hujus proſecutione abſtinuiſſem, niſi perſpectum jam antea fuiſſet viri ingenium, exigentis ea prorſus, atque ad ultima ejus arcana referanda ferè provocantis; quaſi ſceleratum illud eſſet à ſcelere

lere alieno detegendo abſtinere. Cernis quæ me neceſſitas cogat, ut pergam aliquantulùm hanc rem patefacere, ut facio

—teſtor

Vos, æterni ignes, & conſcia numina veri,
Fas mihi nunc Thomæ ſecreta reſolvere—
Fas odiſſe vias, atq; omnia ferre per auras
Si qua tegat, teneor Thomæ nec legibus ullis.

Atque reverà V. D. ſi forſan eum Religioni, non ſolùm Chriſtianæ, verùm omni in univerſum, inimicum eſſe diſertè affirmarem, & ſimul ſententiæ hujus (libertate eâ prolatæ, quæ ſolet eſſe Philoſophorum) rationes afferrem, quis me ſobrius atque pius, quis Philoſophus aut eruditus reprehenderet?

Verùm iſtud non faciam, modeſtiùs atq; temperantiùs cum eo agam, quaſdam ſolummodo quæſtiones ipſi tuâ cum veniâ (V. D.) proponam, quas ipſe ſi ſolvendo tibi ſatisfecerit, ſolutus omni hoc crimine, per me licet, abeat.

1. Memini, quæſtionem mihi olim (puero Catechumeno) proponi ſolitam, cupio ut *narrare velit quam ipſe Religionem colat.* Num Chriſtianiſmum, vel Judaiſmum, num Mahometiſmum, vel Gentiliſmum? Vel quænam eſt ea Religio, quæ æqualem ad omnes indifferentiam patiatur? quæ vim ſuam Principis imperio ſe debere fateatur? Certè nihil quicquam ab hominis ingenio excogitari poſſe mihi videtur, quod ad religionem funditus ex animis hominum eradicandam ſit accommodatius, quàm eſt iſta ſententia, quæ ſtatuit ex humanâ inſtitutione, non autem divinâ, religionem & ortum habuiſſe olim, & jam conſtare. Imò verò atteſtatus eſt olim Deus Moſi & Chriſto mundi ſervatori, neque ratio ulla eſt ut ea de re dubitet

Philoſo-

Philoſophus aliquis, momenta rationis ad normam veritatis æſtimans; neque etenim ratio ulla eſt, ut de hiſtoriarum veritate dubitetur, niſi quis velit omnem antiquitatis lucem rejicere, neque ſi veræ ſint hiſtoriæ de Moſe & Chriſto, poterit aliquis de Dei ipſius atteſtatione cum ratione dubitare: Quod autem in Religione Chriſtiana ſtabilienda manus ipſa Dei fortis praſtitit & brachium nudatum, illud κατ' ἀναλογίαν τινα in cæteris fecit ut obtineret, impoſtorum verſutia, & hominum credulitas; hinc nempe factum eſtut Mahometem paroxyſmos Epilepticos patientem, viſione extaticâ in Deum ſublatum fuiſſe crederent Arabes; hinc etiam crediderunt Romani antiqui, Numam cum Egeria congreſſum fuiſſe: verbo, omnis Religio ſive vera, ſive falſa, illud habet, ut à Deo, non ab hominibus originem traxiſſe credatur: atque ille quicunque illum non Dei ipſius vel Deorum ſed hominum inventum eſſe ſtatuit, Philoſophus utcunque eſſe vel dici poſſit, Religioni in univerſum inimicus eſt dicendus.

Si quidem Thomas illud ſolummodo dixiſſet, Religionem ab hominibus excogitatam fuiſſe, ut homines (metu forſan inani) in obedientia principibus præſtanda contineret, quanquam rem indigniſſimam & turpiſſimam feciſſet (qualem nonniſi unus forſan aut alter inter Philoſophos paganos eo ipſo nomine omni adhuc ævo infames, fecerunt) nos tamen adverſus ipſum diſputantes, utcunque ſententiæ tam prodigioſæ inſaniam oſtendere poſſemus, utcunque hominis infelicitatem dolere, non eum quaſi contemptui atque ludibrio habitæ rationis humanæ accuſaremus. Nempe ejuſmodi eſt ſententia, quæ cum intelligi poſſit & contradictionem (ut aiunt) in adjecto minimè involvat, vim non infert rationi humanæ ut ſupponatur,

Verùm

Verùm ut iſtud enuncians, ſimul illud etiam contendat, non eſſe ſe Religioni inimicum. Quis iſta patienter audiat? quis mare terris non confundat? Certè

> *—Clamet Melicerta periſſe*
> *Frontem de rebus.—*

Qui principia ejuſmodi proponit, quibus fugit omnis Religio, ſive vera, ſive falſa, quæ ipſa Religionis natura averſatur, oro illum ut ipſe explicare velit quâ ratione fiat, ut non ſit Religionis hoſtis appellandus. Imò reverà

> *Hoc argumento timefacta Relligiones*
> *Effugient animo.—*

Verùm iſta generalia atque in anteceſſum ſolummodò propoſita; alia ſunt eaque plurima (niſi me brevem eſſe cogeret præſentis argumenti injucunditas) quæ faciunt ut illud ab ipſo explicandum deſideremus; nempe quomodo fieri vel intelligi poſſit, ut non ſint inimica Religioni; adeò in ipſa Religionis omnis fundamenta ruere mihi videntur & impetum facere.

2. Si ſit nulla hominibus in ſtatu naturali non ſolùm *juſti* atque *injuſti* (quas voces à communi hominum uſu ad forenſem tranſtulit, ut nubeculam ſententiæ offundat) verùm etiam *Boni* & *Mali moralis* differentia, ſi nulla lex, nullum rationis dictamen, *quo* ſecerni iſta poſſint; verùm ea omnia ex Princip*is* inſtitutione & oriantur & dependeant; quænam eſſe poteſt Religio? cujus illud eſt, ut in iis ubi lex humana locum non habet, ſubveniat.

Expecto ut regerat ſeſe alicubi, imò ſæpiùs de lege naturæ, de bono & malo naturali locutum. Atque ego quidem

quidem eum, ſi mille contradictionibus liberare ſe hoc loco poſſit, ingenioſum eſſe prædicabo. Contradictionem vel ἀλογίαν manifeſtam habere mihi videtur, fundamentum ipſum Politiæ Hobbianæ. In ſtatu (inquit) naturæ fœdera non obligant, at fœdus de conſtituendo magiſtratu initum, obligat; quid ita quæſo? Obligat (inquit) ex lege naturæ, & eſt inviolabile fœdus. Cur ita tandem? nempe alias everteretur Politia ejus omnis —ſed me reprimo.

Mihi certè omnia ejus luſtranti, conſtat nihil eſſe, ex ejus ſententia, naturâ ſuâ bonum aut malum moraliter loquendo: ſin iſta ſentiens deceptus fuerim, cupio ut de re iſta disertè loquendo eximere me velit hoc errore. Certè ſi quod in omni rerum complexu ſit malum dicendum, illud erit quod omni omnium hominum judicio tale hactenus exiſtimatum eſt, nempe quod fit renitente rationis dictamine, quod fit reclamante conſcientiâ. Profligatæ ſcelerumque vi atque dominio obrutæ quaſi, adeoque inſanientis muliérculæ ideam proponens Poëta iſta eam proferentem infert

—Video meliora proboq;,
Deteriora ſequor.

Ipſum interim Hobbium *peccatum non eſſe, quod fit reclamante conſcientiâ*, exercitationis hujus ferè ſub initio dicentem, introduximus.

Ipſe quidem hac in re ferè unicâ ſibi conſtat; atq; ego bonum aut malum quomodo aliquid eſſe poſſit non video, ſi omnia fato fiant (eo modo quē ipſe aſſeruit) atque abſolutâ cauſarum neceſſitate; propoſitionem, tum in libello de *libertate* & *neceſſitate*, tum de Corp: habet, imò ipſe πόειμα iſtud agnoſcit; ſi bonum ſit nihil aut malum, ſi meritum nullum aut demeritum, (ut

 loquun-

loquuntur) quis ſit religioni locus, nullus ipſe video: velim ut denuò oſtendat annon ſit hoc etiam Religioni (in univerſum) inimicum.

Verùm ut abrumpam ego ſtatim hanc omnem orationem. Omnis Religio illud habet, & Deum eſſe & eſſe remuneratorem eorum qui pii fuerint & religioſi. Nempe religione *ad Deum accedimus*, oportet *ad Deum accedentem*, iſta præſupponere & credere. Neque tam luſcus eſſe poteſt aliquis, ut illud non videat, non ſolere Deum pietatem hominum aut virtutem (ſi mundi hujus regimen ſpectemus) hac in vita remunerare: Eſt etenim vir ſapiens & bonus, cui res accidunt ad modum atque normam improborum; exercuit illud ab initiis ultimis Philoſophiæ, maximorum hominum ingenia, *cur bonis mala contingant*, neque aliter hoc loco ſe extricare unquam potuerunt, niſi dicendo cum Socrate (cùm jam in manu mortiferum iſtud poculum teneret) "duas eſſe vias, duplicesque "exceſſus animorum à corpore exeuntium, piorum "hominum faciles eſſe ad Deum (unde exceſſerunt) "aditus, impios interim cruciatibus atque tormentis flagellandos, nempe

—Clauſi tenebris & carcere cæco
Illi exercentur pœnis, veterumq; malorum
Supplicia expendunt.

Hæc (inquam) omnis habet Religio, etiamſi *in pœnarum* præmiorumque natura atque ingenio explicando diſſentiant. Verbo, *Religio* illud præſupponit, animam è corpore exeuntem præmia virtutum atque vitiorum ferre poſſe. Quid ad hæc Thomas?

Mihi certè videtur, duas eſſe Thomæ ſententias, quarum altera eſt Thomæ Philoſophi, altera Thomæ

ex

ex præſuppoſita (magiſtratûs juſſu) Scripturæ authoritate differentis. Quarum hæc ſtatuit animam dormire uſque ad diem longiſſimam, poſtea reſuſcitandam, vel ut liberos homo gignat (dirum proculdubiò tormentum) vel ut eo modo regatur in æternum, quo ante Saulis electionem regebantur Iſraelitæ. Hæc (inquam) eſt Thomæ ſententia, quem *mos patrius & miraculorum fama* voluit eſſe *Chriſtianum*.

At alia eſt Thomæ *Philoſophi* ſententia, nempe *mentem eſſe motum organorum*, neque proinde fieri ullo modo poſſe (vel abſolutâ Dei potentiâ) ut morti ſuperſtes ſit animus, vel ut idem numero animus reviviſcat; ſi iſta non fuerit ejus ſententia, ſi iſta non conſequantur ſententiam hanc poſitam, velim ut errorem mihi oſtendat: iſtis autem ita ſe habentibus, dicat mihi ingenuè quis ſit omnino religioni relictus locus. Imò verò, inquies, etiamſi eo modo hæc ſe habuerint, etiamſi mortales ſimus penitùs, neque ulla ſpes ſit relicta beatitudinis olim conſequendæ, eum tamen Religioſum (uti eſt) futurum, Deum nempe agniturum illum eſſe eique ut potentiſſimo feliciſſimoque honorem & adorationis cultum præſtiturum. *Fieri non poteſt* (inquit L. p. 53.) *ut cauſarum ſeriem profundiùs contemplantes ad primum motorem, qui Deus eſt, non perveniant*. Hinc autem neceſſe eſt ut exoriatur in animo Religio.

Quin & formido mortalis continet omnis,
Quòd multa in terris fieri cœloq; tuentur,
Quorum operum cauſas nullâ ratione videre
Poſſunt: ac fieri divino numine rentur.

Nempe cauſas ſive intelligant, ſive non intelligant homines, tollet naturæ profundior contemplatio Atheiſmum,

theiſmum, quo uno ſublato aliqua ſaltem religio ſequetur. Vidiſti autem quantus ſit *Philoſophus* hic noſter, credis, opinor, Atheum eum eſſe non poſſe, Religioſum igitur aliquo modo eſſe debere.

Atq; ipſe quidem concedo religioſū eum eſſe poſſe, ſive Sadducæorum, ſive Epicureorum ſententiam amplectatur; nempe iſtorum hominum Religione, modò Deum eſſe concedat; neque ipſe crimen illud Atheiſmi volo unquam huic imputare, ſpero certè meliora (quanquam Atheiſmum ipſe pro crimine non habeat, modo corde prematur, atque adverſus leges humanas minimè quis illud profiteatur. *Fides etenim, atq; interiores cogitationes hominum non ſubjiciuntur mandatis* (Dei) *verùm operationi ſolùm ejus, aut Ordinariæ, aut Extraordinariæ.* L. p. 149. Nolo (inquam) unquam Atheiſmum ipſi objicere, oro tamen eum atque obteſtor, ut faciat, ſententiam ejus explicando, ut Deum eſſe ſtatuere mihi videatur. Ipſe nunc petitionis hujus (qui tibi forſan inurbana videri poſſit) rationē accipe.

Nempe ſi *neq; corpus eſſe Deus poſſit* (à quo removentur corporeæ affectiones omnes. L. p. 190. C (Amſterodami impreſſo, Anno 1647) p. 270. *Neq; eſſe poſſit aliqua ſubſtantia incoporea, quia verba iſta ſe mutuo evertunt*, Quomodo Deus eſſe poſſit ex mente Hobbiana, non intelligo.

VErùm quò feror, vir Digniſſime atque Amiciſſime? quò me præcipitem rapit ſuſcepti operis neceſſitas? quis hic locus? quæ mundi plaga? ubi ſum? quid facio? Ego quidem meipſum nullo modo ſatis admirari poſſum, poſtrema hæc relegens. Egóne unquam exiſtimâſſem me inter homines tetricos atq; immites iſtos reperiendum? Quis unquam expectaret hominem (qualem ego me eſſe credebam) non è rigi-

dioribus illis atque moroſis, verùm ex iis qui libertatem in ſentiendo ingenuam & profiteri ſolent & in aliis libenter admittere, euſque trahi potuiſſe, ut datâ operâ in hominis Religionem publicè inquireret, ut oſtenderet hominem eruditum Religioni inimicum eſſe. Odi certè Sycophantas omnes, nihilque (quantum ipſe intelligo) deteſtabilius habeo, quàm ingenium petulans illud atque invidum, quod homines eruditos, famâ inventis ſuis benè partâ, frui non patietur. Quid igitur dicam V.D? quo me defendam modo, ſiquis mihi forſan iſta objecerit; ſuccurre tu mihi qui vales humeris, horumque omnium crimine levato. Noſti tu ſatis rei noſtræ hiſtoriam univerſam, animo quàm triſti atque averſante, iſta primùm ſuſceperim, quàm fuerit mihi injucundum atque involupe in omni hac controverſia verſari, quantâ vi truſus in arenam initio fuerim, & quàm libenter me militiæ ſubducere voluiſſem; neque me quidem ullo modo ad certamen adduci potuiſſe, niſi duo illa Nomina tam ſacra *Academiarum* atque *Religionis* mihi ſæpius in aures intonuiſſent. Credebam autem illud non hominis modeſti, ſed ſtupentis eſſe, matrem afflictam atque contemptui habitam negligere. Dictum eſt, hunc Autorem lethale vulnus Academiis inflixiſſe, eas indoctas atque inutiles, oratione eo fine inſtitutâ oſtendendo.

--Pudet hæc opprobria nobis
Et dici potuiſſe, & non potuiſſe refelli.

Ex ipſâ Leviathanis lectione, didicerat juventus incauta atq; indocta adverſus inſtitutiones Academicas, ore impuro blaterare,

--Stultum eſt cùm quis ubiq;

 Hoſtibus

Hoſtibus occurrat, peritura parcere charta.

Stabam tamen aliquandiu attonitus,

Multaq; dura meo triſti cum corde putabam,
Cùm ſignum agnovi, atq; afflicta juſſa parentis.

Signum (inquam) accepi, neque in Academiarum atque Religionis causâ metuendas hominum cenſuras ſtatim judicavi , etiamſi magis adhuc magiſque incaluiſſem; audiveram in parentis olim periculo filium à nativitate mutum, in clamores erupiſſe; quid ſi ipſe hâc occaſione balbutirem, aliquantulùm (cogitabam) etiamſi eodem modo cum *Vindice* tractandus forem. Atque ipſe quidem nunc expecto, imò initio (ut meminiſſe potes) expectavi ut mala verba omnia in me effundant Hobbiani, quæcunque vel ſcientiam vel mores hominum maculare ſolent: non eos vel ſcriptum ipſum vel ſcribendi modus ſat ſcio effugiet. Dicent incomptam, ineruditam, inelegantem fuiſſe nobis omnem orationem: fateor certè ipſe hæc omnia, at

Parcius iſta tamen (Thoma) objicienda memento,
Novimus & qui te.—

Dicent me in verſiculos hîc illîc incidentem, gravitatem Philoſophicam minimè tenuiſſe, feciſſe quod Pedantium potiùs deceret. Verùm, Platonem, Ariſtotelem, Ciceronem, nobiliſſimoſque ex antiquis ab eo ſcribendi genere non abſtinuiſſe ſentio.

Quorum æmulari exopto negligentiam,
Potiùs quàm ipſorum obſcuram diligentiam.

Dicet me duriora ipſi aliquando verba dediſſe, verùm exceptis

exceptis iis locis, ubi vel Religionis vel Academiarum res agitur, non temerè illud reperiendum eſſe ſpero.

Dicet mille viros habere Academias, qui meliùs iſta potuiſſent; hoc etiam concedo libentiſſimè, quare ſpernendas non eſſe eas adeò exiſtimarem. Expecto ut huic viro, *ſtultus*, *mendax*, *ſceleratus* audiam: feram, ſi potero, patienter, neque etenim iſta Vindici in dedecus magnum ceſſiſſe comperio. Verbo, eo animo impoſitum à teipſo onus, initio ſuſcepi, ut omnia ferrem, modo nihil in Academias aut in Religionem ipſam (quæ ſunt mihi chariſſima, uti eſſe debent) opprobrii regerentem eum inveniam. At hæc ſi deinceps lacerare pergat, certè non feretur illud omni modo inultum —*ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο.*

Tu interim, Vir Digniſſime, perge facere ut facis, Religionem nempe Chriſtianam, atque Academiam hanc noſtram Oxonienſem, eruditione ſummâ atque pietate, immenſùm ornare, ſimulque amare tibi deditiſſimum

SETHUM WARDUM.

FINIS.

Errata.

Pag.	Lin.	Corr.
2.	15.	pro *ſuo*, lege *Hobbii*
8.	2.	l. *opprobria immotus referat?*
9.	8.	l. *Simia*
12.	28.	l. *alii*
13.	16.	l. *altiuſque*
15.	15.	l *peragrat*
16.	3 & 4.	l. *ſomnium, illudq;.*
41.	18.	l. *exors*
45.	31.	l. *Leviathanis*
61.	1.	pro *nempe*, l. *nemo*
70.	10.	l. *inveniſſe*
73.	31.	l. *adjunxerit*
74.	4.	l. *plura habet*
75.	28.	l. *Chimæra*
76.	29.	l. *eum*
102.	24.	pro *jam* l. *imò*
116.	14.	l. *protrahere*
119.	10.	l. *reſonat*
121.	13.	l. *cujus*
123.	18.	l. *habere*
123.	9.	l. *nihil concludi*
126.	10.	l. *Secundum*
	19.	l. *conſtat*
133.	24.	l. *Suctorem*
134.	6.	l. *deficiant*
	14.	l. *ſuccedente*
135.	19.	dele :
137.	penult.	l. *recipiat*
144.	19.	l. *ſoleant*
149.	8.	l. *luxata*
150.	1.	l. *planam*
152.	20.	l. *ficto*
153.	penult.	dele *tamen*
154.	3.	l. *regerere*
166.	15.	*elegeris*
170.	29.	*motuſque*
	32.	*turgeſcentia*
174.	18.	l. *obcaluit*
181.	17.	*eum*
185.	3.	*planè*

Pag.	Lin.	Corrige.
194.	8.	*ei*
198.	19.	*Fecit*
200.	7.	*duratione*
202.	1.	*aſſenſum*
204.	10.	*in aliquibus exemplaribus* l. *Glandulam Pinealem*
	25.	l. *Dum* pro *Num.*
208.	l 26.	*abſque* pro *ubique.*
207.	24.	dele *fieri*
208.	31.	dele *motus partium*
	32.	pro *motiſque* l. *motûs.*
232.	15.	pro *non* l. *neque*
235.	25.	*ex ipſo*
240.	1.	*eundum*
243.	14.	dele *præterire*
	21.	*quam*
	26.	*ut jurare*
267.	30.	*exorſus*
281.	18.	*Epiſtolii*
283.	27.	*Leviathanis*
285.	15.	*quartum*
288.	15.	*innitentem*
	21.	*eam eſſe* dele 1. lin. 22.
291.	24.	*oſtendi*
299.	3.	*excitantur*
296.	19.	*producta*
300.	10.	dele *imprimentur*
	12.	*acquiruntur*
304.	4.	l *decernere*
307.	14.	*debeat*
314.	13.	*divinæ*
317.	pen.	*nunquam*
318.	2.	*obſtant*
320.	32.	*Oracula*
321.	2.	dele *viſio*
326.	13.	l. *naſcentis*
330.	17.	*exiſtenti*
331.	8.	pro *Exercitibus* legè *Sacerdotibus*
336.		*quæ fugit*

Digitized by Google

Poſtſcriptum ad eundem Ampliſſimum Virum D. I. W. *ſive* Appendicula, *ubi de Calumniis ab* Hobbio *in Autorem congeſtis agitur.*

SPerabas proculdubiò V. D. poſt valedictionem iſtam, non fore te denuò importuniùs ſollicitandum; hoc idem Lectores in expectatione & votis habuerunt, mihique præcipuè ea ſpes erat & expectatio; miraberis quid acciderit, quid de novo dicendum habeam, quod faciat ut te nunc denuò interpellem, & quouſque tandem hoc ſim facturus.

Atque ipſe quidem nolo te diutiùs detinere; hoc primum habeo autem quod libenter(opinor) audies. Novi occupationes tuas, & quàm ſit tibi inæſtimabilis temporis jactura;

Cùm tot ſuſtineas & tanta negotia ſolus,
Muſarum ſedes tuteris, moribus ornes,
Conſilio emendes, in publica commoda peccem
Si longo ſermone morer tua tempora.—

Eſt tamen quoddam, quod te celare nullo modo poſſum, quod nequeo ſupprimere; hoc accipe modo, & fac deinceps tibi ipſi quod viſum fuerit, *Rediiſſe nempe me penè totum in gratiam cum Thoma Hobbio Philoſopho Malmesburienſi,* hoc eſt quod tibi narrare vo-

 lui

lui, nunc autem licet tibi V. D. vel libellum abjicere, vel ſi placuerit, rationes hujus rei deinceps ſecuturas accipere.

Poſt abſolutam Exercitationem iſtam Epiſtolicam, tibi hactenus ſatis injucundam; ſtabam ſæpenumerò conjiciens quid foret mihi ab Hobbio deinceps, ejuſque diſcipulis, atque amicis expectandum. Divinabam fore, ut quod Ciceroni olim acciderat, in Patriæ & Rei-publicæ Romanæ negotio, hoc idem mihi contingeret in cauſa hac Academiarum & Religionis; ut depulſo ab ipſis inimicorum impetu, teliſque in conjuratos reverberatis, in me ſtatim ruerent, in me rabidiſſima illorum ora converterent, in me tela vibrarent. Neque difficile eſt tibi ipſi V. D. imaginari quid hâc occaſione ſuggerere poſſet mens timida, ſibi, ſuiique diffidens viribus, quid fortè præcineret

præſaga mali mens.—

Ut in omnia ea quæcunque in lucem edideram (animo non admodùm propitio & favente) inquirerent, hoc certè abſque omni dubio ſtatuendum eſſe decrevi, quare omnia mea (neque magna neque multa) continuò volvebam in animo atque revolvebam, ſiquid obſcurè dictum, ſiquid ratione clarâ minimè munitum, ſiquid ex incuria atque negligentia (quæ mihi planè naturalis eſt) aut libertate nimiâ in dicendo, inelegans occurrebat; Eccum ex hoc loco (mihi tacitus dicebam) argumenta ſumet Hobbius, & ſtatim defenſiones meditabar.

Non eſt ut verbis explicare contendam, quam fuerit mihi injucunda hæc animi conditio, quam perplexa cogitatio, quanquam etenim recurreret mihi ſæpiùs in levamen, *Horatianum* illud

—Hic murus aheneus eſto
Nil conſcire ſibi, & nullâ palleſcere culpâ.

neſciebam

Neſciebam tamen quid ingenium hujus viri infenſiſſimi, occaſione ſive datâ ſive arreptâ, in contumeliam atque opprobrium trahere poſſet.

Noveram libellos à me ſcriptos omnes ſive (nomine ſubſcripto) à meipſo agnitos, ſive abſque autoris nomine in publicum antehac emiſſos, grave annorum aliquot examen apud ipſum ſubiiſſe, narratum eſt, ipſius Exercitationis hujus ſchedis, à prælo ſtatim excepta, Hobbio ipſi continuò tranſmiſſa (ab exploratore quodam quem novimus) fuiſſe; inter hæc omnia percuſſit aures fama, illum librum hunc arte malâ nactum; eum nondum in lucem editum refutâſſe!

Inter hæc omnia quomodo me affectum exiſtimas Vir Digniſſime? Dicam ingenuè, quanquam hæc omnia abſque metu aliquo inſigni ferebat *mens conſcia recti*; neque placentem tamen, neque jucundam, fuiſſe mihi rerum mearum incertitudinem, verùm (quod de Stoico quodam dictum eſt) quanquam *nihil agerent* cogitationes iſtæ, *attamen moleſtas*, aliquo modo fuiſſe.

Miraris quò tendat oratio V. D. aſt ego ſtatim admirationem iſtam tollam univerſam. Eò quidem tendit ut intelligat quâ occaſione conciliatus ſit mihi Thomas, omniſque adverſus ipſum animi indignatio penè evanuit.

Siquis teipſum (qualis es ad clementiam atque benignitatem compoſitus) ex animi perplexâ cogitatione animique fluctuantis ſuſpenſione atque anxietate liberaret, Annon præmium acciperet? nihil certè iniquius eſt quàm illud negare.

O Tite ſiquid ego adjuro curamve levaſſo
Numquid erit præmi.

Noſti cujus ſit verſiculus. Egóne igitur Thomæ ingratus ſim, qui maximo me beneficio cumulavit, qui in ærumnis exiſtentem liberavit, qui metus omnes mihi moleſtos expulit, qui famam reſtituit? nunquam dicetur: Nemo mihi refricet in memoriam injurias antiquas, nemo voces iſtas *Stulti, Mendacis, Sceleorati*, quæ viros manſuetos provocare ſolent: certè decet atque æquum illud eſt, ut vetus quodcunque maleficium beneficio novo obliteretur. *Stultum appellavit?* At famam reſtituit, oſtenditque demùm ſtultum non eſſe. *Mendacem dixit?* At irrefragabili argumento ſibi ipſi hanc laudem aſſeruit, atque vindicavit. *Sceleratum vocavit?* At famam reſtituit, fecítque ut intelligant omnes, *ſuum cuiq; tribuere*. Quare condonandum eſſe ipſi ſentio (illudque ex animo profiteor) quodcunque vel contumeliæ vel opprobrii, in me unquam effuderit.

Miraris proculdubiò, unde iſta tam ſubita rerum mutatio, numquid, inquies, pœnitentiâ injoriæ ductus Hobbius, confeſſione ingenuâ atque publicâ teipſum vindicavit? num teſtimonio aliquo ornavit? numquid ſcribens atque in publicum protrudens à contumeliis novisque opprobriis (à ſtyli ſui deliciis) abſtinuit?

Nihil certè horum, neq; reverà ſunt iſta vindiciarũ earum genera quas ab ipſo expetimus, vel expectamus; imò verò (ut nodum hunc ſolvam citiſſimè) libellum edidit (ſub nomine *Sex Documentorum ad utrumq; Profeſſorem (Geometricum atq; Aſtronomicum) Savilianum:* Libellum præclarum in omni (malè) dicendi artificio excellentem, libellum omni ſpurciſſimorum opprobriorum genere fartum atque onuſtum, libellum omnia ea efferentem quæcunque uſquam protulerit ſcurra, rabula, lixa, laniſta, Conciliavit me

Tho-

Thomæ hic liber, fecitque ut omnia ipſi Condonare poſſim, flexit animum ingenii Hobbiani Contemplatio, fecítque ejus in meum animus & voluntas, ut mihi planè religio ſit aliquid Hobbio non ignoſcere.

Scilicet, *tanti* eſt (inquies) *eſſe Chriſtianum*! hoc quidem aliquid; aſt ego reverà non ſine ſumma ratione; (etiam religione ſepoſitâ) hoc expectandum eſſe judico; imò ratione longè majore, quam ſi palinodiam ceciniſſet. Ne te diutiùs detineam habe rem totam; Si vir, *tali ingenio* quale eſt *Hobbianum*, *odio* adverſus meipſum flagrans *immortali*, *nervos omnes* eo fine *intendens*, *animóſque*, ut notas maculaſque æternas nomini inurat. Si, inquam, *hujuſmodi* Vir, (non verbis verùm) reipsâ *oſtenderit*, *nihil* eſſe ſive in *Doctrina* ſive in *moribus* noſtris quo minùs *famâ* omnino *integrâ* ac *illibatâ*, quo minùs gratiâ atque benevolentiâ bonorum atque eruditorum hominum *frui poſſim* & debeam, exiſtimo Concluſionem illicò noſtram ſecuturam. Cernis argumentum, de quo nobis deinceps eſt dicendum.

Ut autem contrahantur ea in ordinem, fineſque breviſſimos, quæ ſum dicturus, monendus es V. D. *Documenta* iſta ſive *Nocumenta* (nempe μαθήματα παθήματα) omnia, quamvis in *Aſtronomum* æquè atque *Geometram* Savilianum directa fuiſſe videantur, ex iis tamen quinque priora in Collegæ mei Clariſſimi libros (*Elenchum Geom: Hob: Arithmeticam infinitorum, Tractatum* de *Angulo Contactûs* &c.) ſcripta eſſe, neque facturum eſſe Thomam donatione ſuâ, ut in libros præclariſſimos, plagio manifeſto, jus aliquod (eos vel defendendo) ſumam; Reliquam Clariſſimo Collegæ, quæ ſua ſunt, ipſiq; autorem hunc (in ſales ab ipſo citiſſimè minuendum) tradam; videbunt

bunt ſat citò Geometræ pœnas luentem Hobbium,

Rarò antecedentem ſceleſtum, deſeruit pede pœna claudo.

Quod igitur ad provinciam meam ſpectat, ego eam jam ſtatim aggredior, ubi

1. Oſtendendum eſt hominis ingenium, atque adverſus meipſum benevolentia.
2. Dicendum eſt de iis quæ ad doctrinam.
3. De iis quæ ad mores ſpectant: de omnibus inquam iſtis dicendum eſt breviſſimè.

1. Quanquam igitur multa ſint quæ ingenium Hominis indicant, multa quæ Animi in me diſpoſitionem, ego ex eo loco ubi ingenium & ipſe (non immeritò) admiratur ſuum, ſpecimen unicum exhibebo: faciámque ut nemo ea de re dubitet; infiniti ſunt loci ubi *ſtultos*, *aſinos*, *inſanos*, *ſcurras*, nos vocat, *ingenioſa* ſunt iſta; verùm audi eum documenta Epiphonemate concludentem. *Ne forſan* (inquit) *exiſtimetis, ingenium mihi defuiſſe, ut nomina dem vobis faſtidioſa— experiar quid poſſim— Valete* (inquit) *vos Eccleſiaſtici Inciviles. Theologi Inhumani* (gratiam aliquantum perdit jocus iſte in latinum verſus) *Dedoctores moralitatis, Collega Unaſini, Egregium par Iſſacharum, miſerrimi Vindices, atque Indices Academiarum.*

Vides (opinor) atque admiraris hominis *ingenium* (de benevolentia non opus eſt ut loquar) num tu quæſo exiſtimabas eum ingenio deſtitui? Num ſenio delirare? habet (ut cernis) ſub canis iſtis *juvenile* ingenium, (aliquandiu eſt, ex quo repueraſcere eum homines notaverant) Senex (uti cernis) eſt ſenex bonæ indolis. Senex revera jocularis, ipſe certe gram-

maticam

maticam vulgatam purgandam cenſerem; quæ duo iſta vocabula uno verſiculo conjunxit,

Sibilus atque jocus—

Sed inſtat mihi Typographus, non vacat jocos iſtos venerandos diutiùs admirari, cernis eum *ingenio non deſtitui*, quod ad rem noſtram plurimùm conferet oſtendiſſe; vides etiam *quo animo* adverſus me fuerit, quare Argumentum ulterius proſequamur, ad ea quæ de *Doctrina* habet, pauciſſima; ad ea quæ de *moribus*, pauca, proferamus.

Noli quæſo exiſtimare (vir modeſtiſſimè) me eo fine ſermonem hunc inſtituere: ut me virum eſſe eruditum evincam argumentis, certè ab iſtiuſmodi ſtultitia atque arrogantia abhorret animus, neque tamen indecorum illud eſſe exiſtimo quod ſum facturus. Noſti quidem Academiarum noſtrarum rem agi illúdque *Hobbium* conari, ut noſtri errores Academiæ ipſi in opprobriũ redundent, non opus erit igitur apologiâ aliquâ prolixiori, quare uno adhuc pede promovebo reconciliationis hujus noſtræ argumentum.

Licebit certè de *Hobbio* omnia bona dicere, & laudare fortunas meas, qui *Senem habuerim tali ingenio præditum*, qui argumenta præbuerit unde poſſim de noſtris (puſillis) mediocriter; imò benè, ſentire ſimul & ſperare.

Exiſtimandum eſt vidiſſe eum edita à nobis omnia. Imò plurima in manibus aliquot annos eum habuiſſe, narratum eſt mihi, eo ſolo fine ut errores detegeret, atque refutaret, *Tentamen Philoſophicum*, (inquam) *Trigonometriã*, *Prælectionem de Cometis*, *Inquiſitionem* in *Bull*. A. P. F. Probabile eſt vidiſſe eum *Aſtronomiam Geometricam*, ſub prælo Londini diutius laborantem, *Objectiones has noſtras, in Philoſophiam* ejus ſe

vidiſſe ſignificat, ut de *Vindiciis* interim nihil dicam. Quare anxiè quærendum exiſtimabam, quid adverſus iſta haberent Documenta, ut ſi juſta objiceret, errores agnoſcerem, ſi iniqua, veritatem defenderem.

Ecce autem (præter omnem expectationem atque ſpem) nihil in ipſis omnibus invenire potuit, de quo ſibi publicè diſputandum eſſe exiſtimaret; quid igitur? num laudavit tua? (inquies) non certè. Num intacta prætermiſit? neque hoc quidem. Quid igitur? tibi dicam.

Audiverat de quodam, qui magna etiam volumina uno iſto verbo (Mentiris) refutaverat, miratus eſt hominis ingenium ſimul & fortunam; hunc igitur ſibi imitandum propoſuit: *Mala* (inquit) *ſunt omnia, imò peſſima, quæ habet iſte Aſtronomus*, nihílq; præterea in ejus confutationem adjecit.

Vix crederes (opinor) tantam mihi felicitatem obtigiſſe, imò victoriam tam inſperatam. Imò verò V. D. ego vix oculis meis credebam, quare libellum (*Documentorum*) lepidum, pulchellum, elegantem (amo nunc eum) volvi & revolvi (nemo exiſtimet me perlegiſſe tamen) nihilq; volventi occurrebat præter iſta. *Exercitationem* hanc *nihil habere, vel ſtili, vel ingenii, vel rationis*. (p. 54.) *Credere ſe nunquam fuiſſe viſam pejorem ratiocinationem, quam habet TENTAMEN Philoſophicum*, (p. 56.) atque *meipſum unà cum Collegâ nihil intelligere, ſive in Philoſophiâ, ſive in Geometriâ*. (p. 61.)

Hæc (inquam) omnia ea habent quæ mihi hactenus vidiſſe contigit, (ea inquam omnia) quæ vel ad libellos meos ſpectant, meamve (quam ſentio quàm ſit exigua) eruditionem.

Nolo hoc loco, vel argumentum repetendo μικροψυχίαν oſtendere, nolo ab *ingenio Hobbiano*, aut

aut *ſtudio*, aut *voluntate*, Correlaria deducere. Nolo illud importuniùs urgere, non ſolere homines generalia, eâque minimè probata objicere, niſi ubi defecerint ſingularia. Imò *ſatius eſt iſta contemnere*, (ut alibi habet) *quod facere poſſunt, tam Eruditi tum etiam Idiotæ.* Video nunc certè rationem cur me fugiat adeò, cur tantâ curâ atque diligentiâ ſubducere ſe ſoleat, (non ſine magnâ aliquando ventriculi jacturâ) iis ex locis ubi me ſibi occurſurum eſſe credit. Adverſus me meaque omnia laborat Antipathiâ manifeſtâ, habetque odii occultas atque ineffabiles rationes, quod de Sabidio Martialis, —*Non amo te Sabidi, nec poſſum dicere, quare*; hoc idem Thomas hic noſter. *Non amo* (inquit) *iſta Aſtronomi Saviliani*, cur non amat (obſecro) *mala* quia ſunt, cur mala? *peſſima* quia ſunt. Cur autem peſſima? *pejora nunquam vidi*; at quæſo annon alia aliis pejora? non (inquit) omnia ſunt peſſima. *Quid faciam?* V. D. quid dicam?

Pro captu Lectoris habent ſua fata libelli, ac
Invenies alium ſi te hic faſtidit Alexis.

Intereà magno me metu liberavit, fecitque ut ſperem me poſſe tempus illud bonarum rerum ſtudio impendere, quod frivolæ contentioni deſtinatum fuiſſe metuere incipiebam. Hactenus ea quæ ad *doctrinam* ſpectant; accipe de Moribus pauciſſima.

Atque hic quidem non eſt ut de Ingenio aut de Voluntate Hobbiana aliquid tibi in memoriam refricemus, quanquam hæc baſis ſit, hoc fundamentum maximum novæ iſtius amicitiæ quam nunc colere incepimus. Egóne ut Hobbium non amarem? qui tot mihi in *boni nominis* controverſia vel triumphos (ſi vicero) miniſtrat,

Digitized by Google

ſtrat, vel tot ſaltem purgationis occaſiones obtulit; argumenta ſubminiſtravit?

Dixit *mendacem* eſſe *Vindicem* & *ſceleratum*, addidit in hoc libello præclara etiam quamplurima Epitheta. Ecce me provocatum ad illud & coactum, quod non ſine aliqua forſan κενοδοξίας aut animi puſilli ſuſpicione ſuſcipere potuiſſem. Mihi certè nihil moleſtius eſſe ſolet, quàm de moribus vel propriis vel alienis contentiones inire, neque etenim verbis ſunt iſta, ſed vitæ ipſius obſervatione atque experientiâ, decidenda. Verùm quid faciam? provocat me Thomas

Immiſcetq́ manus manibus pugnamq́ laceſſit.

Ait igitur *ſceleratum* & *mendacem* fuiſſe *Vindicem* (neque etenim aliunde præterquam ex vindiciis argumenta ſumit) quod ipſum (Hobbium) reum egerit—

1. φιλαυτίας atque Arrogantiæ.
2. Iracundiæ.
3. Plagii in doctrinâ de Viſione.
4. Læſarum Academiarum.
5. Inimicitiæ adverſus Religionem.

De Iracundia quidem nolo lites movere; cupio ſopitam eſſe omnem: fabulam eo loco habet, nugas nugaciſſimas, fictum Dialogum cum *Vindice*. Oro ut nemo eum Iracundum eſſe exiſtimet. De cæteris breviſſimè dicetur. Tuum eſt V. D. rationum utrinque momenta atque pondera in trutina penſare, tandemque *de mendacii* atque *ſceleris* honoribus decernere.

1. Primùm igitur de *Philautiâ* atque *Arrogantiâ* inquirendum eſt. De re ipſa, de argumentis breviſſimè dicendum, Vindicem ait Philautiæ atque Arrogantiæ eum accuſâſſe.

Quòd Circuli quadraturam pollicitus fuerit.

Quòd

Quòd Leviathanem abſoluto voluerit imperio Academiis imponi.

Quorum ipſe primùm negat(p. 56.) dicitque *Quadratura circuli* ſe nunquam aut *pollicitum* fuiſſe *inventionem*, aut *profeſſum*.

Secundùm, defendit ab Arrogantiæ crimine, aut Philautiæ.

Dicitque (p. 55.) *nihil in operibus ejus eſſe quod aut* φιλαυτίαν *ſapiat aut Arrogantiam.* De iſtis breviſſimè.

Non ipſe certè memini Vindicem Academiarum de *philautia* atque *arrogantia* locutum uſpiam fuiſſe, verùm res ſolummodò atque Hobbii ſententias fideliter tranſcripſiſſe, Academias defendiſſe, à verbis iſtis abſtinuiſſe.

Ad illud de Quadratura Circuli, libet iſta ſolummodò regerere, exemplar meum primæ Quadraturæ (Corp. c. 20. quam poſtea ſupprimere nitebatur) p. 175. lin. ult. iſta habere, *Inveni ergo Circuli Quadraturam.-- Tu verò -- Vindex, Accuſator mei mendax*, quinimò etiamnum habere Corp. p. 174. Corol. 2. *inventa erit — quæ eſt Quadratura Circuli*, ubi denuò Vindicem mendacem appellat. Attende obſecro V. C. ut de mendacio verum ipſe judicium ferre poſſis.

Ad cætera quod attinet, dixit *Vindex* velle Hobbium ut abſoluto imperio, Leviathan imponeretur Academiis, verbaque ea protulit quæ deſiderium illud continebant, de *Arrogantiâ* aut *Philautiâ nihil adjecit.* Aio nunc, Thomam omnes quotquot uſpiam fuerunt homines, Scholas, Academias fœdiſſimo contemptui habuiſſe (uti Cap. 1. Exerc. oſtendimus) & Leviathanem, non ſolùm Scholis atque Academiis, pro Acroamate Philoſophico, verùm & Pulpitis, pro concione ſacrâ imponi velle (vide locum citatum) eâ tamen fronte

Digitized by Google

fronte eſſe, ut aſſerat nihil habere ejus opea *quod Arrogantiam ſapiat*. Quære iterum, de mendacio & ſcelere V.D. & cui demùm laudes iſtæ ſint deferendæ. Iſta breviſſimè de *Arrogantia* Hobbiana: tranſeo ad Tertium Capitulum de *Plagio*.

3. Ait (p.59.) dixiſſe Vindicem (nempe aut erit iſta mens Hobbii aut nihil iſta ad vindicem pertinebunt.) *Accepiſſe eum doctrinā de viſione ex ſchediaſmatis Warneri*; dicitque *Warnerum ab ipſo, non ipſum à VVarnero, doctrinam iſtam*, (quâ *viſio* per *pulſum perficitur*) *accepiſſe*.

Accipe obſecro rem integram, Triumphos in Omnes totius orbis Academias egerat Hobbius, quòd *iſtæ* per *ſpecies*, ipſe per *motum* Viſionis opus explicaſſet.

Indignum hoc ratus vindex iſta inter alia repoſuit; Verum non fuiſſe, omnes Academias ita viſionem explicare. Receptum fuiſſe à plurimis inter nos hypotheſin quæ motum adhibet.

Explicatam fuiſſe à *Gaſſendo, Digbeo, Carteſio*, ejuſmodi hypotheſin Hobbianis adhuc ἀγεννήτοις Exiſtentibus; quibus adjicere potuit *Regium* atque ante eum *Gilbertum* Noſtratem ex novitiis, Ex Antiquis, Scholam univerſam *Epicuri* & *Democriti*.

Denique Contineri iſtiuſmodi doctrinam in Schediaſmatis Warneri, Narratum autem Vindici fuiſſe, habuiſſe ea aliquando Hobbium in manibus.

Hæc ea ſunt V.D. quæ in plagii accuſationem inflat Hobbius, tam dicam & ſceleſtam, ut omnia deinceps ei in Vindicem licere judicaverit. Non eum *Plagii* Vindex accuſâvit, innuit ſolummodò nullam fuiſſe rationem ut Thomas, Hypotheſis iſtius quæ motum adhibet ſe inventorem venditaret. Tu quæſo V.D. rem iſtam perpende, vide quomodo hoc etiam loco ſe expediat.

Annon recepta eſt ea doctrina? immò recepta eſt. Annon explicata eſt ab aliis? *novitiis*? Antiquis? Explicata eſt.

Annon novit eam doctrinam Warnerus? imò novit, neque negat in Schediaſmatis ejus Contineri. Annon habuit in manibus quædam Warnari Schediaſmata? habuit. An de viſione? etiam de Viſione. Videˋ nunc quâ ratione à plagio ſe liberet. *Ait iſta Schediaſmata ſe nunquam habuiſſe, Imò Warnerum accepiſſe ab ipſo hanc hypotheſin*, fortaſſe! at unde *Carteſius, Digbeus, Gaſſendus?* aut ab ipſo, aut à *Warnero*; unde autem *Gilbertus?* (qui multos ante annos, fato ceſſerat;) ab ipſo forſan, in Cunis vagiente: mirum! at unde tandem Lucretius, Epicurus, atque Democritus? quid hic, quæſo, dicendum, niſi *Thomam* eſſe valdè ſenem (ipſumq; Democritum iſta ab ipſo didiciſſe?) Neque Veterem eſſe modò Thomam ſed & veteratorem. Cernis ſi plagium hoc fuerit, quomodo ſit eo crimine eximendus: Aſt ipſe, mortuos nec mordere ſciens, nec loqui, ſatis habet ad Warnerum rem totam referre. Vult igitur ut ipſum Warnerum hac de re Conſulamus.

Ignoſcas petimus bone Thoma, tanti
Non eſt, ut placeam tibi perire.

4. Verùm me tædet iſtiuſmodi næniis detineri, ad alià celerrimè tranſeamus, De *læſis Academiis*, de *Inimicitia in Religionem*.

In negotio de læſis Academiis multa vindici affingit, *uti queſtum eſſe vindicem læſiſſe eum Academias, conando ut Leviathan ipſis imponeretur.*

Quanquam autem ipſe exiſtimem V.D. impoſſibile eſſe ut magis eas lædat, quam ſi forſan votum illud

ejus

ejus obtineret: quia tamen hoc minimè metuendum eſſe judico, ad veras vindicis querelas, accedam. ubi etiam de *mendacio* & *ſcelere* facillimè judicabis.

1. Queſtus eſt Vindex, quod *utilitatem* Scholarum (etiam antiquarum) in univerſum *negaverit*, atque aſſeruerit *Geometriam nos ſcholis non debere*, nempe evicit vindex debere; quid habet Thomas quo minus injuſtitiæ in Academias condemnetur?

Reſpondet (62) *injurium ſe futurum, niſi de Scholis philoſophia diſtinctè locutus fuiſſet.* Corripuit eum ut cernis vertigo, quæ fecit ut veritatem, aut ſenſum, hac in re neque locutus fuerit, nec loquatur.

2. Graviſſima fuit Vindicis queremonia, quòd dixerit Hobbius, *philoſophiam nullum* HABERE *in Academiis locum, niſi ut ancilletur Romana Religioni*; (nam cætera quæ habet de libertate philoſophandi, de ſtudio Mathematicarum artium falſiſſima ſunt & leviora.)

Fateor, hoc ipſum fuiſſe quod me movit adeò ut incaleſcerem: qui fuerit ſtatus temporum meminiſti, quis furiatorum clamor; omnia ſc: in Academiis fuiſſe ad *ſuperſtitionem* Compoſita——

Sed videamus qua ratione non ſit injuriarum denuò condemnatus, vide obſecro quis *mendax*, quis *ſceleratus*.

Annon impreſſum eſt *non habere?* proferatur Leviathan: at hoc modo imprimi (inquit) non debuit, annon ita ſcriptum eſt in codicillis? non negat. quid igitur habet quo ſe defendat? vide quæſo Cani Capitis frontem.

Annon inquit *pudet? litera unius* (*aut alterius*) *diverſitatem objicere? habere* nempe pro *habuiſſe* (ante aliquot retro ſæcula.) p. 61. quaſi de *Tempore* non foret, omnis controverſia. *ô Tempora! ô Mores!*

Cernis V. D. quali cum homine rem habeamus, non

me

me nunc movet, quod adverſus nos atque adverſus ipſas Academias magiſtratum ſæviſſime ſtudet incitare p.p.60. & 62. didicimus eum ejúſque omnia rectius æſtimare. At movit me fateor aliquando iſta tam inhumana in negotio religionis contumelia, ut de hominis *Religione* ea proferrem quæ audire (uti videtur) noluiſſet.

5. Verba ea quæ ad *Religionem* ſpectant, habet p. 62. nolo ego ea repetere, nolo huic rei inſiſtere, fateor me molliùs iſta proferre potuiſſe, forſan & debuiſſe; at illud opinor concedet, (exercitationis ultima legens) non defuiſſe mihi ſententiæ rationes.

At ſatis eſt V. D. meminerit à vindicta oblata abſtinuiſſe me, non ille me deinceps vocabit *Theologum inhumanum*, non *Dedoctorem moralitatis*, non (opinor) *mendacem*, aut *ſceleratum*; ut Vindicem *miſerum* appellet ſimul & *mendacem* revera nimis eſt.

—*Nec ſi* miſerum *fortuna maligna*
Finxit, Vanum eadem mendacémq; *improba finget.*

Verùm abrumpendum eſſe ſermonem hunc monet non ſolùm Typographus, ſed & *Horatianum* illud,

—*Tenet occiditque legendo.*

Ne de prolixa atque importuna epiſtola illud non immeritò dicatur.

Iterum Vale, Vir ampliſſime
eúmque qui totus eſt tuus
amare perge. S. W.

FINIS.

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google